47366/B/2
B. XIII.
18/5
Dup.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30510259_0002

HISTORIA MEDICINAE

A RERVM INITIO

AD

ANNVM VRBIS ROMAE DXXXV

DEDVCTA

STVDIO

IO. HENRICI SCHVLZII

MED. D. ET PROFESSORIS PVBLICI

ALTORFINI ACAD. NAT. CVR.

COLLEGAE.

ACCEDVNT TABVLAE AENEAE, CHRONOLOGICA, ET INDICES COPIOSI.

LIPSIAE

APVD PETRVM CONRADVM MONATH.

cIↃ IↃCCCXXVIII.

42550

Ex
Bibl. Acad.
Erlangensi.

SACRAE REGIAE MAIESTATI

POTENTISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI DOMINO


DOMINO FRIDERICO AVGVSTO

REGI POLONIARVM

MAGNO DVCI LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, KIOVIAE, VOLHINIAE, PODOLIAE, PODLACHIAE, LIVONIAE, SMOLENSKIAE, SEVERIAE AC ZERNICHOVIAE, &c.

DVCI SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE ET WESTPHALIAE, S. R. IMPERII ARCHIMARESCHALLO ET ELECTORI, LANDGRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, AC SVPERIORIS PARITER ET INFERIORIS LVSATIAE, BVRGGRAVIO MAGDEBVRGI, COMITI PRINCIPATO HENNEBERGICO, COMITI MARCAE, RAVENSBERGI, ET BARBYAE, DYNASTAE IN RAVENSTEIN, RELIQVA

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO



REX POTENTISSIME
DOMINE CLEMENTISSIME.

Conſpectum REGIAE MAIESTATIS VESTRAE ſubire tam leuidenſe opuſculum numquam auſum fuiſſet, niſi omnium communi praeconio inſignis atque incredibilis clementia illa celebra-

retur, qua iam pridem effectum eſt, vt, quantam Regio culmine digniſſima magnificentia VESTRA admirationem animis omnium mortalium impreſſit, tantum quoque ſui amorem atque deſiderium iisdem ingenerauerit. Præ ceteris vero hominibus Regium MAIESTATIS VESTRAE nomen impenſius venerantur illi, qui vniuerſæ naturæ, & ſtructuræ humani corporis, interiora ſcrutantur, quorum conatibus adiuuandis, induſtriæque excitandæ, clementiſſima MAIESTATIS VESTRAE voluntas ditiſſimos rerum, quæ artes ſcientiasque exornant, theſauros aperuit, publicisque omnium vſibus expoſuit. Vniuerſa iam Europa miratur earum incredibilem copiam ac infinitam varietatem: ædium vero, quarum porticibus ea reponuntur, ſumtuoſam magnificentiam ſtupet

pet, & vltro fatetur a nullo vmquam Rege maius vel præſtantius beneficium naturæ rerum curioſis ac ſedulis cultoribus eſſe præſtitum. Quæ igitur omnium, quos humanum genus ob amorem naturalis atque ſalutaris ſcientiæ vmquam celebrauit, Regum atque Principum gratiam longe ſuperauit, illarumque cultores deuotiſſima pietate deuinctiſſimos tenet, MAIESTAS VESTRA, REGVM SERENISSIME AC CLEMENTISSIME, patiatur, obſecro, hominem obſcurum ac peregrinum ad Regios pedes deuotiſſima mente reponentem lucubrationes illas, quibus inter alia oſtendit, quam teſtudineo gradu medicina per priuatos profecerit, quam vero feliciter illa olim increuerit, quum Cyri, Alexandri, Ptolemæi, aliique immortalis memoriæ principes, benigna clementiſſimi fauoris aura

ipſi

ipſi adſpirarent. DEVM immortalem ſupplex veneror, tribuat MAIESTATI VESTRAE regnum tranquillum, & valetudinem nullis morborum procellis afflictam : conſeruet REGIAM SOBOLEM ET GENTEM VNIVERSAM , ſubiectorum populorum ſpem atque præſidium : quorum piis precibus vota coniungere numquam ceſſabit

REGIAE VESTRAE MAIESTATIS

deuotiſſimus omnium ſeruus

IOANNES HENRICVS SCHVLZE.

PRAE-

PRAEFATIO AD LECTOREM.

INter illas cauſas, quibus tribuere debemus quod noſtro hoc ſæculo pleræque diſciplinæ lætius effloruerunt, et non contemnendas vel emendationes vel acceſſiones habuerunt, haud iniuria hanc reponendam eſſe exiſtimo, quod viri aliqui longe doctiſſimi hiſtoriarum luce eas colluſtrare cœperunt. Non defuere quidem ſuperiori etiam æuo, quibus in animum venit hac potiſſimum face adhibita caliginem & præiudicia diſpellere: ſed longe maximo ſtudio, feliciorique ſucceſſu, noſtra ætate negotium hoc agitatum eſſe, ſera poſteritas ſine dubio prædicabit. Equidem nolo hic deſcendere ad amplam expoſitionem fructus illius, quem hiſtoria litteraria ſedulis cultoribus ſuis elargitur: quum de eo neminem liberaliter educatum, noſtro præſertim hoc æuo, dubitare poſſe exiſtimem, quod ad ſectariæ ſeruitutis iugum excutiendum, & ad pomæria cuiusuis diſciplinæ producenda, nihil aptius excogitari poſſit, quam ſi ſciamus & ſubinde intueamur quot res & quanti momenti ignorauerint illi, qui pridem, tamquam principes & abſolutiſſimi auctores huius vel illius diſciplinæ, in ſcholas introducti, tantaque veneratione culti fuerunt, vt vel publica auctoritate vltra illos ſapere velle vetitum olim fuerit, vel ſocordia & ambitio priuatorum quorundam aliis perſuaſerit, glorioſius eſſe cum illis

 veteri-

veteribus errare, quam cum nouatoribus ſapere, quantumuis illi multa, temporis beneficio detecta & comprobata, in medium attulerint.

Sed non illam ſolum vtilitatem præſtat diſciplinarum hiſtoria, quod nos a ſectaria puſillanimitate liberos ſeruat, & ſemper idoneos meliora docentibus præſtat: verum etiam quaſi inuentarium quoddam, &, vt ita dicam, deſcriptionem fundi cuiusuis diſciplinæ præbet, ex qua diſcas quam quisque particulam eius diuerſis temporibus accuratius coluerit, & quo modo cultam aliis tradiderit: iine ſucceſſores parta tuiti fuerint, an amiſerint, contenti paratis & acceptis fuerint, an ampliora acquiſiuerint, vetera ſubruerint et prorſus ab integro noua condiderint, an labem minitantia tibicinibus quibusdam & ſubſtructionibus munire, vel noua incruſtatione commendare ſatis habuerint: quæ ſingula in quauis diſciplina recte pernoſſe adeo iuuat, vt vere videamus illos, qui talia requirere non curauerunt, nec ipſos eam recte intelligere, nec ſine confuſionis & errorum multiplici periculo de vlla re iudicium ferre poſſe.

Hæc vt in quauis diſciplina ita ſe, quemadmodum dixi, habent: ita ſeorſim in medicina tam vera deprehendimus, vt vix mihi verendum ſit fore aliquem qui vel dubitare de dictis, vel negare hiſtoriæ neceſſitatem audeat. Sed vno alteroque exemplo liceat aſſertum meum comprobare. Peruulgatum apud veteres Aegyptios, tum Græcos, tandem etiam Romanos erat, vt ventriculum a ſaburra liberaturi vomerent. Prouocabant autem hanc excuſſionem vel aqua tepida largius hauſta & digito faucibus intruſo, vel digitali vomitorio, aliisque id genus machinationibus ab excutiis ventriculi nuper propoſitis haud multum diuerſis. Id vero inſtitutum ab athletis, voracitatis inducendæ cauſa, maxime frequentabatur: cui ſe vitæ generi nobiliſſimus quisque Græcorum addicebat,

bat, adeo vt ſimul hæc conſuetudo per omnem gentem vulgaretur, & cum aliis Græcorum inſtitutis ad Romanos tranſiret. Quis vero non videt, quam diuerſus ſit iſte diæteticus priſcorum vomitus ab illis apud nos frequentibus vomitum provocandi modis, per medicamenta emetica ore aſſumenda? Facile autem mihi foret oſtendere præclaros viros vomitoriarum medicinarum, in febribus tam intermittentibus quam acutis, vſum tueri voluiſſe tam crebrorum apud Aegyptios, Græcos & Romanos vomituum exemplis, & prorſus in argumentum præclari fructus hinc exſpectandi ſimul allegare particulas volatiliores medicinæ emeticæ in ſanguinem penetrantes, abſolutaque ventriculi euerſione omnia excretoria organa ſtimulantes: quales certe in veterum illo diætetico vomitu fruſtra allegantur. Refertur etiam de Eraſiſtrato, quod purgantia omnia reprobauerit, a coena vero vomere homini adſueto certis caſibus permiſerit: quam quidem conceſſionem non opus eſt mirari, & aut inconſtantiam Eraſiſtrato tribuere, aut vomitoriorum præ purgantibus magnam & peculiarem prærogatiuam inde ſuſpicari: quum blandus ille vomitus in homine adſueto nihil mouere poſſit eorum, quæ Eraſiſtratus ab omni euacuatione fieri metuit, & propterea vſum eorum tollere conatus eſt.

Apparet iam ex vnico vomituum exemplo quam facile fieri poſſit vt veteres omnino contra mentem ipſorum intelligamus & allegemus, niſi hiſtoria, tamquam filo Ariadneo, ducamur. Enimuero facta veterum omnino facilius intelliguntur & memoriæ obuerſantur, quam dogmata, eorumque verus ſenſus. Per omnia inde a medicinæ ortu, ad hodiernum vſque diem, tempora ſpiritus in ſubſidium vocati ſunt ad explicanda œconomiæ vitalis varia negotia. Eos Hippocrates genituram vtero incluſam ſubire & fœtum articulare docuit: eosdem Eraſiſtratus arteriis incluſos ad omnes partes diducit, vt a-

nimal artus ſuos libere & cum facilitate mouere poſſit: Athenæus, ſectæ pneumaticæ auctor, nihil fere non tribuebat ſpiritui: Galenus eos arteriis etiam relinquit, ſed ſanguini innatantes & permixtos: recentiores denique auctores ſpiritus vbique laudant, & magnis in corpore regundo vtilitatibus præficiunt. Enimuero quam diſſona ſint quæ verbis iisdem tradere auctores tanto temporis decurſu videntur, norunt illi, qui definitiones ſpiritus vocabulo, in tam diuerſis ſcholis adhibito, cuiusuis dogmati congruas accuratius rimantur.

In procliui omnino eſſet longe pluribus exemplis oſtendere, quam fieri non poſſit vt veteres recte intelligamus, ex eorumque monumentis fructum capiamus, niſi bene explorata ipſorum dogmata habeamus, & in quibus diuerſa a nobis ſenſerint, meminerimus: hoc autem ex medicinæ hiſtoria diligentius culta nos conſequi. At vero omnino confido fore vt nemo elegantis ſolidæque doctrinæ medicæ ſtudioſus ignoret, aut non facile per ſe conſequatur, diſciplinam per aliquot mille annos plurimas metamorphoſes paſſam, faciem ſuam ſæpiſſime mutauiſſe: fierique non potuiſſe, quin, re plerumque eadem manente, artis termini plurimum in alios ſenſus detorquerentur: horum vero aliquem indicem habere neceſſarium eſſe intelligant. Neque vero fieri etiam poteſt vt non iucundum æque ac fructuoſum ſit intelligere quantum medicinæ faciendæ noſtro æuo familiaria inſtrumenta ab iis differant, quibus veneranda antiquitas aduerſus morbos pugnare nouerat. Vſque adeo certe diuerſa vetus illa medicamentorum ſuppellex a noſtro apparatu fuit, vt credam bonum Hippocratem, ſi ipſi rediuiuo apud nos verſari liceret, non magis vti noſtris armis poſſe, quam Dauidi aduerſus Goliathum pugnaturo Sauli arma congrua videbantur: & ſi quem ſibi in grauiori morbo curando adiungi ſocium cuperet, vereor vt ſolus manere debeat,

niſi

niſi forte Polybum generum, aut Dioclem, Euryphontemue ab inferis accerſere daretur: nam noſtrum nemo ipſius curandi rationes ſequitur.

Quum itaque tantam diuerſitatem veteris medicinæ ab illa, quæ hodie obtinet, intelligerem, cœpi primo in meam priuatam vtilitatem diligentius vetera conſiderare, & vndiquaque colligere, quæ deſiderii me compotem redderent. Contigit vero mihi, ſingulari felicitate mea, vt medicinæ ſtudiis vltimam manum in Illuſtris medici Domini FRIDERICI HOFFMANNI *ædibus imponere, ſæpeque cum humaniſſimo viro priuatos ſermones de rebus vtiliſſimis inſtituere liceret. Hic autem amorem illum hiſtoriæ medicinæ in me deprehenſum non ſolum crebris excitationibus fouit & vlterius inflammauit, verum etiam conatus meos optimis conſiliis direxit, & liberrimo bibliothecæ ſuæ inſtructiſſimæ vſu conceſſo, omninoque ad votum meum comparatis pluribus voluminibus, ita adiuuit, vt iam auderem manum amplificandæ huic hiſtoriæ admouere. Cupiebam autem ſingularia argumenta potius excutiendo ſtudii eiusdem amatoribus induſtriam comprobare, quam animum integræ hiſtoriæ ſcribendæ adiicere. Hoc conſilio* de athletis veterum eorumque diæta, *nec non* de elleboriſmis veterum *anno* cIɔ Iɔcc XVII. *aliqua commentabar. Enimuero eodem anno rogabant me amici quidam commilitones, vt hiſtoriam medicinæ prælegere ipſis vellem: quod quum denegare ipſis non poſſem, primæ lineæ ducebantur eius opuſculi, cuius nunc primam partem publicæ luci expono, poſtquam in hac Altdorfina Academia plurimo, quod præfiſcine dicam, ſtudio pridem collecta ad examen reuocaui, & occaſione prælectionum academicarum, in ordinem redacta auditoribus pro memoriæ ſubſidio deſcribenda permiſeram.*

Videri potero actum iam laborem, & bene peractum a viro doctiſſimo & laudatiſſimo Domino D. DANIELE

 CLERICO

CLERICO *ſuſcepiſſe, quippe a quo conſcripta medicinæ hiſtoria omnium calculos eſt promerita. Enimuero me a ſcribendo neutiquam deterrere potuit illius Viri prægreſſa induſtria. Nam tunc quidem temporis adeo rara proſtabant illius hiſtoriæ exemplaria, vt vix comparari pretio poſſent, et de noua editione nondum audiueram cogitari. Accedebat quod is vir doctiſſimus vltra Galeni tempora ſcribendo non erat progreſſus, iamque publice ſignificauerat vix a ſe ſperandam eſſe operis continuationem: & quod Gallica lingua ſcripſerat, quam ſtudioſorum medicinæ pauciſſimi ita callent, vt cum fructu legere hoc idiomate conſcriptos libros poſſint. Neque tunc fando quicquam perceperam de doctiſſimi Britanni Domini* D. IO. FREINDII *inſtituto medicinæ hiſtoriam poſt Galeni tempora concinnandi, quæ lucem demum apud Batauos, Gallice loqui docta, adſpexit, poſtquam omnem laborem exegeram et vsque ad tempora renaſcentium litterarum medicinæ fata, non ſine magno labore, conſignaueram. Sed neque nunc, vbi etiam hic pulcerrimus ſane fœtus in publica luce verſatur, meum propoſitum ille euertit: quum res ipſa loquatur, & eruditiſſimus auctor profiteatur ſibi potiſſimum, & prope dixerim vnice, illud curæ fuiſſe, vt praxeos rationem haberet, nihilque exhibere eum voluiſſe, niſi quod ad illam partem illuſtrandam faciat: mihique adeo ſatis amplo ſpicilegio, poſt meſſem Freindianam, locum relictum eſſe videam.*

Cœpi igitur conſilium agitare de edendo fœtu meo, remque cum patronis & amicis quibusdam communicaui, vt ipſorum conſiliis adiutus melius, quam ſolus potuiſſem, defungerer ſuſcepto opere. Obtigit promte bibliopola honeſtiſſimus, qui editionem ſumtibus ſuis procuraret, cumque ſatis multum temporis limando poliendoque operi de nouo inſumſiſſem, prælo ſubiectum eſt, iam ante annum, & quod excedit tempus. Perlatum interea ad nos

nos fuit quanta animorum contentione apud Britannos de ingenua priſcorum Romæ medicorum conditione decertetur. Dum itaque meum laborem eo vsque fere deduxeram, vt locus eſſet, quo de hoc argumento exponi deberet: omnem moui lapidem vt ſcriptorum de hoc argumento ſchediaſmatum particeps fierem: præſertim quum mihi res digna videretur, de qua non obiter ageretur. Enimuero fruſtra in hunc vsque diem exſpecto illas commentationes, licet apud eruditos viros ſæpius requiſitas, & a bibliopolis anxie petitas. Cepi itaque conſilium, quo & mihi, & bibliopolæ commodis, conſulerem, ſcilicet vt in duas partes commentationem meam diuiderem, primamque hanc, a rerum initio ad Græcanicæ medicinæ in vrbem Romam aduentum, luci nunc exponerem: alteram, vsque ad renaſcentium litterarum epocham, per exigui temporis interuallum domi premerem, & interea comparandis illis ſcriptis vlterius inhiarem.

En rationes cur ſerius, quam ſpem feceram, & pro integra dimidiam hiſtoriæ medicinæ partem, nunc luci exponam. Fecerimne ſcribenda illa operæ pretium, liberimo æqui & harum rerum intelligentis lectoris iudicio permittitur. Quibus auctoribus vſus ſim, ingenue vbique profiteor: ipſique mihi optime ſum conſcius, quod nihil, niſi iterum iterumque examinatum, poſuerim, minimeque feſtinanter ea, quæ alii ante me poſuerant, in meas paginas tranſtulerim. Sæpe me eadem cum D. D. CLERICO *tradere profiteor, vbi me ipſius rei conſideratio docuerat rem ita ſe habere, vt ab illo erat propoſitum: ſed nec raro me ab illo diſcedere lector beneuolus animaduertet, etiam ſi de hoc diſſenſu minime admonui. Neque volui quemquam, a quo diſſentirem, nomine ſuo appellare: factum tamen eſt vt ſemel Almelouenius duriuſcule correctus ſit: quod omnino omiſiſſem, ſi illo tempore, quo ſub prælo iſtud folium exſcribebatur, domi fuiſſem*

& re-

relegere potuiſſem. Video etiam ſæpe minime exſpectata & præuiſa itinera effeciſſe vt in pauculis plagulis, me abſente excuſis, errata exſtantiora relicta ſint, quæ quidem, quo pacto corrigi debeant, indici ſubiecta admonitio docebit. Tabulam chronologicam adiici omnino neceſſarium viſum fuit. In hac concinnanda vſus ſum R. P. DIONYSII PETAVII *laudatiſſima induſtria, ſequutus quippe calculos ab ipſo* in doctrina temporum *pridem accurate poſitos. Quod ſupereſt æquum lectorem rogo, velit laborem noſtrum publico inſeruiendi deſiderio ſuſceptum & exantlatum, æqui bonique conſulere. Scribebam Altorfii Norimbergenſium a. d.* XXI *Septembris*
CIↃ IↃCC XXVIII.

ADMONITIO
DE TABVLA CHRONOLOGICA

In hac concinnanda ſequutus ſum R. P. DIONYSIVM PETAVIVM. Coniungo autem epocham mundi creati Chriſtique nati vbique : quibus addo Olympiadum ſeriem annoſque Romæ conditæ vsque ad initium ſæculi Chriſtiani quarti. Nam quum hiſtoria ex multis diuerſarum nationum auctoribus haurienda ſit ; & nunc huius nunc alterius epochæ mentionem inueniamus: hoc conſpectu labor calculi ſimul & ſemel tolletur. Inde a ſæculi Chriſtiani ſeptimi anno viceſimo ſecundo etiam Hegira computanda eſt , quoniam ob ſcriptores Arabicos carere illa non licet.

Conſpectus omnium epocharum.

Ante Chriſtum natum				
3984.	Mundus conditur			
3983.	I. annus mundi conditi			
776.	3208	Olympias prima.		
754.	3230	VI. 3.	Roma conditur	
———	3983	CXCIV.4	753.	Chriſtus naſcitur
a Chriſto nato 1	3984	CXCV. 1	754.	
622	5335	———	———	Initium Hegiræ , ſeu fugæ Muhammedis.

Si quis annis mundi addat 730. inueniet annum periodi Iulianæ, qua ſæpe ſola Petauius, ipſiusque chronologiam ſequuti, vtuntur.

TABVLA CHRONOLOGICA HISTORIAE MEDICINÆ

CERTO EXPLORATA MOMENTA INDICANS.

A mundo condito ad annum vrbis Romæ DXXXV.

Tempus fabuloſum indefinitum.

Orientis quidam populi, ſeorſim vero Babylonii, Aegyptii, Sinenſes, Malabares, ſtupendam ſuæ gentis, religionis, ſapientiæ & medicinæ iactant antiquitatem, multis annorum myriadibus mundi conditi ætatem, quam ex ſacris litteris edocti ſumus, excedentem. Has vero inficetas fabulas tranſire omnes liceat.

HERMAN. CONRINGIVS *aduerſ. chronol. c.* IX.

Quæ Chaldæi aut Babylonii olim de temporibus prodiderunt, multum inter ſe diſſonare nemo nemo non videt. Docet vero vel ſolus ille diſſenſus nihil certi illos habuiſſe. - Ceterum omnes illas annorum myriadas inani mendacio eſſe confictas, ex ſacra hiſtoria abunde omnibus eſt perſpicuum.

DIONYSIVS PETAVIVS *in animaduerſ. ad Epiphanium, p.* 12.

Non mediocris ineptiæ eſt hiſce nugis & quisquiliis locum in hiſtoria chronologiaque tribuere.

Ante Chriſtum natum		
3984.		Mundus creatur.
3983.	1.	Mundi creati annus primus.
		Medicina inuenitur.
		Thubalcain chemiæ metallurgicæ magiſter.
3054.	930.	ADAM, primus homo, primusque medicus, moritur.

Ante Chriſtum natum.	A. Mund.	
2942	1042	SETH moritur.
2329	1655	Diluuium vniuerſale.
2328	1656	
		Poſt diluuium de medicina, quod relatu dignum ſit, parum inuenimus : nata autem tunc fuit & aucta Aegyptiorum medicina, debetque hoc interuallo Iſis Oſiris, & Hermes floruiſſe, quibus Aegyptiæ medicinæ inuentio tribuitur.
1769	2215	Joſephus patriarcha ab inuidis fratribus venditus in Aegyptum deducitur, cuius occaſione medici & ſeorſim pollinctores Aegyptii in ſacris memorantur.
1575	2409	Circa hoc tempus putatur Jobus eſſe mortuus.
1531	2453	Iſraelitæ, Moſe duce, ex Aegypto proficiſcuntur.
		Melampus floret : vt & Chiron Centaurus.
1263	2721	Argonautarum expeditio, quam medicinæ Græcanicæ initia exiguo interuallo ſuperant.
		Medea & Circe.

 Aeſcu-

Ante Chriſtum nat.	A. Mund.			
1247	2737	Aeſculapii religio cœpit.		
1194	2790	Troiani belli initium, cui interfuerunt Podalirius & Machaon, Aeſculapii filii. Alii etiam heroes medicinæ gnari.		
1004	2980	Salomôn, Rex Judæorum ſapientiſſimus, floret.		
916	3068	Aſa, Rex Judæ, pedibus laborans, Deo præterito, a medicis opem petit.		
776	3208	Olympias prima.		
754	3230	VI. 3.	Roma conditur	
753	3231	VI. 4.	I.	annus ab urbe condita.

Tobias

Ante Chriſtum nat.	An. Mund.	Olympiad.	Rom. conditae.	
690	3295	XXII. 3.	64.	Tobias iunior patris cæcitatem diſpellit.
616	3368	XLI. 1.	138	Necos, quem Nechepſum putant, in Aegypto regnat.
525	3459	LXIII. 4.	229	Perſæ Aegyptum occupant.
522	3462	LXIIII. 3.	232	Democedes Crotonienſis floret & in Perſarum poteſtatem venit.
505	3479	LXVIII. 4	249	Floret Callias, qui cinnabarim inuenit.
500	3484	LXX.	254	Pythagoras moritur. Florent diſcipuli Alcmæon & Empedocles, anatomes cultores.
433	3551	LXXXVI. 3.	321	Romani peſtilentia preſſi Apollini ædem, pro valetudine populi, vouent.
430	3554	LXXXVII 3.	324	Sæua Athenis peſtilentia, quæ poſtea recruduit anno 4.
404	3580	XCIV. 1.	350	Democritus moritur. teſte DIODOR. SICVLO *lib.* XIIII. p. 401.

Ante Chriſtum nat.	A. Mund.	Olymp.	Rom. condit.	
				Euryphon floret, vt & Nicomachus Ariſtotelis parens.
				Herodicus ſ. Prodicus Selymbrianus medicinam gymnaſticam inuenit. Plato floret.
357	3627	CV. 4.	397	Hippocrates moritur. Theſſalus & Draco, eius filii & gener Polybus florent: vt & diſcipuli Hippocratis, Prodicus, Dioxippus & Apollonius.
356	3628	CVI. I.	398	Alexander M. naſcitur. Philiſtio. Eudoxus Cnidius, Meton Athenienſis, Praxagoras, Diocles, Chryſippus Cnidius.
342	3642	CIX. 3.	412	Ariſtoteles Alexandri tunc 14. annos nati præceptor conſtituitur, huncque principem & commilitones medicinæ philoſophiæque naturalis amore imbuere cœpit.
336	3648	CXI. I.	418	Alexander M. regnare cœpit.

Ale-

Ante Chriſtum nat.	A. Mundi.	Olymp.	Rom.condit.	
331	3653	CXII. 2.	423	Alexandrinæ vrbis initium. Expeditionem ſequuntur medici complures Græci, vt & philoſophi.
324	3660	CXIV.	430.	Alexander M. moritur. Ptolemæus Lagi Aegypto præeſſe cœpit.
294	3690	CXXI. 3.	460	Eraſiſtratus in aula Seleuci degit & Antiocho novercam perdite amanti vitam conſeruat.
				Herophilus & Eudemus in Aegypto anatomen maximo cum ſucceſſu colunt: quo Eraſiſtratus etiam, iam ſenex, venit & ſe theoriæ ac anatomicis ſtudiis conſecrat.
				Theophraſtus Ereſius floret: ipſi coæuus fuit Thrayas Mantinenſis & Alexiades.
291	3693	CXXII. 2.	463	Aeſculapii ſignum Romam Epidauro transfertur.
286	3698	123. 3.	468	Serapis Alexandriam transfertur.

Ptole-

Ante Chriſtum nat.	A. Mundi.	Olymp.	Rom. condit.	
287	3699	123.4	469	Ptolemæus Philadelphus regnare cæpit, & litteris ac medicinæ plurimum fauit: bibliothecam Alexandrinam condidit.
				Apollophanes Seleucienſis, Eraſiſtrati diſcipulus, regis Antiochi Soteris gratia floret.
				Herophilei & Eraſiſtratei florent. Sectæ Empiricæ exortus. Philinus Cous, & Serapion florent.
260	3724	130	494	Floruit Ariſtogenes, ex Chryſippi ſeruo & diſcipulo medicus Antigoni Gonatæ factus.
234	3750	136. 3.	520	Cato Cenſorius naſcitur.
219	3765	140. 2.	535	Primi Romam medici Græci veniunt.
218	3766	—- 3.	536	Andreas medicus obtruncatur.
154	3830	156. 3.	600	Finiunt DC. illi anni, quibus ex Plinii ſententia Roma ſine medicis fuit.
149	3835	157. 4.	605	Cato moritur, annos natus LXXXV.

HISTO-

HISTORIAE
MEDICINAE
PERIODI PRIMAE
SECTIO PRIMA
DE
MEDICINAE PRIMA ORIGINE ET SEORSIM DE MEDICINA AEGYPTIORVM PLVRIVMQVE GENTIVM.

Capitibus quinque
agitur

I. De Medicina antediluuiana.

II. De medicinæ poſt diluuium propagatione et amplificatione : ſeorſim de ortu medicinæ Aegyptiæ.

III. De medicorum et medicinæ apud Aegyptios antiquos ſtatu.

IIII. De pollinctura et alchemia Aegyptiorum, vt et medicina exoterica ſeu vulgi : nec non de quibusdam recentioribus medicinæ Aegyptiæ auctoribus.

V. De aliarum gentium antiquiſſima medicina.



Cap. I.

De Medicina antediluuiana.

CONSPECTVS.

DEVS auctor medicinæ celebrandus eſt. I.

Quo ſenſu pagani homines idem dixerint. II.

Quid Rabbini, eosque ſequuti, perhibeant. III.

Quo ſenſu rectiſſime dicatur. IIII.

Homines videntur medicinæ primas doctrinas experiendo didiciſſe. V-VIII.

Experientias vero illas attente notare, et propagare iuſſit ſtudium ſe ſuosque conſeruandi. VIIII. X.

An vero Adamus ex characteribus et ſignaturis rerum creatarum profecerit, in medio relinquitur. XI.

Iuuit vero naſcentem doctrinam medicam longæuitas primorum hominum. XII.

Chemiæ beneficio, vt aliqui iactant, comparata. XIII.

Qua ſpecie chemiam ad Adamum vsque extendant. XIIII.

et vnde originem repetant. XV.

De egregoris diuerſæ ſunt ſententiæ. XVI.

De Thubalcaino. XVII.

et Setho, eiusque prouido beneficio. XVIII. XVIIII.

Hæc cum chemiæ metallurgicæ antiquitatem confirment, ad medicam tamen nihil faciunt. XX.

Præſertim quum longæuitatis cauſæ ſimpliciores adſint. XXI.

nam corpora robuſtiora nacti erant primi homines. XXII.

ſimplicior victus erat: forte etiam aer ſalubrior. XXIII.

deniq, Deus voluit eos eſſe nobis longæuiores, vt mundus incolis impleretur. XXIIII.

Noachum quoque fingunt magnum fuiſſe chemicum. XXV.

I.

Omnium gentium communi conſenſu rectiſſime ſtatuitur, DEVM O. M. auctorem medicinæ a mortalibus celebrandum eſſe; quamuis non omnes recte intelligere videntur, quo nomine ipſum tanti beneficii auctorem agnoſcant.

II. Paganorum hominum plerique fingunt et pingunt nobis deos deasue, qui terris tantum beneficium intulerint, hominesque artem vel totam, vel certas partes illius, docuerint: aut a diis generatos homines, deinceps in concilium deorum receptos, nobis narrant, qui non deſinant illis, a quibus religioſe coluntur, per ſacerdotes ſuos idem beneficium elargiri: de quo in Aegyptiorum Graecorumque rebus plura dicendi locus erit.

III. Rabbini, eosque ſequuti ex Chriſtianis et Muhammedanis plures, perhibent a DEO primo homini libros vel librum, cum omnibus ſapientiæ partibus etiam medicinam complexos, datos fuiſſe: eidemque adiunctum præceptorem, Razielem angelum,* et librum expoſuiſſe et plura ſuggeſſiſſe.

* Iudæi non Adamo ſoli, ſed et aliis patriarchis, adiunctos angelos, tamquam de hac re certiſſimi, nominant. Confer celeberrimi polyhiſtoris D. D. FABRICII *Codic. pſeudepigr. V. T. pag.* 4. Apud eundem *pag.* 27. legi poteſt de libro Razielis. Muhammedani decem libros a Deo ad Adamum perueniſſe in fidei ſuæ compendiis docent, vt videri poteſt in illo, quod erudiтiſſimus ADR. RELANDVS cum verſione et notis iterato edidit.

IIII. Hæc vt partim impie, partim ſtolidiſſime, perhibentur, inconſulteque creduntur: ita DEVM verum celebrare auctorem medicinæ haud veremur: quippe auctorem fabricæ corporis ſeu naturæ noſtræ, quæ recte conſtituta ſanitatem optime tuetur et conſeruat, morbisque

biſque ingruentibus valide reſiſtit. Eundem quoque agnoſcimus auctorem ſanæ mentis, quæ ex naturæ operum, inque conſeruanda reparandaque ſanitate proceſſus atque methodi conſideratione, quid factu opus ſit, prudenter colligit, effectus vero et euentus obſeruatos fideli memoria conſeruat. Ne dicam, quanto iure medicinæ auctor vel eo intuitu colatur, quod ex latiſſime patentibus rerum naturalium regnis ad medendum præclariſſimis viribus plurima inſtruxit, largaque manu ſuppeditauit.

Conferatur Illuſtris STAHLII diſſertatio *de Deo veræ medicinæ auctore.*

V. Facile autem intelligitur hominem primum cum ſua coniuge, poſtquam propria culpa mortalitatis legem ſubierant, non potuiſſe diu viuere, quin ab ipſa rerum magiſtra experientia deducerentur ad cognitionem certarum veritatum, quæ quaſi fundamentum illius ſcientiæ, quæ hodie medicina vocatur, præbuerunt.

VI. Quid magis conſentaneum eſt, quam quod famem ſitimque ſatis crebro experti ſint, earumque remedia cibum atque potum exiſtere: cibos potusque adſumtos egeſtiones conſequi: calorem et frigus corpus alterare et afficere: ſolis radios calefacere, vmbram refrigerium præſtare, certos ventos æſtum, alios frigus adferre, et quæ ſunt huius generis alia, didicerint.

VII. Quantum phyſiologicarum veritatum non didicerunt quum ſe mutuo contemplarentur primi coniuges, quum amplecterentur, coirent; Eua grauiditatis initium, progreſſum, exitum experiendo diſceret? Valdeque vero ſimile eſt Adamum, ipſius rei præſentis neceſſitate compulſum, laboranti amicæ obſtetricias manus adhibuiſſe, ſicque chirurgiæ primam forte operationem exercuiſſe. Forte etiam tunc primum hæmorrhagiæ exemplum vterque vidit et miratus eſt protoplaſta-

rum. Certe primum vmbilicum tunc viderunt in recens nato puerulo, lactisque prouentum et uſum cognouerunt: meconii etiam notitiam, ſi eo attendere licuit, conſequuti ſunt: vt et in ſuccreſcentibus paruulis incrementi varios gradus, dentium primum ortum eorumque rurſus caſum, nouorumque ſucceſſionem, aliaque, quæ ad pubertatem vsque in alterutro ſexu mutantur, non obſeruare non potuerunt: quum talia non in omnibus adeo tacite et tranquille mutentur, quin plerumque aliquid noui incidat quod admirationem excitet, animumque primo inter ſpem metumque ſuſpendat. Ex quo facile cognoſcitur non diu poſt phyſiologiam ortam pathologiæ addiſcendæ neceſſitatem obtigiſſe: hygieinenque cum vtraque ſimul ſuccreuiſſe.

VIII. Mortis primum exemplum, ſi non ex natis aliqui prius naturaliter exſpirarunt *, viderunt in Abele a Caino percuſſo: vbi ſimul differentiam hæmorrhagiarum nouam obſeruare licuit.

* Negant Iudæi quemquam natorum ex primis parentibus ante ſuos parentes fuiſſe exſtinctum: primumque, cui hoc contingeret, fuiſſe perhibent Haranem illum, de quo *Geneſ. XI*, 28. legitur. Conferri iterum meretur D. D. FABRICII *Cod. pſeud. V. T. pag.* 45. Ceterum conſtans Chriſtianorum orientalium traditio eſt Adami mortui corpus non humatum fuiſſe, ſed aromatibus conditum et aſſeruatum. Noachi cura illud ad Semum perueniſſe, Hieroſolymæque tandem terræ mandatum eſſe. De quo iterum videatur D. D. FABRICIVS *c. l. p.* 243. *et* 267. BARTHOLEMÆVS D'HERBELOT. *in biblioth. orientali p.* 56. *voce* ADAM. En pollincturæ antiquitatem ex perſuaſione orientalium, qui de aliis etiam patriarchis idem, quod de Adami funere, perhibent.

VIIII. Plura poſſent adduci, quæ quiuis, animo ſibi ſiſtens illorum temporum ſtatum, et ſimul cogitans quid non fieri in vita quotidiana non poſſit, propria meditatione facile adſequitur. * Agnoſcemus autem

facile

facile Adamum, non minus quam coniugem Euam, ſuorum natorum propriæque ſalutis amore ductos, non negligenter ea notaſſe et natis tempeſtiue inculcaſſe, quæ in negotio vitæ ſanitatisque conſeruandæ experiendo didicerant, vt iisdem circumſtantiis recurrentibus vtilitatem inde caperent.

* Legere iuuabit S. R. D. REIMANNI *hiſtoriam litter. antediluu.* vbi de medicinæ Adami, et aliorum diluuio ſuperiorum, ortu pluribus exponitur.

X. Atque ſic omne illud, quicquid de medicina primi homines nouerunt, experiendo, expertaque probe notando, conſequuti ſunt, vt aliquem in hac cognitione habitum ſibi acquirerent.

XI. Sunt vero non infimi ſubſellii doctores, qui exiſtimant Adamum præter naturalem cognoſcendi atque iudicandi ἀγχίνοιαν, retinuiſſe inter alia facultatem ex characteribus et ſignis*, quibus quælibet res ſe ipſam manifeſtat, earum naturam cognoſcendi: ex quo non ſolum factum ſit, vt rebus nomina naturis ſuis conuenientia impoſuerit; verum etiam ut ſingulis, ad vitæ huius incommoda propulſanda, ſuamque et liberorum ſuorum felicitatem promouendam, vſus ſit.

* Conf. S. R. D. D. BVDDEI *introd. ad hiſtor. philoſop. Ebræor. §. I.* Magno certe antiquitatis conſenſu illa ὀνοματοθεσία animalium ex *Geneſ. II*, 18. *ſeqq.* ad ſapientiæ Adami confirmationem trahitur. Sed totam rem aliter expoſuit Dom. HERMANNVS AB HARDT φιλολογώτατος Profeſſor Helmſtadienſis *in epiſtola ad P. M. Noltenium* 1705. *edita*, vbi Abarbanelem ſecum facientem adducit. Ipſi adſtipulantem video CL. REIMMANNVM *hiſt. litt. antedil. p.* 52. 53. Sed eſto intelligendum eſſe locum ex communi interpretatione; quid aliud inde colligetur, quam DEVM hominis mero arbitrio reliquiſſe, quæ rebus creatis nomina vellet imponere? ISAAC. PEYRERIVS contendit etiam neceſſarium fuiſſe vt Adam, quo propriæ memoriæ poſteritatisque conſuleret, ipſo illo momento nomina

mina ſtatim in commentarios redigeret, quum præſcire poſſet vix vmquam fore vt ſingula iterum adſpiceret : non enim fert omnis omnia tellus. Sed eadem, puto equidem, cura feciſſet neceſſarium vt omnia depingi ſimul accurate curaſſet, vt poſt multa ſæcula vel ipſe, vel poſteri commentarium recenſentes, ſcire poſſent quod nomen cui animali debeatur. Ceterum palam eſt quam exiguum præcones doctrinæ ſignaturarum ſeu characterum fecerint operæ pretium : quemadmodum nihilo etiam minus conſtat quam parum doceant qui linguam naturalem iactauerunt aut quæſiuerunt.

XII. Acceſſit augendæ fouendæque obſeruationum tum copiæ, tum applicandi dexteritati, longæuitas primorum hominum admirabilis, quam conſequuti ſunt, aliquorum Chemicorum ſententia *, auxilio quorundam arcanorum, ſeu medicina quadam vniuerſali.

* Vide, ſi placet, iucunda ſomnia OSWALDI CROLLII *in præf. baſil. chym. p. m.* 105.

XIII. Apparet ex dictis chemicos illos non verecundari artis ſuæ antiquitatem vsque ad Adamum extendere: quod qua ſpecie ducti quibusque traditionibus innixi, faciant, locus hic maxime poſtulat exponi.

XIIII. Speciem nimirum ex ſacris litteris * deſumunt, quæ viro antediluuiano, qui Adamo certe coæuus fuit, peritiam tribuit æs & ferrum tractandi. Hunc locum vtcunque exponas, manet illud indubium THVBALCAINI huius ætate artem ex rudi minera ad vſum vitæ æs et ferrum præparandi, fuiſſe cognitam. Iam vero notum eſt longe maioris artis et operæ eſſe ferrum et cuprum excoquere, quam aurum et argentum : hocque inuenire et perficere neminem, niſi chemiæ peritum, potuiſſe arguunt.

* *Geneſ. IV*, 22.

XV. Hanc vero peritiam, utpote humano ingenio, tam rudi adhuc æuo, ſuperiorem, ab altiori repetunt

tunt origine, et nominatim tribuunt certis angelis ἐγρηγόροις, de quibus in ſcripto quodam apocrypho, quod Henocho tribuitur, commemoratur, quod cum mulieribus hominum conſuetudinem contraxerint, easque artes, quas in profanos emanare nefas erat, docuerint.

XVI. Vt itaque ſunt, qui ſine ambagibus angelos hic intelligunt, ſic alii metaphoricum ſenſum hic arripiunt, et per angelos, aut, vt ipſa ſcriptura innuit, filios Dei *, intelligunt poſteros Sethi, tamquam Deo peculiariter dilectam familiam, cui Adamus arcana, ſecum per Razielem, aut ex libro concredito, communicata, tradiderat. Ex his aliquos, pulcritudine feminarum Cainitidarum allectos, cum his matrimonia contraxiſſe, et arcana illa effutiiſſe.

* Sethum ob vitæ ſanctitatem Θεὸν, aut ſaltem Dei filium, fuiſſe dictum, eiusque familiam ſeorſim cultui Dei et ſapientiæ conſecratam, pulcritudine autem præ aliis conſpicuam fuiſſe, apparet medio potiſſimum æuo fuiſſe creditum. Vide teſtimonia *Georgii Syncelli*, *Anonymi* a *Matth. Radero* laudati, *Suidæ* et *Theodoriti*, exhibita a Cl. FABRICIO *Cod. pſeudep. V. T. p.* 132. - 145. Eosdem vero eſſe qui vocantur egregori, ex iisdem ſcriptoribus facile conuincimur. Cur vero id nomen gerant, alii inquirant. Nunc iuuabit antiquum ſcriptorem Chriſtianum audire de illis artibus, quas hi egregori homines profanas docuerint. Eſt is TERTVLLIANVS in libro *de cultu feminar. c. x.* ubi hæc tradit: *Illecebras detexerunt, auri dico et lapidum illuſtrium, et operas eorum tradiderunt, etiam ipſum calliblepharum, vellerumque tincturas inter cetera docuerunt.* Idem *de hab. mulieb. cap.* 2. *Angeli, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt - - cum et materias quasdam bene occultas, et artes plerasque non bene reuelatas, ſæculo multo magis imperito prodidiſſent, ſiquidem et metallorum opera nudauerant, et herbarum ingenia traduxerant, et incantationum uires prouulgauerant, et omnem curioſitatem, vsque ad ſtellarum interpretationem, deſignauerant, proprie et quaſi peculiariter feminis inſtrumentum illud muliebris gloriæ contulerunt, lumina lapillorum, quibus monilia variantur, et circulos ex auro, quibus brachia artantur, et medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur, et illum ipſum nigrum*

grum puluerem, quo oculorum exodia producuntur. Hæc ſe ex Henochi apocrypho hauſiſſe deinceps ſubiicit, deque libri auctoritate diſputat. Si quis vero ipſa Græca apocryphi libri verba legere cupit, inueniet apud ſæpe laudatum *Fabricium l. c. p.* 179. *ſeqq.* Inter hæc arcana male reuelata fuiſſe chemiam non quidem expreſſe legitur: multo minus illam χρυσοποιητικὴν: nec ex verbis *pag.* 183. τὰ μέταλλα τῆς γῆς, καὶ τὸ χρυσίον πῶς ἐργάσωνται, καὶ ποιήσωσιν ἀυτὰ κόσμια ταῖς γυναιξὶν, καὶ τὸν ἄργυρον κ. τ. λ. neceſſario colligitur. Sed ZOSIMVS ille *Panopolites*, cuius exemplar in bibliotheca regia Pariſienſi exſtat, nominatim illis in acceptis refert χημᾶ. En verba: ἔστιν οὖν ἀυτῶν ἡ πρώτη παράδοσις χημᾶ περὶ τούτων τῶν τεχνῶν. ἐκάλεσαν δὲ ταύτην τὴν βίβλον χημᾶ, ἔνθεν καὶ ἡ τέχνη χημία καλεῖται. BORRICHIVS *de ortu et progr. ch. p.* 12.

XVII. Tali ratione arcanarum artium participem factum Thubalcainum, ex Caini ſtirpe ortum, aliis hominibus porro easdem artes propalaſſe, eodemque meritum fuiſſe vt Vulcani nomine a poſteritate celebraretur, inque Deorum numerum referretur.

XVIII. Sethum interea creditas ſibi artes ſanctius aſſeruaſſe, et, quoniam præuidebat mundum primum fatalibus vndis delendum eſſe, iniiſſe viam, qua ſeruari illæ propagarique poſſent. Nimirum duas columnas,* alteram lateritiam æneam alteram, poſuiſſe, quibus ſuas artes inſcripſerit, vt aduerſus ignem et aquam ſaluæ manerent, poſterisque inſeruirent erudiendis.

* De columnis Sethianis IOSEPHVS *antiquit. Iudaic.* I. 3. tradit, ſuperfuiſſe vnam ἄχρι τοῦ δεῦρο κατὰ γῆν τὴν Σιειάδα. Vltimam hanc vocem ſic retinui vt edidit CL. FABRICIVS *l. c.* Sed Lipſienſis editio legit Συειάδα: cum qua lectione plerique faciunt, qui in Syria illas quærunt. Sed apud SYNCELLVM *Manethos* perhibet ſe profeciſſe ἐκ τῶν ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ κειμένων στηλῶν ἱερᾷ διαλέκτῳ καὶ ἱερογραφικοῖς γράμμασιν κεχαρακτηρισμένων ὑπὸ Θὼθ τοῦ πρώτου Ἑρμοῦ. Ex quo colligere licuerit ipſum hunc Sethum intelligendum eſſe primum Mercurium. Nam quinque Mercurios iam agnoſcit CICERO *de nat. Deor. III.*

XVIIII.

XVIIII. Et quamquam plerique auctores tradant Sethi columnis tantum inſcriptas fuiſſe artes ſiderales: contendunt* tamen ſub nomine aſtrorum, præcipue planetarum, intelligi metallorum tractationem, velut hodie etiam homonymia illa vſu inualuit.

* Videatur prolixe hæc perorans vir doctiſſimus OLAVS BORRICHIVS, *de ortu et progr. chemiæ.*

XX. Vt itaque facile largimur artem metalla tractandi eſſe antiquiſſimam: nondum tamen inde patet aut probatum eſt magnum illud poſtulatum, an ex metallis medicamenta parauerint homines antediluuiani: et ſeorſim an pharmacum aliquod, quo vitam adeo longam conſequuti ſunt, inde petierint, aut petitum poſſederint et adhibuerint.

XXI. Cur autem primi illi homines tam admirabilem vitae longitudinem conſequuti ſint: eius rei rationes dari et indicari poſſunt longe ſimpliciores, et vero propiores, quam vt nos vlla ratio cogat ad commentitiam quandam medicinam vniuerſalem confugere.

XXII. Et primo quidem certum eſt, nec conuelli vllo pacto poteſt, robuſtiora longe noſtris corpora nactos fuiſſe primos homines, nec tot morboſis diſpoſitionibus, vt nunc fit, hereditate in natos tranſeuntibus, infecta et quaſi carioſa.

XXIII. Deinde multa vero ſimile reddunt ſimplicius tunc fuiſſe viuendi genus, hominesque gulæ minus deditos vixiſſe, mollitiem, multamque in cibis et potibus varietatem, quæ homines hodie corrumpit, neſciuiſſe, adeoque complures morbos ignoraſſe, qui hodie multos abripiunt aut ſaltem viſcera labe quadam chronica affligunt. Neque minus vero videtur ſimile ſalubriori aere vſos fuiſſe primos homines illis, qui a diluuio vixerunt; cuius rei cauſas mox intelligemus.

XXIIII. Neç video quid abſurdum contineat illorum ſententia, qui primis humani generis ſatoribus longiorem vitam DEVM, pro ſapientia et arbitrio ſuo, conceſſiſſe ſtatuunt, vt mundus incolis celerius repleri poſſet: quo admiſſo cogitationes omnes de vitæ termino per medicinas prorogato ſponte cadunt.

Conf. IOSEPHI *Antiquit. Iud. I.* 4. non mala opinio de cauſis longæuitatis hominum antediluuianorum. Certe ſi quid Ioſepho de medicina quadam longæuitatis innotuiſſet, aut ſi ex aliarum gentium ſcriptoribus, quos ibi plures laudat, in cognitionem veniſſet, quod vllus eorum hanc talem cauſam allegaſſet, vix credo ipſum rem tam notabilem,ſuisque maioribus honorificam, hoc tam commodo loco reticere voluiſſe.

XXV. Sed redimus ad hiſtoriam. Inter homines antediluuianos poſtremo conſiderationem meretur NOACHVS, qui vnus, quicquid prior orbis habuit ſapientiæ et medicinæ, conſeruauit et inſtaurato reddidit. Hunc oportet magnum fuiſſe chemicum, ſi quam fidem habere licet EDMVNDI DICKINSONI * iucundis fabulis de phoſphoro lucente, quo arcam illuſtrauit, et de tinctura omnis generis pabuli quintam eſſentiam complexa, cuius vna vel paucis guttulis exhibitis et animalia ſatiauerit, et effecerit ne fimus tot animalium arcam tantam, vnica tantum, vt ſupponit, ** feneſtra inſtructam, adeoque difficillime euentilandam, fœtore intolerabili et vitæ ſanitatique noxio repleret.

* Vide eius *phyſicam vet. et veram pag.* 486. *et append. II. pag.* 501.

** Neſcio ſane quid nos cogat locum *Geneſ. VI.* 16. cum Dickinſono ita exponere, tamquam loquatur de vnica tantum feneſtra cubitali: quum manifeſtum cuilibet accuratius intuenti fieri poſſit, in genere præcipi illo loco, vt luci aditus ex ſuperiori nauis parte paretur, feneſtris cubitalibus pro rei exigentia ordine circum vniuerſam arcam diſpoſitis. Sed hic locus non eſt quo rationes huius explicationis dare liceat.

CAP. II.

CAP. II.

De medicinæ poſt diluuium propagatione et amplificatione: ſeorſim de ortu medicinæ Aegyptiæ.

CONSPECTVS.

Noachum cum ſua familia medicinam orbi inſtaurato reddidiſſe certum eſt. I.

Cuius nunc maior neceſſitas enata videtur. II. III.

Noachum eſſe Bacchum aliqui exiſtimant, alii Saturnum. IIII.

Ex filiis Semus medicinæ a quibusdam vindicatur. V.

Sed maiori molimine Chamus. VI -- VIII.

Eius poſteritas inter alia Aegyptum occupauit. VIIII.

Eundem in fabulis Aegyptiis eſſe Iouem. X.

A Chamo Chemiam denominari: filium eius Mizraim haberi Zoroaſtrem. XI.

Quamuis alii Chamum velint eſſe Zoroaſtrem. XII.

De medicinæ auctoribus ex mente Aegyptiorum: ſeorſim de Serapi ſeu Oſiride. XIII.

De Iſide et Horo. XIIII. XV.

De Hermete XVI. -- XVIIII.

Difficultas in rationibus temporum conciliandis. XX.

Præſertim quum auctores valde diſſideant. XXI.

Orientalium de Hermete ſententia. XXII. -- XXV.

De Aſclepio Hermetis diſcipulo. XXVI.

I.

A diluuio Noachum familiæ ſuæ magiſtrum fuiſſe ad inſtaurandas artes vitæ neceſſarias, omnino veritati conſonum videtur: ſed nec filios, iam ad virilem ætatem tunc adultos, rudes fuiſſe aliquarum, nec in ſuis familiis propagationi earum defuiſſe, facile quisquam concedet: quare nec vlla eſt ratio, quæ nos iubeat de medicinæ, qualiscunque tunc eſſe potuit, propagatione et amplificatione dubitare.

 II.

II. Et forte nunc non minima acceſſit occaſio medicinam amplificandi, quum videantur cauſæ morborum amplificatæ. Nam qui dubitant de eſu carnium ante diluuium conſueto : a diluuio receptum admittunt. Vero etiam ſimile eſt inæqualitatem telluris, ab aquarum illuuie inductam, magnam fuiſſe : hinc paſſim ſtagna es et collectas aquas paludes formaſſe : quarum noxiæ exhalationes continuo valuerunt morbis gignendis. Quod mox a diluuio oportet innotuiſſe, quum, ſine dubio, multa paſſim in paludibus hominum et animalium vndis exſtinctorum contabeſcerent cadauera, multæque oceani belluæ, deficientibus vndis a regreſſu prohibitæ, tandem omnino exſtinctæ, computruiſſe videantur. Taceo vini vſum nuper repertum luxuriæ occaſionem nouam, morborumque materiam ſuppeditaſſe.

III. Atque non ſine ratione factum exiſtimo, quod homines a diluuio ſeruati primum in regione elata et montana exſcendendi copiam nacti fuerunt: veroque ſimile eſt non exiguo eos tempore ibi* hæſiſſe, donec aucta eorum multitudo circumſitas regiones occupare ſenſim coacta fuit : vbi primum fere laborem fuiſſe vt paludes noxias ſiccarent, ſalubresque ſic terras redderent, et cuiuis per ſe patet et fabulæ veterum, præſertim de Herculis cum hydra et cherſydro pugna difficili, de qua infra agendum eſt, declarare poſſunt. Eodem excogitata eſt fabula de Apolline Pythium colubrum conficiente, quæ, a poetis fictarum narrationum velamine inuoluta, veram rerum multis locis peractarum, adeoque multis locis applicabilium, narrationem abſcondunt. Nos hæc, quoniam a Græcis petenda ſunt, ** commodiori loco reſeruamus.

* Confirmat hanc coniecturam noſtram IOSEPHVS *Antiquit. Iudaic. I. cap. V. initio.*

** Saltem hodie. Nam Græcos hæc aliunde petiiſſe vero ſimile eſt. Certe DIODOR. SICVLVS fabularum originem ab

Aegyptiis

Aegyptiis peti debere multis locis innuit: et præcipue in paludibus exſiccandis Herculeum laborem Aegypto olim fuiſſe nauatum, docet *biblioth. hiſtor. I. pag.* 16. 17. *coll. p.* 21. *edit. Rhodom.*

IIII. Quoniam vitis culturam exercuit, hinc vero ſimile eſt Noachum hunc eſſe Bacchum, cui Græci vitis et hederæ inuentionem, Aſſyrii, Libyes et Indi etiam medicinæ, tribuunt. Sed SAMVEL BOCHARTVS * contra nititur, et mauult Noachum noſtrum eſſe Κρόνον ſeu Saturnum. Vſque adeo difficile eſt fabulas gentium extricare et ad veram hiſtoriam reuocare.

* *Phaleg. lib.* 1. *initio.* Conferantur EDMVNDI DICKINSONI *Delphi phœniciſſantes pag.* 73. et ſubiuncta diatriba *de Noæ in Italiam aduentu, eiusque nominibus ethnicis.*

V. Noachi tres filii, Iaphet primogenitus, Semus et Chamus fuerunt. Ex his Semus præcipue et Chamus medicorum catalogis diſerte inſeruntur. Et Semus quidem commentarios amplos de medicina reliquit, ſi fides eſt libro Ebraico, qui in bibliotheca Electorali Bauarica ſcriptus * exſtat, et in titulo promittit excerpta ex Semi voluminibus.

* Teſtis eſt SCIPIO SGAMBATVS *Archiuorum V. T. lib.* 1. cuius excerpta dat celeberrimus D. D. FABRICIVS *in Cod. Pſeudep. V. T. p.* 283. *ſeqq.* Idem (*p.* 291.) ex Phœnicum traditionibus ipſum facit patrem Dioſcurorum et Cabirorum, a quibus octaua generatione Aeſculapius fuerit progenitus. Putat etiam Semum eundem eſſe qui in ſacris dicitur Melchiſedecus.

VI. Circa Chamum medicinae, et ſeorſim chemiæ, vindicandum incredibili molimine a multis laboratum eſt. Ne autem hiſtoriam amittamus dum fabulas ad viuum reſecare ſtudemus, rem, vt a pluribus exponitur, narrare oportet.

VII. Perhibent igitur Chamum hunc artes diluuio ſuperiores laminis metallicis inſcripſiſſe, ſecumque in arcam

cam detuliſſe et conſeruaſſe: quamquam alii * dicunt non auſum fuiſſe illas arcæ inferre, ſed laminas æreas et ſaxa, quibus inſcriptæ fuerant, ſtudioſe ſub terra abdidiſſe, poſt diluuium requiſiuiſſe, inueniſſe, propagaſſe.

* Præeunte IO. CASSIANO, ſæculi V. ſcriptore eccleſiaſtico, apud CL. FABRICIVM *l. c. pag.* 294. citato et adducto.

VIII. Has artes illi, qui Aegyptiorum ſcientiam, et præſertim alchemiæ antiquitatem, acrius tuentur, exponunt laudabiles et præcipue ad chryſopoeiam ſpectantes: patres * magno conſenſu ſceleſtas, profana commenta, magiam interpretantur.

* Confer iterum toties laudatum *Codicem pſeudep. V. T.* pag. 297.

VIIII. Chamo autem obtigiſſe poſt diluuium Aegyptum et Africam: qua ampliſſima portione non contentos eius poſteros, iure belli etiam ademiſſe Semitis Babyloniam, magnamque Syriæ partem, et per has ſuas artes, cum impietate et idololatria coniunctas, deinde propagaſſe.

X. Aegyptum Chamo obtigiſſe plurima perſuadent. Non enim ſolum in ſacris ſæpe terra Cham vocatur: ſed profani etiam teſtantur illam vocatam eſſe Chemiam (χημία.) Multæ etiam vrbes appellatæ fuerunt nominibus in terminationem chemmi exeuntibus. Iupiter ibi ſub nomine Ἀμοῦν cultus fuit, ipſiſſimo nomine Chami, aſpiratione tantum demta. Denique præcipua vrbs Aegypti, ſacrorum ſummorum ſedes, No-Ammon, Græce Διόσπολις, vocabatur.

XI. Chamum autem in Aegyptiis ſiue fabulis ſiue hiſtoriis eſſe Iouem, qui Saturno genitalia præcidit, uti Græci ad poſteritatem propagauerunt, id cognoſci ex eo, quod in ſacra hiſtoria refertur de illuſione Chami et præuaricatione in patrem, quem nudum conſpexerat. Vnde inferunt, Pſeudo-BEROSVM ſequuti, quod Chamus

mus, opportunitatem nactus, quum Noachus pater nudus iaceret, illius genitalia contrectauerit, taciteque ſubmurmurans, carmine magico patri illuſerit, ſimulque illum ſterilem, perinde atque caſtratum, effecerit, nullam vt deinceps Noachus feminam fœcundare potuerit.

XII. Ab hoc itaque cum aliis artibus, præcipue propagatam etiam eſſe chemiam, eodem nomine, quo ipſa Aegyptus, a Chamo autem vtramque, appellatam: primoque perueniſſe, cum reliquis patris artibus, ad Mizraimum, qui porro Aegyptios, Babylonios atque Perſas docuerit, ſtatuunt: eſſeque hunc Mizraimum ZOROASTREM, quem orientales populi ſapientiæ omnis doctorem celebrant.

XIII. Sed Zoroaſtrem hunc ipſum eſſe Chamum non pauci auctores contendunt: quumque facile oſtendi poſſit de Zoroaſtre Perſarum, quod iunior ille ſit: excuſatione illa reſpondetur, potuiſſe plures fuiſſe Zoroaſtres, quemadmodum plures Mercurios admittere neceſſum eſt. Sed de Zoroaſtre deinceps ſolliciti erimus: nunc originem medicinæ Aegyptiorum tantiſper proſequemur.

XIV. Ipſimet Aegyptii de ſua medicina, vt orta illa fuerit, DIODORVM SICVLVM * ſic edocuerunt: Antiquiſſimum Aegypti regem OSIRIM in matrimonio habuiſſe ſororem ſuam ISIDEM. His regnantibus, conſilioque potiſſimum Hermetis vtentibus, mortales in Aegypto primo depoſuiſſe feritatem, frugibus ab Iſide inuentis, ab Oſiride autem agri colendi, fruges multiplicandi, vitemque tractandi ratione præmonſtrata. Oſiridem, domi omnibus rebus recte conſtitutis, expeditionem per omnes orbis partes inſtituiſſe, non armis homines ſubiugaturum, ſed vt beneficia exhiberet, agri colendi vitisque tractandæ rationem præmonſtraret. Si qua tellus

lus plantam vitis non admitteret, conficiendum ex hordeo potum docuiſſe, vini fragrantia et efficacitate haud multum inferiorem. Tot meritis conſequutum fuiſſe vt diuinis honoribus poſt mortem afficeretur, Iſide et Hermete maxime procurantibus, vt digno cultu honoraretur. Vocari autem Oſirin modo SARAPIN, modo Dionyſum, modo Plutonem, interdum Ammonem, quandoque Iouem, non raro Pana.

* *bibliotb. biſtor. l. I.* diuerſis paginis.

XV. De ISIDE, quam etiam Cererem, alii Theſmophoron, id eſt legiferam, quidam lunam, aliqui Iunonem, vocant, ipſa DIODORI SICVLI* verba, quae hic legantur digniſſima, apponam: *Iſin multa ſanitati hominum pharmaca inueniſſe Aepyptii tradunt, vtpote quae ſcientiae medicae fuerit peritiſſima, adeoque multa ſollerter excogitaſſe. Quam ob cauſſam nunc quoque ad immortalitatem elata ſanatione hominum maxime gaudeat, et in ſomnis, ſi quis opem expetierit, manifeſtam numinis praeſentiam, promtamque indigentibus bene merendi facultatem, exhibeat. Ad demonſtrandum haec afferre ſe, aiunt, non Graecorum more fabularum vanitatem, ſed factorum euidentiam. Nam totius prope orbis teſtimonio ſe niti, qui effuſis deam honoribus, ob praeſens in medicando numen, remunerentur. In ſomnis enim adſiſtentem aegrotis remedia contra morbos ſubiicere, eique morigerantes, nec opinato, conualeſcere. Multos etiam a medicis, propter morbi difficultatem, deſperatos ab hac ſalutem accipere: plurimos oculis prorſus captos, aut alia corporis parte mutilatos, ſi ad Deae huius opem confugerint, in priſtini vigoris integritatem reſtitui. Inuenit illa, inquiunt, pharmacum immortalitatis, quo filium Horum, Titanum inſidiis oppreſſum, et mortuum in aquis inuentum, non tantum reddita anima in vitam reduxit, ſed etiam immortalitatis participem fecit. Hic vltimus deorum, poſt parentis Oſiridis*

ab

ab hominibus translationem, regnaſſe videtur: Horumque interpretantur Apollinem, qui, medendi et vaticinandi artem ab Iſide matre edoctus, oraculis et medicationibus bene de mortalium genere meritus eſt.

* *biblioth. hiſtor. I. pag.* 22.

XVI. Iſidem ſepultam eſſe in vrbe Memphi, vbi ſuo adhuc tempore ſacellum eius in luco Vulcani monſtrabatur; idem DIODORVS SICVLVS * auctor eſt, etſi non diſſimulat aliorum diſſenſum.

* *l. c. pag.* 23.

XVII. HERMETEM * eximia ingenii perſpicacitate in excogitandis vitæ humanæ commodis inſtructum fuiſſe, primumque ferunt communem loquelam articulatim diſtinxiſſe, et multis rebus, nomine deſtitutis, nomina indidiſſe, litteras inueniſſe, Deorum cultum et ſacrificia ordinaſſe, aſtrorum ſeriem, vocumque harmonias et naturas, principem obſeruaſſe, palæſtræ inſuper inuentorem, numeroſæ concinnitatis, et corporis decore effingendi ſtudioſum artificem fuiſſe. Oſiridis denique notarius erat ſacrorum, cum quo is omnia communicabat, et cuius maxime conſilio vtebatur. Ipſe, non Minerua, vt Græci contendunt, oleæ plantam inueniſſe ab Aegyptiis perhibetur.

* DIODOR. SICVL. l. c.

XVIII. His ex Diodoro petitis, quum medicinæ inuentæ diſerta mentio non contineatur; quamuis excludi neutiquam poſſit, quum ſe Iſis ab Hermete edoctam profiteatur: de medicina ab Hermete reperta et propagata, ſeorſim vero de chemia, eaque ſublimiore χρυσοποιητικῇ, doctiſſimus D. D. OLAVS BORRICHIVS * veterum teſtimonia complura, ſiue diſerte ſiue per iuſtam conſequentiam illud decus Hermeti vindicantia, collegit et exhibuit.

 * Con-

* Conferri hic omnino debet huius illuſtris auctoris tractatus, qui inſcribitur *Hermetis, Aegyptiorum et chemicorum ſapientia ab Hermanni Conringii animaduerſionibus vindicata, cap. II. et. III.*

XVIIII. Quæ quum ſatis clarum reddant, quid antiquitas de origine medicinæ Aegyptiacæ perhibuerit, quosque primos auctores eius coluerit; nunc tantum adiicimus eundem Hermetem etiam vocari Thoth, Thoyth, Teuth, et Phoenicum lingua Thaauth.

XX. Sed incredibilis difficultas eſt, ſi reuocare hæc ad chronologiam, tamquam hiſtoriæ Lydium lapidem, velimus. Quippe, vt rem vno intuitu conſideremus, notandum eſt tradere Aegyptios apud ſe Deos per innumera ſæcula regnaſſe. Deorum duas claſſes, quarum prima octo, altera duodecim continet, ſolent conſtituere. Poſt hos demum tertia claſſis humano ſanguine natorum, ſed immortalitatem conſequutorum, locatur, in qua ſunt Oſiris, Iſis, et vltimus Deorum Horus, de quibus nos agimus. Poſt hos regnare cœperunt homines, quorum ætas imperii eo tempore, quo Sennacharib bellum Aegyptiis inferebat, i. e. A. M. 3270. computabatur omnino vndecies mille trecentorum et quadraginta annorum.* Ipſis vero Oſiridi, Iſidique, vsque ad Horum, tribuuntur anni circiter quater mille: vnde efficitur ætatem horum duodecim annorum millibus ſuperare mundi creati tempus.

* Vide HERODOTVM *in Euterpe.*

XXI. Hæc ita ſunt comparata, vt fidem omnino perdere omnem apud illos debeant, qui ſacræ ſcripturæ auctoritatem, vt par eſt, agnoſcunt. Quare ſi rei aliquid tribuimus veri, certe tempus inſigni compendio oportebit contrahi: præſertim quum Aegyptios nihil de his certi, quantumuis iactitarunt, habuiſſe, pateat, ſi conferamus ea, quæ *Manethos* de rebus Aegyptiacis ſcripto conſignauit, cum his quæ *Diodorus Siculus*, plus

quam

quam ducentis annis poſt ipſum, *Herodotus* autem ſesqui ſæculo ante Manethonem, conſignarunt, ut inter ſe in plurimis ſatis conuenientia, et, vt ambo profitentur, a ſacerdotibus Aegyptiacis fideliter accepta; ſic Manethonianis omnino repugnantia.

XXII. Videbimus igitur numquid certius, aut ad coniectandum verum propius adducens, ſuppeditent orientales ſcriptores. Hi vero, interprete HERBELOTO,* nos ſupra diluuium reuocant, et Hermetes plures docent. Primum vocant *Edriſum* ſeu Henochum, de quo confirmant, quod a DEO certos libros ſecretiſſimarum ſcientiarum acceperit, ipſeque quosdam alios condiderit. Hos exſtare apud Aethiopes: ſed a *Peireſcio* magnis ſumtibus comparati, et HOTTINGERO ac IOBO LVDOLFO inſpecti, omnino manifeſtis ſignis ſuppoſititii futiliſſimique deprehenſi ſunt. Poſt diluuium alium Hermetem apud Babylonios ſeu Chaldæos fuiſſe, alium apud Aegyptios. Hunc Aegyptium vocant cognominibus variis, vt *Tirſemin*, ex Græco *triſmegiſtus* corrupto: *Motallat alhikma*, *ſapientia ter maximum: Orous* id eſt Horum: *Vriai* ſeu *Ouraia*, quod ſignificat *doctorem primi ordinis:* denique *Dhouuanaio*, quod exponunt *ſaluatorem*, ſeu *liberatorem*, forte quod mortalium genus per ipſum ab ignorantia, variisque malis, fuit adſertum.

* in *bibliotheca orientali*, vbi videantur articuli *Hermes*, *Edris*, *Tirſemin* et *Vriai*.

XXIII. Primum Hermetem conſentiunt ante diluuium vixiſſe: alterum Chaldæum, breui poſt diluuium: tertium Aegyptium, tertii millenarii a mundo condito initio floruiſſe.

XXIIII. Eſto igitur illum, qui ante diluuium floruit, vel Henochum eſſe vel Sethum, vel quemcunque alium: tertium Aegyptiacum Oſiridis atque Iſidis conſi-

liarium doctoremque aſſumemus; parum ſolliciti an Mizraim vel alius fuerit quiscunque: Chaldaicum autem ſeu Babylonium, vel ipſum Zoroaſtrem eſſe, vel, quod KRIEGESMANNO * placet, Chanaanum Chami filium, Phœnicum proauum: nam apud hos etiam Hermetem cultum fuiſſe teſtis eſt HERODOTVS. **

* *comment. in tab. Smaragdin. p.* 12. *et* 13. Ipſi in hoc conſentit CL. BORRICHIVS *de ort. et progr. ch. p.* 63.

** in *Euterpe* p. m. 54.

XXV. Quicquid, inquam, ſit de conciliandis tam diuerſis ſententiis, fertur a priori antediluuiano poſteriorem profeciſſe, quamuis nec de modo, nec de argumento, conueniant. Dicit Manethos Mercurium ſecundum, quem et Agathodæmonem vocari perhibet, legiſſe columnas a priori poſitas, et a ſe bono fato repertas: ex iisque ſeorſim chemiam ipſum didiciſſe, hancque artem deinceps explicuiſſe et in ſacerdotum vſum poſſeſſionemque dediſſe, ZOSIMO *Panopolitæ* placet: alii tabulæ ſmaragdinæ inſcripta arcana, ab altero inuenta et explicata deinceps, perhibent.

XXVI. Ante quam vlterius progrediamur, dicendum eſt Aegyptiis etiam tribui aliquem Aſclepium, ſeu Aeſculapium, illumque dari Hermeti diſcipulum, vnde etiam in illis, quæ ſuperſunt, Hermeticis, * Mercurio Triſmegiſto collocutor Aſclepius iungitur.

* Hermetica hæc edidit FRANCISCVS PATRICIVS in calce *nouæ de vniuerſis philoſophiæ fol. Venet.* 1593. Sed eodem anno Hamburgi 8uo ex bibliotheca, vt titulus habet, Ranzouiana, e tenebris eruta prodierunt, ſub titulo: *Franc. Patricii Magia philoſophica,* teſte *Lindenio.* De ſcriptis ad Hermetem relatis videre iuuabit CL. D. D. FABRICII *Biblioth. Græc. L. I. c.* 10. 11. 12. de Horo etiam *cap.* 13.

XXVII. His itaque primis auctoribus Aegyptii medicinæ inuentionem et augmenta in acceptis referunt, hosque templis et honoribus remunerandos cenſuerunt: de quibus deinceps videbimus, ſi prius circumſpexerimus qualis antiqua Aegyptiorum medicina fuerit.

CAP. III.

Qualis medicina Aegyptiorum veterum fuerit.

CONSPECTVS.

Sermo nobis erit de ſtatu Aegypti ante Alexandri M. tempora. I.
De libris Hermetis, ex Clemente Alexandrino. II.
Medici erant ſacerdotes. III.
Sacerdotum conditio et diuerſi gradus. IIII. V.
Studiis quoque diſtincti erant. VI.
Artem ſuam ſine mercede exercebant. VII.
Sed ex præſcripta lege. VIII. VIIII.
Medicinæ eorum breue encomium. X. XI.
De anatome Aegyptiorum præclara referri non poſſunt. XII. XIII.
De Athothi rege anatomico. XIIII.
Plinii teſtimonium expenditur. XV.
De ſceletis Aegyptiorum. XVI.
Quid Aegyptio homini anatomen culturo obſtiterit. XVII.
Dogmata anatomicæ veritati contraria. XVIII.
Quatuor elementa ſtatuebant. XVIIII.
Siderum in corpora vim magnam credebant. XX.
Annos climactericos primi videntur docuiſſe. XXI.
De pathologia ipſorum. XXII.
De eorundem diæta. XXIII.
Quæ clyſteres, balnea, vnguenta frequentabat. XXIIII.
De Aegypti ſalubritate. XXV.
An olim crebris peſtilentiis obnoxia fuerit. XXVI.
An carnes ederint Aegyptii veteres. XXVII. XXVIII.
Non eadem omnibus Aegyptiis erant legitima. XXVIIII.
De potu Aegyptiorum. XXX.
Frugalitas ipſis adeo regibus præſcripta. XXXI.
Huic ab infantia adſueſcebant. XXXII.
De exercitationum apud Aegyptios vſu. XXXIII.
Eorundemque ſtudio munditiei. XXXIIII.
Vnde lineas veſtes amabant. XXXV.
Et comam non alebant. XXXVI.
Quæritur de circumciſione eorum. XXXVII.
Conſeruandæ ſanitati plura erant bene comparata. XXXVIII.
De diæta ſacerdotum ſeorſim. XXXVIIII.
De prognoſi Aegyptiorum: an vromantiæ ſint auctores. XXXX.
De praxi Aegyptiorum. XXXXI.
De materia medica eorum. XXXXII.
Venæ ſectionem creduntur adhibuiſſe. XXXXIII.

Nepenthes

Nepenthes Aegyptiorum. XXXXIIII. XXXXV.
Medicina Aegyptia magiæ non fuit expers. XXXXVI.
Incubationes in templo Iſidis et Serapidis. XXXXVII.
Vt et Vulcani templo. XXXXVIII.
Pauca de cultu et imaginibus Iſidis, Serapidisque. XXXXVIIII.
De Proſperi Alpini libro de medicina Aegyptiorum. L.

I.

QVo vero rectius cognoſcamus, qualis antiqua et genuina Aegyptiorum medicina fuerit; dabo operam vt remoueatur quicquid a Græcis, poſt Alexandri M. tempora rerum in Aegypto dominis, priſcis indigenarum inuentis adiectum exiſtimare licet.

II. CLEMENS ALEXANDRINVS,* vir et doctiſſimus et rerum patriæ ſuæ in primis gnarus habendus, hæc tradit: *Sunt XLII. Mercurii libri valde neceſſarii, qui continent omnem Aegyptiorum philoſophiam, quos ediſcunt.* (ii, ad quos ſinguli pertinent, de quibus in antecedentibus dixerat *Clemens* noſter.) *Sex autem poſtremos* οἱ παστοφόροι, *i. e. qui pallium geſtant, vt qui pertineant ad medicinam, nempe de conſtructione corporis, de morbis, de inſtrumentis, de oculis et poſtremo de muliebribus.*

* *Stromat. VI. pag. 634. ed. Sylburg.*

III. Quod itaque attinet ad conditionem medicorum, pertinebant illi ad ſacros homines ſeu ſacerdotes, id quod vel antecedentia apud Clementem docent, vbi quo ordine in ceremoniis ſacris procedant, exponitur, in quo quidem οἱ παστοφόροι dicti agmen claudunt.

IV. Quanta ſacerdotum fuerit dignitas, quantique reditus fuerint, ex DIODORO SICVLO* intelligitur. Quippe tertia pars Aegypti ſacerdotibus tributa erat, vt inde vitam ſuſtentarent, et Deorum cultui neceſſaria deſumerent. Migrabatque dignitas per hereditatem in poſteros perpetua ſucceſſione.

* *bibl. hiſtor. l. II. p. 66.*

V. Di-

V. Diuerſos autem fuiſſe gradus eorum vero videtur eſſe ſimile; quippe referendi huc etiam ſunt pollinctores ſeu libitinarii, de quibus idem DIODORVS * prodidit, quod ſint homines, qui artem a maioribus acceptam exerceant et propagent. Eosdemque teſtatur Aegyptios omni honore atque cultu dignari, quum inter ſacerdotes ſint, et in ſacrarium, vt homines ſacri, libere ingrediantur.

* *l. c. pag.* 81. 82.

VI. Propius ad conditionem medicorum inſpiciendam nos admittit HERODOTVS,* quando inquit: *medicinæ ita diſtributa eſt profeſſio, vt ſingulorum morborum ſinguli ſint medici, nulli ſimul plures curandos ſuſcipiant. Omnia autem medicorum plena ſunt. Alii oculis medicinam faciunt, alii capiti, dentibus alii, rurſus alii ventri medentur, a quibus diuerſi ſunt, qui morbis occultis medentur.*

VII. Faciebant autem medicinam gratuito, vtpote qui annonam ex publico accipiebant: ſaltem in expeditionibus bellicis, aut intra patriæ fines peregrinantes ciues omnes absque mercede curabantur, teſte iterum DIODORO.* Aliam autem fuiſſe de pollinctoribus legem infra audiemus.

* *lib. I. p.* 74.

VIII. Et medicinam exercebant ex lege ſcripta, per multos ab antiquo medicos illuſtres concinnata.* Si leges, quas ſacri codicis lectio tradit, ſecuti ægroto ſanitatem reddere nequeunt, culpa vacant et indemnes abeunt: ſi contra præſcriptum agant, capitis iudicium ſubeunt. Nam medendi rationem longi temporis vſu obſeruatam, et ab optimis artificibus ordinatam, paucos ingenio et ſollertia ſuperaturos legislator cenſuit.

* *Diodor. Sic. l. c.*

VIIII. Aliquod ſpeciale ſtatutum Aegyptiorum nobis prodit ARISTOTELES. * Scilicet poſt quartum morbi diem demum licere medicis aliquid mouere; ſi quis ante auſus fuerit, ſuo periculo feciſſe: quam quidem legem ipſe ſtultam pronunciat, alii excuſant. **

* *Politicorum III. cap.* 2.

** vid. CASP. HOFFMANNI *Inſtit. medic. I. cap.* 2. & 4.

X. Medicinæ Aegyptiorum breue encomium ISOCRATES* hoc ſcripſit: *Sacerdotes tot commodis gaudentes ad iuuanda corpora medicinam inuenerunt; non eam, quæ periculoſis medicamentis vtitur, ſed eiusmodi, quæ, quum æque tuto ſumi poſſint vt cibi quotidiani, tantas vtilitates habent, vt nemo neget et ſaluberrimis eſſe corporibus et diutiſſime viuere Aegyptios.*

* In *encomio Buſiridis.* Digna eſt oratio quæ tota legatur: multum enim facit ad Aegypti ſtatum antiquum noſcendum.

XI. Vidimus qua dignitate medici Aegyptii floruerint, et quomodo fortunis eorum ampliſſime proſpectum fuerit, quodque praxis eorum non tam prudenti iudicio permiſſa, quam κατὰ γράμματα, vt *Ariſtoteles* loquitur, aut, vt *Diodorus Siculus*, κατὰ ἔγγραφον νόμον inſtitui debuerit: ex quo non male forte concludetur theoriam etiam fuiſſe memoriæ potius quam iudicio commendatam, nec impune licuiſſe ſacrorum librorum transgredi terminos.

XII. Sed per partes eundo, qualis et quanta ars ipſorum æſtimari poſſit, conſiderabimus. Phyſiologia quum maxime a medico quærenda et petenda ſit ex corporum crebra diſſectione et ſcrutinio anatomico, non præter rem fuerit primo loco hic quærere, an et quantum anatome apud Aegyptios antiquos floruerit.

XIII. At vero quum id alibi ex inſtituto fecerim,* rem in ſummam contrahere hic placet. Simpliciter itaque

que profiteor, me nondum inueniſſe vnicum argumentum, quo antiquis Aegyptiis, ante Græcorum aduentum res ſuas ſibi habentibus, aliquod præclarum meritum de anatome vindicari poſſit, eaque omnia, quæ vulgo ad contrariæ ſententiæ probationem adferuntur, me neutiquam ab hac perſuaſione dimouere.

* *Hiſtoriæ anatom. Specim. I. §. 6. 7. 8. 9. 10.*

XIV. Nam quod fabuloſum regem Athothim, anatomicorum librorum auctorem, nobis ex Manethone apud IVL. AFRICANVM adferunt, bonum eſſet niſi ætatis ipſius computus mendacium proderet: quiqpe mille et fere trecentis annis ante mundum conditum floruiſſe et vixiſſe ipſum neceſſe eſt.

XV. Quod PLINIVM* adducunt teſtantem: *in Aegypto reges corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecuiſſe:* id intelligendum eſt de Lagidis ſeu Ptolemæis, quos medicorum induſtriam ampliſſimo fauore excitaſſe, large ſuppeditatis hominum corporibus, certum eſt.

* *Hiſtor. nat. XIX. 5.*

XVI. Quam parum iuſte pollinctura Aegyptiorum allegetur, ad anatomicam induſtriam aut ſcientiam genti huic adſerendam, inferius patebit: nunc argumentum ſpecioſiſſimum, de ſceletis apud Aegyptios ditiorum conuiuiis inferri ſolitis, conſiderabimus. Ad auctorem narrationis huius prouocant PLVTARCHVM:* ſed optimo auctori ne per ſomnum quidem in mentem venit technica ſceleti acceptio, quam noſtrates, ab intempeſtiuo gloſſemate GVILLIELMI XYLANDRI in errorem deducti, arripuerunt. Ceterum ipſe Plutarchus quid voce σκελετὸς intelligat, *nimirum hominem mortuum*, ſatis alibi declarauit: clariusque rem edocet HERODOTVS, ** quem Plutarchus ante oculos habuit.

* *In conuiu. VII. Sapientum.*

** *Libr. II. p. 60. ed. Camer.* Ex hoc loco clariſſime patet lignea fuiſſe defunctorum et conditorum hominum ſimulacra, quæ in Aegyptiorum ſingulorum fere, certe ditiorum omnium, ædibus, adſeruabantur et in honore erant.

XVII. Cetera patronorum ſcientiæ anatomicæ Aegyptiorum argumenta tam ſunt miſera, vt vel referre ea nunc pigeat. E contrario non decebat ſilentio premere documenta luculentiſſima, quibus Aegyptio homini anatomicam induſtriam omnino fuiſſe ereptam apparet. Ne quidem canem licebat in Aegypto interficere, aut ab alio interfectum diſſecare, quod id certiſſimo vitæ periculo iunctum erat, ſi quisquam auſus fuiſſet. Legatur de eo DIODORVS SICVLVS.* De fele, ibide, crocodilo, accipitre, pluribusque animalibus ſacris, eadem eſto ſententia, idemque Diodori Siculi diſertum exſtat teſtimonium. In illis vero animalibus, quæ mactare et ad cibum præparare licebat, licuit etiam, ſi id cuiquam curæ fuit, corporis fabricam ſcrutari: quod an factum ſit crebro, magnoque ſtudio aut artis magno incremento, non facile determinari poteſt.

* *Bibl. hiſtor. lib. I. pag. 74. 75.*

XVIII. Rudem anatomes faciem omnibus detectam ſiſtunt, quæ, tamquam genuina Aegyptiorum dogmata, ad nos propagata ſunt: quale eſt illud de neruo a digito annulari ſiniſtræ manus ad cor pergente; itemque de cordis ſucceſſiuo, per annorum decurſum, vsque ad quinquageſimum, incremento, et poſt illum parili decremento.

* Videatur CONRINGIVS *de hermet. med. p. 90. 92.* Conatus quidem eſt BORRICHIVS *hermet. vindic. in præf.* illam de neruo annularis digiti doctrinam aliquo modo excuſare: ſed lectori permitto iudicium.

XVIIII. Ceterum animantium corpora conſtare quatuor elementis, docuiſſe eos DIOGENES LAERTIVS*

auctor

auctor eſt, teſtemque Manethonem vocat. Addit SENECA ** quod in marem ac feminam ſingula elementa diſpeſcuerint. Videndum an forte hoc exemplo inſequuti medici didicerint de maribus et feminis in vegetabilibus crebro diſputare.

* *procemio. p. m. 7.*
** *Quæſt. natural. III, 14. p. 662. edit. Lipſ.*

XX. Præterea ſiderum cœleſtium magnam in corpus humanum vim ſtatuerunt, corporisque humani partes triginta ſex, totidem diis vel dæmonibus horoſcopi, ſubiectas eſſe, quibus tum ſanitas illarum partium, tum morboſa conſtitutio debeatur: quare hos dæmones colendos eſſe et carminibus certis placandos, tum vero etiam herbis, et lapidibus, horum dæmonum ſignaculis exſculptis, conciliandos. In quo baſis fere et cardo magiæ vertitur.

* CONRINGIVS *de herm. medic. p. 69. 70.*

XXI. Videtur etiam ab Aegyptiis emanaſſe dogma illud de annis climactericis, ſeu, vt PLINIVS* vocat, *ſcanſili annorum lege.* Tribuit is quidem Aeſculapio, quem eſſe Aſclepium, Hermetis diſcipulum, ſuſpicari fas eſt.

* *Hiſt. natur. VII, 49.*

XXII. Qualis pathologia fuerit, fere diſpaleſcit iam ex ſupra dictis. Nimirum morborum cauſæ referebantur ad dæmonas ſanitatis morborumque diſpenſatores. Exiſtimant aliqui pathologiam ipſorum inſignia capere debuiſſe incrementa ex viſcerum internorum conſideratione, quam in defunctis inſtituere licebat pollinctoribus. Et quum ſæpe vario modo corrupta illa deprehenderent, ortam eſſe illam opinionem, quam HERODOTVS* æque ac DIODORVS SICVLVS** affert, *morbos oriri ab aſſumtorum in alimentum corporis vitio*, probabile eſt.

* In Euterpe *pag. m. 60.*

** Biblioth. hiſtor. I. p. 73. *in omnis*, inquit, *nutrimenti digeſtione maiorem partem ſuperfluam eſſe, et hinc morbos generari.*

XXIII. Huic innitebatur ipſorum diæta, qua ſe aduerſus morbos præmunire poſſe putabant, ſi illos anteuerterent, principia morborum tollendo clyſteribus et potabilibus quibusdam purgamentis, ieiuniisque et vomitu: idque vel tribus diebus conſequentibus, per ſingulos menſes faciebant, vt auctor eſt HERODOTVS: * vel triduum aut quatriduum interponendo, vt DIODORVS SICVLVS, ** ſua forte ætate quisque, vidit et obſeruauit.

* *in Euterpe l. c.*

** l. c. Ceterum eandem diætam ad imitationem vocaſſe Græcos, facile apparet ex libello *de ſalubri diæta* Hippocrati, ab aliis *Polybo*, adſcripto.

XXIIII. Et ſane Aegyptiorum, ab aue ibide edoctorum, teſte PLINIO* et AELIANO, ** inuentum perhibentur eſſe clyſteres: quemadmodum tota illa diætetica corporis repurgatio, ad plures gentes deinde propagata, et ſeorſim athletico inſtituto accommodata, ab his primitus emanaſſe videtur. Quin vero etiam ſimile eſt frictionum, balneorum, vnguentorumque vſum apud Aegyptios *** antiquiorem, quam apud Græcos, fuiſſe: de quo iuuerit legere doctiſſimum PROSPERVM ALPINVM.

* *Hiſt. nat. VIII. cap.* 27. adde PLVTARCHVM, libello *de Iſide et Oſiride*, prope finem.

** In *hiſtoria animal.*

*** Non facio omnino meam ſententiam HIERONYMI MERCVRIALIS *var. lect. II.* 19. qui Aegyptiis hoc tribuit, quod vnguentorum mixtiones excogitauerint. Sed nec PLINIO *hiſt. nat. XXII.* 1. ſcribenti: *Perſarum eſſe debet gentis vnguentum;* omnino poſſum accedere. Præter enim, quod non patet Perſiam abundare illis aromatibus, vnde vnguenta odorata copioſe fierent: inſuper priſtina Perſarum frugalitas

ab

ab omnibus commendatur; notumque eſt ad luxum hanc gentem tum demum declinaſſe, quum, acquiſitis bello pluribus regionibus, hasque inter Aegypto, diuitias ingentes conſequeretur, omnisque generis lautitias deguſtaret. Iam vero quod caſtris Darii regis expugnatis, in reliquo eius apparatu, Alexander cepit ſcrinium vnguentorum, ex eo quidem non video illud ſequi, quod Plinius velle videtur, vt Perſæ inuenerint. Potuerunt enim accepiſſe a deuictarum gentium, quæ plures, et inter has Aegyptii, erant, aliqua quacunque, in qua longiſſimo tempore vſus hic potuit obtinuiſſe, ante quam Perſæ deuictarum gentium oblectamenta ad ſe raperent. Vt itaque certum aliquid ſtatuere hic difficile videtur: ita quam multa pro Aegyptiis faciant, præter *Mercurialem* etiam exponit OL. BORRICHIVS *Hermet. vindic pag. 109. ſeqq.* Illud ſaltem nemo negauerit, Græcos potius ab Aegyptiis, quam ab alia quacunque gente, vnguentorum accepiſſe vſum et artem.

XXV. Ceterum Aegyptios omnium mortalium ſaniſſimos degere, HERODOTO* viſum eſt, ob temporum anni, aut potius tempeſtatum, conſtantiam: quippe aeris qualitates minus ibi notabiles mutationes ſubeunt: vnde factum fuerit, ut hac præſeruatoria curatione, in morbis auertendis, facile operæ pretium facerent.

* In *Euterpe p. m. 60. ed. Camerar.* cui bene conuenit ISOCRATES *in laud. Buſir.* qui *Aegyptios integerrima valetudine vti et diutiſſime viuere* confirmat.

XXVI. Mirum videri debet illud de ſalubritate Aegypti adſertum, ſi cum hodiernis temporibus conferamus: quippe certiſſimis teſtimoniis conſtat ſingulis fere annis peſtilentiam Aegyptios affligere. An Herodoti ævo hoc inauditum fuit? an Diodorus Siculus propterea de eo ſilet, quia contrarium tunc obtinere ſciebat? Forte licuerit inde ad primam peſtilentiæ originem inueniendam iuuari.

XXVII. Ante quam a diæta Aegyptiorum abeamus, notare, propter aliquos temere inficiantes, liceat, apud illos eſum carnium omnino viguiſſe, etſi certis conditionibus circumſcriptus fuit. De ſacerdotibus expreſſe HERODOTVS: * *Non paucis vtilitatibus fruuntur: neque enim quicquam ex re familiari atterunt aut impendunt, et ſunt ipſis cibi ſacri cocti, et carnis, tam bubulæ quam anſerinæ, ſatis in ſingulos dies ſuppeditatur. Inſuper datur ipſis etiam vinum ex vuis. Piſces autem edere illis non licet. Fabas ne quidem ſerunt in tota illa regione.*

* In *Euterpe p.* 53.

XXVIII. Quae partes ſacrificatorum animalium ad eſum concedantur priuatis, ibidem exponitur. Nullius animalis caput edere licebat, ſed vendebant Græcis inter ipſos viuentibus. Inteſtina exempta abiiciebant: collo, cum artubus ſuperioribus inferioribusque, demtis, truncum, cui adhuc viſcera inhærebant reliqua, pane, melle, vuis, caricis, ture, myrrha et ſuffimentis repletum, oleo abunde ſuperfuſo, accendebant, Deoque adolebant. Rite, cum multis ceremoniis, peracto ſacro, partes reliquas comedebant. Idque facere cum vitulis bobusque maribus licebat: neutiquam cum femellis. Alibi oues, alibi capras mactare et comedere licuiſſe, alibi anſeres piſcesue, commemoratur: quibus lectis nemo dubitauerit de eſu carnium apud veteres Aegyptios licito.

XXVIIII. Neque tamen negauerim, Aegyptios circa carnium eſum frugalius verſatos fuiſſe aliis gentibus, hocque voluiſſe legumlatores, qui, quæ in vna regione (νόμους vocabant) permiſerant, in altera legibus ſeuere prohibebant. Cuius rei politicæ rationes forte etiam ſubfuerunt. Certe DIODORVS SICVLVS * et temperantiam docere eos voluiſſe, et, ne facile integra

gens

gens conſpiraret, legibus et inſtitutis inter ſe pugnantibus quæſiuiſſe, ſatis aperte docet.

* *Lib. I. p. 80. Declarauerunt docendos eſſe mortales, vt ab immodico comeſtilium vſu ſibi temperent: et ſi quiduis a quouis edatur nihil abſumentium ingluuiei tandem ſuffecturum.* Subiungit deinde rationes politicas, quas lector ab ipſo auctore petat: conferri etiam meretur PLVTARCHVS libello *de Iſ. et Oſir.*

XXX. Pro potu maxime inſeruiebat Nili aqua, cuius inſignis bonitas a pluribus prædicatur.* Deinde genus cereuiſiæ, de quo ſupra diximus. Aegypti enim naturam vitium culturam non admittere ** HERODOTVS teſtatur. Denique vinum, ab exteris forte potiſſimum apportatum, ſacerdotibus et regibus in vſu fuit.

* PLVTARCHVS *de Iſide et Oſiride: Nihil eſt quod Aegyptii maiori honore habeant Nili aqua. Sed pingues reddere et multas carnes ingenerare putatur.* Quoniam vero πολυσαρκίαν nec in boue, quem pro Api colebant, nec in ſe ipſis, deſiderabant, Apin ex peculiari fonte potabant. An ſacerdotes Nilo etiam abſtinuerint, illo loco non dicit, ſed alio commemorat, legum obſeruantiſſimos ſacerdotes nullam aquam luſtralem, niſi ex qua ibis biberit, vtpote puriſſimam, adhibere.

** Non abſolute vinis, iisque laude dignis, Aegyptum omnem caruiſſe, ſatis comprobat BORRICHIVS *hermet. vindic. cap. IIII. 2.* Videtur autem vitis culturam, præ frumentariæ rei cura, vel operæ pretium non feciſſe vel ſerius forte plerisque locis tentatam fuiſſe, quum non appareat cur HERODOTVS in *Euterpe p. m.* 60. ſcribere voluerit: οὐ γάρ σφι εἰσὶ ἐν τῇ χώρῃ ἄμπελοι: *Non enim habent in illa regione vites.*

XXXI. Frugalitatis teſtimonium vel ex ſummorum regum temperantiæ exemplo capias, de quibus, eorumque diæta, pulcra habet DIODORVS SICVLVS *: *Non agendi ad populum et iudicia obeundi tantummodo, ſed etiam deambulandi et lauandi, et cum vxore dormiendi, omniumque adeo per vitam agendorum, tempus definitum erat. Simplici præterea nutrimento vti, et vitulorum anſerumque carnibus veſci, et certam bibere vini*

menſuram, quæ nec ad repletionem immodicam nec ad ebrietatem faceret, in more habebant. Breuiter, tam moderata victus ratio præſcripta fuit, vt non legislator, ſed medicorum optimus, ad ſanam valetudinem omnia referens, eam inſtituiſſe videatur. Mirum ſane atque inſolens, quotidiani poteſtatem cibi non integram eſſe regi. cetera.

* *Lib. I. p. 64.* PLVTARCHVS *de Iſide et Oſiride* ex HECATAEO adfert, regibus ante Pſammetichum ne quidem licuiſſe vino vti: ab illo autem tempore ad certam menſuram bibere conceſſum fuiſſe, vbi notabilis eſt adiecta ratio, *quoniam reges ſimul eſſent ſacerdotes.* Ex eodem Plutarcho diſcimus ſacerdotes abſtinuiſſe a ſalis vſu, ob varias quidem rationes, ſed potiſſimum quod ſal, appetitum exacuendo, ad copioſiorem cibum et potum inuitat.

XXXII. Ad hanc frugalitatem ſtatim ab infantia ſua adſueſcebant Aegyptii: de quo iterum DIODOR. SICVLVS*: *Pueros absque ſumtu, frugalitate prorſus incredibili, educant. Nam coctilia quædam, ex vili paratuque facili materia confecta, papiri etiam medullas ſub cinere toſtas, radicesque ac caules paluſtres, nunc crudos nunc elixos et aſſos, apponunt. Sine calceamentis et nudi plerique educantur, ob commodam locorum temperiem. Impenſarum ſumma, quas in puerum faciunt parentes, vsque ad virilem ætatem, non vltra viginti drachmas ſeſe extendit.* Atque hæc de diæta ſufficiant, quoad victum.

* *Lib. I. p. 73.*

XXXIII. Quod ad exercitationes corporis pertinet, a Græcis eo maxime diuerſi erant, quod, teſtante iterum DIODORO,* palæſtram et muſicam apud eos diſcere moris non erat. *Nam e quotidianis palæſtræ exercitiis non ſanitatem, ſed exigui temporis robur et omnino periculoſum iunioribus, comparari exiſtimant.* An vero nec iuuenilem aut virilem ætatem adepti exercebantur?

tur? Certe Hermes Aegyptius palæſtræ inuentor celebratur: an forte tribui hoc Hermeti Phoenicio potius debebat, quæ natio in ludos effuſiſſima fuit? An artem minus, quam Græci, curioſe tractauerunt Aegyptii?

* *Libr. I. p. 73.*

XXXIIII. In viuendi genere Aegyptiorum illud quoque admirabile eſt, quod munditiei maximum ſtudium impenderunt, præeuntibus maxime ſacerdotibus exemplo, qui, teſte HERODOTO, * corpus totum tertio quoque die radendum curabant, nec vlla, niſi linea veſte, recens lota, induti diis rem ſacram peragebant, ne quis pediculus aut aliæ ſordes naſcerentur. Raſuram autem omnibus in vniuerſum Aegyptiis fuiſſe vſitatam, corpusque vel plane non, vel leuiter tantum tectum habere conſueuiſſe eos, diſcas ex eodem auctore.

* *In Euterpe p. m.* 53. *coll. Thalia p.* 85.

XXXV. Lini etiam optimi prouentu olim celeberrima Aegyptus fuit: vnde byſſinæ telæ non minima pars commerciorum in hac regione fuerunt: quod quidem pluribus comprobat SPENCERVS.* Seorſim autem Iſidis ſacerdotes lino indutos fuiſſe, ex multis poetarum locis, vbi *linigeri* vocantur, probari poſſet, ſi opus videretur. Neque ſolum in templo, verum etiam extra illud, eodem habitu lineo vſos eſſe ſacerdotes, colligere licet ex loco D. HIERONYMI a Spencero allato.

* *De legibus Ebræorum ritualibus III. cap. V. pag.* 53. ſeqq. teſtimonium *D. Hieronymi pag.* 59. legitur.

XXXVI. Comam non alebant, niſi vel peregrinantes, vel voto quodam diis obſtricti: * quem morem adhuc obtinuiſſe æuo Ptolemæorum, docere poteſt carmen CALLIMACHI *in comam Beronices*, quod ex interpretatione CATVLLI ſupereſt: vel potius carminis ſcribendi occaſio. Tantum igitur abeſt vt Aegyptii luctus

cauſa corpus raſerint, comamque totonderint, vt potius cura grauiori luctuque detenti comam crinesque aluerint.

* Conf. DIODOR. SIC. *p.* 16. *collat. p.* 74.

XXXVII. Non ſatis certo dicere auſim an Aegyptiis quoque circumciſio in vſu fuerit: ſunt certe qui affirmant: minus autem id determinabo, an aliquem ſanitatis ſcopum in hoc ritu ſuſcipiendo habuerint. Fuere ſane qui et hoc adſererent.

XXXVIII. PLVTARCHVS* quum de religione, aut potius ſuperſtitione, Aegyptiorum ſatis laboret ab ineptiarum ſpecie excuſanda, omnino declarat, nihil antiquius Aegyptiis fuiſſe ſanitatis illibatæ ſtudio, adeo vt in ſacrificiis, luſtrationibus et diæta vniuerſa, non inferior ſanctitate ſanitatis cura eluceat. Hanc adſertionem ſuam comprobat more illo, quo ſacerdotes, in ſolis honorem, ter ſolebant quouis die ſuffitus in templo facere, mane quidem reſina, meridie myrrha, veſperi vero trochiſcis cyphy dictis. Nec male de vtilitate huius inſtituti philoſophatur auctor, quem adeundum ſuademus.

* Libelli *de Iſide et Oſiride* extremo. Iuuabit autem vel ideo libellum percurrere, quoniam non inerudite occupatur in eruendo phyſico ſenſu totius illus perſuaſionis de Iſide, Oſiride, Horo, Hermete: de quibus ſimul adfert quicquid apud auctores diu iam deperditos de illorum hiſtoria inuenit, ſimulque multis ſupra dictis lucem affundit.

XXXVIIII. Diuus etiam HIERONYMVS* ex CHAEREMONE *Stoico*, de vita antiquorum Aegypti ſacerdotum refert: *quod omnibus mundi negotiis curisque poſtpoſitis, ſemper in templo fuerint, et rerum naturas cauſasque, ac rationes ſiderum, contemplati ſint: numquam mulieribus ſe miſcuerint, numquam cognatos, et propinquos, ne liberos quidem, viderint, ex eo tempore, quo*

cœpiſſent

cœpiſſent diuini cultui deſeruire, carnibus, et vino ſe ſemper abſtinuerint, propter tenuitatem ſenſus et vertiginem capitis, quam ex prauo cibo patiebantur, et maxime propter appetitus libidinis, qui ex his cibis et ex hac potione naſcuntur. Pane raro veſcebantur, ne onerarent ſtomachum: et ſi quando comedebant, tuſum pariter hyſſopum ſumebant in cibo, vt eſcam grauiorem illius calore decoquerent. Oleum tantum in oleribus nouerant, verum et ipſum parum, propter nauſeam et aſperitatem guſtus leniendam. Quid loquar, inquit, de volatilibus, quum ouum quoque pro carnibus vitauerint et lac: quorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicebant, colore mutato. Cubile eis de foliis palmarum, quas baias vocant, contextum erat. Scabellum accliue, et ex vna parte obliquum, in terra pro puluillo capiti ſupponebant, bidui triduique inediam ſuſtinentes. Humores corporis, qui naſcuntur ex otio et ex manſione vnius loci, nimia victus caſtigatione ſiccabant. Quæ quidem narratio ſuperius allatis ex *Herodoto* et *Diodoro Siculo* in aliquibus non ſatis congrua, lectoris iudicio permittitur.

* *Aduerſus Iouinianum Libro II. pag. 78. 79. edit. Froben.*

XXXX. Prognoſin Aegyptiorum, aſtrologia ſubnixam, ſatis certam fuiſſe GALENVS* prædicat, ipſeque præcepta illorum, lunæ obſeruationem præcipue inculcantia, proponit. Quod vero euentus morbi ex vrina perſpicere curauerint, aut omnino vrinæ, tamquam ſigno, attenderint, facile aliquis ex IOANNE LANGIO** obiter inſpecto colligat: ſed ſi adducta GALENI loca inſpiciat, de vrina quidem nihil inueniet, ſermonemque plane non eſſe de antiquiſſimis medicis Aegyptiis, ſed de recentioribus Alexandrinis iatroſophiſtis, domi reſidibus et tamquam oracula pandentibus, intelliget.

* *De diebus decretor. L. III. cap. VI.*

** *Epiſt. medic. I. ep. XI.* Verba hæc ſunt: *ſolius vrinæ indicio freti, domi, velut Alexandrinorum medici deſides, in ſolio, velut*

 ſacer-

ſacerdos Apollinis ex tripode, aut anus fatidica ex cryſtallo, non viſo ægro, ſed tantum inſpecto lotii vitro, -- nugari non erubeſcunt. Prouocat *Langius* ad *Galeni comm. in II. de nat. hom. §. vltim.* eiusdemque *commentarii in VI. Epidem. §. 1.* ſed nihil ibi, ad vindicandas vetuſtiſſimis Aegyptiis lotii artes vllo modo pertinens, inuenio. Nec vero mihi ſimile videtur Aegyptiorum ſacerdotes, munditiei ſtudio tantopere celebres, excrementaque adeo auerſatos, vt laneas veſtes, quoniam lanam excrementis accenſebant, repudiarent, lotio attendere fuiſſe auſos, aut non exiſtimaſſe dignitatem hoc ſuam valde atterere, ſi cuiuis lotium offerenti operam darent.

XXXXI. De praxi Aegyptiorum, præter generale illud encomium, quod magna laude olim celebrata per omnem orbem eorum dexteritas fuerit; quodque, ISOCRATE * teſte, *periculoſis medicamentis non vſi ſint, ſed eiusmodi, quæ cum æque tuto ſumi poſſint vt cibi quotidiani, tantas vtilitates habeant, vt nemo neget eos et ſaluberrimis eſſe corporibus et diutiſſime viuere;* parum in ſpecie adferre licet.

In *Laudatione Buſirid.*

XXXXII. Multæ paſſim medicinæ, tam ſimplices quam compoſitæ, ab HIPPOCRATE, GALENO, PLINIO, AETIO, aliisque veteribus auctoribus, nominibus ſuis laudantur et ad Aegyptios referuntur: quorum bonam partem quaſi compendio proponit doctiſſimus Vir OLAVS BORRICHIVS, * ad quem breuitatis nunc ſtudio cupidum lectorem remitto.

* In *Hermetis Aegyptiorumque ſapientia vindicata cap. IV. V.*

XXXXIII. Venæ ſectionem Aegyptios primum vocaſſe in vſum, ab hippopotamo edoctos, PLINIVS * auctor eſt, hiſce verbis: *Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magiſter exſtitit. Aſſidua namque ſatietate obeſus exit in litus, recentes harundinum cæſuras ſpeculatus. Atque vbi acutiſſimam videt ſtirpem, imprimens corpus venam quandam in crure vulnerat, atque ita*

ita profluuio ſanguinis morbidum alias corpus exonerat et plagam limo rurſus obducit. Quæ quidem verba non obſcure videntur ſignificare quod non ſolum præſeruatiue, verum etiam ad curationem morborum, hoc remedio vti, animalis huius exemplo, didicerint.

XXXXIIII. Magna laude celebratur apud HOMERVM* nepenthes, ὀργῆς καὶ λύπης φάρμακον, vt DIODOR. SICVLVS** exponit, hoc eſt iræ et triſtitiæ remedium, cui poeta tantas vires tribuit, vt quisquis illud vino permixtum biberit, toto illo die triſtitiam non ſit ſenſurus, ſi vel pater aut mater ipſius moriatur, aut ſi quis coram oculis ipſius fratrem aut cariſſimum amicum iugularet. Canit autem poeta Helenam hoc nepenthes in Aegypto accepiſſe a Polydamna Thonis vxore. Illuſtrat hunc poetæ locum DIODORVS, et fidem facit ſuo adhuc æuo efficaci hoc remedio mulieres Thebis Aegyptiis, quæ et Dioſpolis nomen geſſerunt, vſas fuiſſe, famamque fuiſſe, apud ſolos Dioſpolitanos inueniri.

* *Odyſſ.* Δ. v. 220. ſeqq.

** *Libri I. extremo.*

XXXXV. Quum multi auctores non conſona inter ſe attulerint, vt exponerent quale remedium illud fuerit; quorum ſententias adferre inſtitutum meum non patitur: vero ſimillima videntur quæ placuerunt OLAO BORRICHIO,* qui nos ad opium et daturam, ambas Aegypti plantas, deducit. Quod quidem eo facilius fidem inuenire debet, cum et hodie orientales ſcriptores conſentiant GALENO,** optimum opium eſſe Thebaicum docenti, nobisque indicent Thebanæ Aegyptiæ regionis oppidum Abutige, prouentu eius præcipue celebratum.

* *Hermet. Aegyp. ſap. vind. p.* 128. Auctores de nepenthe Homerico commentatos indicat D. D. FABRICIVS *biblioth. Græc. Lib. II. c. VI. p.* 349.

** *De antidot. L. II.*

XXXXVI. Ceterum in medicina Aegyptiorum multa fuiſſe magica et ſuperſtitioſa, iam ſupra indicauimus: nunc addimus doctiſſimum BORRICHIVM* non pauca, ſine ſufficienti ratione infamata, facili opera ab hac accuſatione liberare, quem videndum commendamus.

* *Hermet. vindic. pag.* 167.

XXXXVII. Frequentiſſime ſolebant ad templum Iſidis et Serapidis confugere, ibique morborum remedia, dum templis incubabant, per ſomnos reuelanda exſpectare. Quæ res quum ad Græcos quoque deducta fuerit, ex quorum ſcriptis de hoc ritu clarius licebit exponere: vbi ad hos peruenerimus copioſius de ea agere licebit.

XXXXVIII. Idemque factitatum fuiſſe in Vulcani templo circa Memphim, auctor eſt STRABO:* quod ex iis, quæ ſupra dixi, facile intelligetur. Commemoratur etiam templum Aeſculapii in crocodilorum littore.

* *Geograph. Lib. XVII. p.* 801.

XXXXVIIII. Quem cultum Iſidi, Serapidi ſeu Oſiridi, et Aeſculapio Aegyptii habuerint, non adeo exploratum eſt. Multa apud DIODORVM SICVLVM* leguntur de tauris duobus, quorum alter *Apis*, alter *Mneuis* vocabatur. Ille Memphi, hic Helipoli alebatur, diuinosque honores habebat. Apis autem, quem ſub bouis cognominis perſona honorabant, ipſum eſſe Oſiridem graues auctores perhibent. Quanta ſuperſtitione hunc coluerint, apud citatum Diodorum legatur. Ceterum plura de his cupientem remitto ad D. D. CLERICVM,** qui imagines Iſidis, Oſiridisque exhibet. Ibidem quoque de *Anubi* legitur, quod nomen Mercurium ſ. Hermetem deſignare, vero mihi ſimile hinc reddi-

redditur, quia caduceum ſerpentibus circumdatum manu gerit.

* *Bibl. hiſtor. I. pag.* 74. ſeqq.

** *Hiſtor. medic. lib. I. cap. 6.* Ceterum durauit hic cultus in Aegypto vsque ad Sæc. Chriſtianum IIII. vbi de eius abolitione aliqua dicam. Sed non ſolum in Aegypto manſit hæc impietas, verum etiam per Græciam et Italiam propagata eſt: quin ad ipſos Indos eam eſſe deductam, ibique hodie ſupereſſe, recentiorum auctorum pluribus teſtimoniis facile comprobari poſſet.

L. Plura de medicina Aegyptiorum practica cupientem ablegamus ad doctiſſimi PROSPERI ALPINI opus *de medicina Aegyptiorum.* Quum vero is deſcribat quæ per plures annos in Aegypto commoratus ipſe vidit: hincque occaſione arrepta antiquum morem oſtendat: cauendum eſt ne omnia pro meræ et antiquiſſimæ Aegyptiorum medicinæ ſpeciminibus habeamus: facile enim probari poteſt multa recentioris eſſe æui a Græcis demum et Arabibus introducta, quæ, inde ab horum temporibus ad æuum *Proſperi Alpini*, durauerunt et forte adhuc hodie durant.

CAP. IIII.

De pollinctura et alchemia Aegyptiorum, vt et medicina vulgi ſeu exoterica: nec non de recentioribus quibusdam medicinæ Aegyptiæ auctoribus.

CONSPECTVS.

Summa dicendorum hoc capite. I.
Pollinctores quinam fuerint. II. animalia etiam condiebantur. not.
Proceſſus conditura. III — V.
Pix cedria quid fuerit. VI.
De nitro Aegyptio. VII.
De pollinctura Perſarum obiter. VIII.

Alchemiæ inuentor Hermes celebratur. VIIII.

Præcipuum argumentum pro alchemia Aegyptiorum. X.

Quod non eſt ſatis certum aut neceſſarium. XI.

Reges Aegypti magna opera, ſine alchemiæ ope, potuiſſe perficere. XII. XIII.

Aurifodinæ Aegyptiorum. XIIII.

Borrichii obiectiones diluuntur. XV.

Alchemiæ ab Aegyptiis progreſſus ad Colchos, ſecundum Borrichium. XVI.

De medicina Aegyptiorum exoterica. XVII.

Abrahamus patriarcha, an Aegyptios medicinam docuerit. XVIII.

Cur id aliqui perhibuerint. XVIIII.

Ioſepho idem a quibusdam tribui. XX.

De ſeruis Ioſephi medicis. XXI.

De Iachene, medico Aegyptio. XXII.

De Nechepſo. XXIII.

I.

Ante quam Aegyptios antiquos mittamus, curatius agere decet de ipſorum pollinctura ſ. balſamatione, de eorundemque alchemia: deinde diſpiciemus de medicina, quæ apud ipſos fuiſſe videtur, exoterica ſeu vulgi: tandem paucula dicemus de quibusdam recentioribus, qui ab aliquibus medicinæ Aegyptiæ auctores perhibentur.

II. Pollincturam a certo hominum genere, quod ad ſacerdotum collegium pertinebat, peractam fuiſſe, iam ſupra attigimus. Ex his præcipui erant et quaſi directores totius negotii, ſcribæ dicti, qui et ſumtuum impendendorum conſignationem defuncti propinquis exhibebant, et, vbi de mercede conuenerat, locum inciſionis deſignabant. Hoc facto is, qui dicebatur paraſchiſta ſeu inciſor, abdominis, quantum opus erat, lapide Aethiopico incidebat; quo facto ipſi celeriter aufugiendum erat: cuius rei rationem reddit DIODOR. SICVLVS.*

* *Biblioth. lib. I. p.* 82. Ex auctore hoc *pag.* 74. intelligas pollincturam non ſolum humanis cadaueribus fuiſſe deſtinatam et adhibitam, verum etiam animalibus ſacris. *Si quod*, inquit,

quit, *illorum interiit, ſindone inuolutum, cum eiulatu pectora tundentes, ad ſalituram* (ταειχείαν) *deferunt. Tum oleo cedrino, et aliis, quæ et fragrantiam, et diutinam cadaueris integritatem præſtant, conditum, in ſacris cryptis ſepeliunt.*

III. Quando corpus inciſum erat, illi porro, ad quos hoc pertinebat, ad ſecti cadaueris curationem accedebant. Vnus per hiatum manu ad præcordia immerſa, quicquid inteſtinorum eſt, præter cor et renes, extrahebat. Alius aluum, cum viſceribus ſingulis, repurgatam, vino palmeo, aromaticisque odoribus perluit.

IIII. Lotum deinde cadauer per plures triginta dies (HERODOTVS LXX. dicit) macerabant nitro Aegyptio: deinde cedria pice, aliisque, delibutum reddebant. Dehinc myrrha ac cinnamomo, aliisque, non longiori tantum conſeruationi, ſed etiam fragrantiæ aptis, conditum propinquis reddebant: vbi ſingula corporis membra tantam habuiſſe ferunt integritatem, vt etiam palpebrarum et ſuperciliorum pili, adeoque tota corporis ſpecies, inuariata perſiſtat, et formæ priſtinæ effigies agnoſcatur.

V. HERODOTVS addit, poſtquam maceratio ſufficienter peracta fuit, inuolui corpus faſciis lyntei byſſini, intermixto multo gummi, quo Aegyptii glutinis loco vtuntur. Idem teſtatur in ſumptuoſiſſima conditura, in quam, DIODOR. SICVLO notante, talentum argenti inſumebatur, aluum tantum incidi, et cerebrum, foramine per nares facto, ferro adunco extrahi. Mediocris, quæ XX. minis redimebatur, ne quidem admittebat alui inciſionem. Viliſſima perexiguos ſumtus requirebat, et, procul omni dubio, quanto fieri potuit maximo compendio inſtituebatur. HERODOTVS de his etiam ſequioribus modis agit, ſed, vt verum fatear, non ſatis ipſum capio.

VI. Pix cedria, quam Aegyptii in hoc negotio adhibebant, qualis fuerit, et quo apparatu facta ſit, deſcribit PLINIVS:* ex quo intelligas modum deſtillandi per deſcenſum eſſe antiquiſſimæ cognitionis. Quin veteres ex eadem cedria pice oleum ſeorſim potuiſſe acquirere, diſcas ex DIOSCORIDE,** vbi apparatus a noſtro valde diuerſus, ſed ſane curioſus, deſcribitur, deſtillationis nomine non indignus.

* *Hiſt. nat. XVI. cap. II.*

** *Lib. I. cap. 89.*

VII. Illud nitrum, quod Aegyptii ad pollincturam adhibuerunt, a noſtro plane diuerſum fuit, alcalinæ indolis, de quo STRABO* auctor eſt vltra Momemphin eſſe nitri fodinas duas, quæ plurimum præbeant: vnde tota hæc præfectura dicta fuit nomos nitriotis.

* *Libro XVIII.*

VIII. Præter Aegyptios etiam alias gentes pollincturæ artem calluiſſe et exercuiſſe, videtur extra controuerſiam eſſe poſitum. De Perſis rem ex orientalium libris claram facit D' HERBELOTVS,* qui refert mumiarum maximam copiam ex ſpelunca quadam prope Abim, Perſiæ ſtricte dictæ vrbem, adferri. Sed quæ ad nos deferuntur, Aegyptiæ potiſſimum ſunt: de quibus conſuli poſſunt eruditorum virorum variæ commentationes, quibus hoc argumentum diſcutitur. Quantum autem diuerſæ nationes inter ſe in modo condiendi conuenerint vel diſcrepauerint: haud facile quisquam expediet.

* *Biblioth. Oriental. voce: Moumia: la plus grande partie des Moumies de l' Orient ſe tirent d' une caverne qui eſt aſſez proche de la bourgade nommée Abin, ſituée dans la province de Fars, qui eſt la Perſe proprement dite.* Hodie etiam mumiæ Perſicæ per orientem honorem haberi, nuper docuit D. D. GOTTLOB SCHOBERVS, diſſertatiuncula medica *appendici ad Acta Phyſico-medica Acad. N. C. Vol.* I. *pag.* 150. *ſeqq.* inſerta. Ex hac autem apparet Mumiæ nomen illis in terris hodie tribui reſinoſo cuidam

cuidam concreto, ambræ nigræ ſimili, etſi ad balſamationem minime fuit adhibitum, nec amplius ad hunc vſum requiri ſolet. Indicat patriam huius mumiæ duplicem. Præſtantiſſima, et vnice in Regiæ aulæ vſum colligenda, prope ciuitatem Laer reperitur: ſequior ſpecies circa vrbem Loreſtan. De tali vero, quam Herbelotus nobis ex libris orientalium commemorat, mumia nihil fando percepiſſe videtur in illis Perſiæ finibus, quas doctiſſimum virum peregrinando attigiſſe video.

VIIII. Sed veniendum eſt ad diſquiſitionem eorum, quæ de alchemia Aegyptiorum magnifica ſatis perhibentur. Scilicet Hermetis præcipuum fuiſſe inuentum artem ignobiliora metalla in auri naturam perficiendi, non pauci nec modici viri perſuaſum habent. Cujus traditionis certitudinem ſi quæramus, præter antiquitatem perſuaſionis, et chemicorum ſecuram adſertionem, parum inuenimus. Nam quod ex Homero, tamquam homine Aegyptio, BORRICHIVS* aliqua epitheta Hermetis, vt et fabularum quarundam allegoricum ſenſum, chemicis laboribus applicabilem, adfert: id nondum euincit Hermetem artem transmutatoriam calluiſſe et docuiſſe: quum ſufficiat ipſum auri ex metallis, ſeu fodinis et mineris, extrahendi rationem forte præmonſtraſſe Aegyptiis.

* *Hermet. vindic. pag. 57. ſeq.*

X. Sed allegant et vrgent Aegyptiorum regum incredibiles diuitias, quæ certe non collectæ fuerunt ex mercatura: quippe Aegyptus olim arcebat peregrinos aditu, nec vmquam Aegyptios antiquiſſimos mercaturam exercuiſſe legimus. Magnificentia certe regum Aegyptiorum in tot pyramidibus excitandis, vrbibus condendis, labyrintho, Moeridis lacu, Oſymanduæ ſepulcro, de qua HERODOTVS et DIODORVS SICVLVS ampla et luculenta teſtimonia perhibent; et quorum operum hodieque aliqua exſtant; dubitare nos non ſinit, quod

quod incredibili argenti copia habuerit opus. Aeſtimare illam vel ex vnico ſpecimine iuuabit. Oſymanduæ monumento, præter reliqua ſtupenda, impoſitus fuiſſe legitur apud DIOD. SICVLVM * circulus aureus cubitorum CCCLXV. cuius craſſities cubitus vnus fuit. Hunc ſane circulum ſi ſolidum et ex puro auro conflatum fuiſſe ſupponamus, tanta ad illum parandum auri copia opus fuit, vt dubitem an collatum totius Europæ aurum, poſtquam tanta quotannis copia aduécta et eruta fuit, ſuffectura ſit eiusmodi circulo fabricando.

* *Bibl. Hiſtor. p.* 46.

XI. Vt vero non deſunt cauſæ addubitandi de veritate facti, quum Græci, qui nobis traditionis huius auctores ſunt, ipſi illum circulum non viderint: quippe diu antea ablatum a Perſis rerum Aegypti potitis: ita admittamus ſane fuiſſe eum. Quis vetat autem ſuſpicari non fuiſſe ſolidum hunc circulum, ſed concauum? aut ex materia ignobiliori, auro tantum incruſtatum? Hoc certe pacto ab immani eiusdem pretio mirum quantum decedet, vt ad illam mediocritatem redeat, quæ Aegypti regum reditibus facilius reſpondeat.

XII. Neque vero tantopere mirandum eſt Aegyti reges magnifica præſtare potuiſſe, ſi cogitemus regibus tertiam totius tam amplæ cultæque regionis partem fuiſſe propriam; in milites nihil fuiſſe erogandum, quippe altera tertia totius regionis parte aſſignata abunde contentos: nec miniſtrorum ſalaria quicquam abſumſiſſe; erant enim ſacerdotum collegio, abunde diuiti, adnumerati: temperantiam regum, legibus ſanctis circumſeptam, non ſiuiſſe multum inutiliter et profuſe abſumere: infimam autem plebem vt vitæ ſuſtentandæ neceſſaria acquireret, paratam ad labores exiguo pretio accepto ſubeundos fuiſſe: quos ſæpe, vt exemplo Iſraelitarum videre licet, coacti tolerare debebant.

XIII.

XIII. Hæc ſingula recte conſiderata docent fieri tunc magna opera ſine ſtupendis ſumtibus, longe facilius, quam noſtro æuo, potuiſſe: adeoque non opus eſſe aurificem artem, neceſſarium magnificentiæ huic neruum ſuppeditantem, ſupponere.

XIIII. Et quid opus erat Aegypti regibus, ſi ſacerdotes arte facili in templo Vulcani Memphitico confectum aurum ſuppeditabant, vt, tot hominum calamitate et exitio, aurum ex mineris Aethiopiæ conterminis quærerent? De his autem aurifodinis DIODORVS SICVLVS* nos edocet ex AGATHARCHIDE. Et ne dubitemus de *Diodori* in referendo fide, confirmant nos *Agatharchidis* apud PHOTIVM** ampliſſima excerpta, quæ totidem fere verbis eandem rem proponunt.

* *Libro III. p.* 150.

** *Cod. CCL. pag.* 1339. *edit. Schotti.*

XV. Doctiſſimus BORRICHIVS* quoniam perſuaſum habebat aurum apud Aegyptios alchemiæ beneficio factum eſſe, quum multa ad ſtabiliendam ſententiam attuliſſet, ſtatuit durum in aurifodinis laborem, politicis ex rationibus, fuiſſe ſuſceptum, vt diſſimularetur ars, cui non defuturos amatores importunos et violentos facile licebat cognoſcere et prouidere. Idem quoque dum fructum ex aurariis percipiendum tantopere eleuat, videtur duo non cogitaſſe, quæ in hac re diiudicanda præcipua ſunt, quorum alterum §. XII. attigimus, ſcilicet regibus promtam fuiſſe conſeruandi fructus et reditus ſuos poteſtatem; quod de nullo noſtri ſæculi monarcha facile dixeris: alterum, quod pretia rerum fuerint minima, viliſſimoque viuere adſueti Aegyptii. Quod vero Aegypti degenerantis in pompam profuſiones incredibiles adducit; a ſtatu degeneris reipublicæ ad integræ recteque conſtitutæ conditionem non valere conſequentiam quisquis facile cognoſcit.

* *Hermet. vindic. pag.* 66.

XVI. Plura doctiſſimus vir erudite congeſta adfert, quibus vero ſimile reddit Aegyptios in chemia non fuiſſe hoſpites, et artem χρυσοποιητικὴν calluiſſe: hinc ad Colchos delatam fuiſſe artem, quæ illuc Argonautas allexit: Græcisque prouide arcanum, etiam fama diuulgatum, celantibus, ſub fabularum inuolucro, vt exiſtimat, delituit. Tandem Romanis, æuo Diocletiani, rumor arcani huius notitiam attulit, qui, vt Aegyptiis ferociendi et aduerſus Romam rebellandi materiam ſuccideret, omnes de chemia libros, accurate conquiſitos, comburi iuſſerit. Sed quoniam exſcribere illum non placet; nec alchemia ad medicinam neceſſario nexu pertinet: mittenda hæc exiſtimo, facile paſſurus, ſi cui *Borrichius* perſuadere ſuam ſententiam valuit, vt ipſi fidem adiungat. Inferius, vbi ad Colchos et Argonautas temporum ordo nos deduxerit, pluribusque occaſionibus, aliqua huc pertinentia interſpergemus.

XVII. Exotericam fuiſſe aliquam medicinam apud Aegyptios, ſcilicet talem, quæ non fuerit a ſacerdotibus petenda, ſed hominibus plebeiis variis occaſionibus cognita, memoriæ mandata, vrgenteque neceſſitate ſimili repetita, vero admodum ſimile eſt. Huc puto referenda eſſe illa veterum * teſtimonia, *omnia in Aegypto referta eſſe medicis: omnes Aegyptios eſſe medicos.* Vix autem mihi perſuadeo illam vulgi medicinam vlterius eſſe extendendam, quam quod ſibi ad morbos præſcindendos vomitibus, aluique per infuſa enemata purgationibus, ſimilibusque ſupra iam recenſitis remediis, conſulerint, per ſe quisque, aut familiæ periclitanti. Quæſtum vero medicina facere, aut illam artem ſeorſim profiteri, qui ſacerdotum collegio adſcriptus non eſſet, neminem fuiſſe auſum integra republica exiſtimo; quum grauiſſima pœna, DIODORO ** teſte, in eos conſtituta fuerit, qui vna plures artes, pluraue opificia, agitarent.

* Tale

* Tale eſt teſtimonium HOMERI *Odyſſ.* Δ. 230.
Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων, ἦ γὰρ Παιήονός εἰσι γενέθλης. i. e.
Quiuis mortalium ibi eſt medicus de omnibus rebus probe edoctus, ſunt enim profecto Pæonia generatio.

** Notatu dignum locum integrum adſcribam *ex Lib. I. pag.* 68. *Alibi circa multa diſtrictum habere animum artifices, nec in vnius dumtaxat rei tractatione, propter auaritiam, perſiſtere videmus. Alii enim agricuturæ manus admouent, alii mercaturæ ſe immiſcent, ſunt etiam qui duas aut tres ſimul artes exercent. Plurimi in ciuitatibus popularem ſtatum amplexis, ad conciones publicas curſitantes, detrimentum reip. ſibi vero emolumentum, per aliorum largitiones, comparant. At inter Aegyptios ſi quis opificum aut artificum remp. capeſſit, aut plura ſimul artificia exercet, grauiſſimas incurrit pœnas.* Plane conſona Diodoro tradit ISOCRATES *encom. Buſiridis.*

XVIII. Atque hæc de medicina Aegyptiorum, pro inſtituto noſtro, ſufficiant. Supereſt vt adhuc diſpiciamus de aliquibus, quos huius medicinæ ſi non inuentores, tamen auctores, perhiberi a nonnullis videas. Ex his primo loco occurrit ABRAHAMVS patriarcha, de quo ſacræ nobis litteræ * teſtimonium perhibent, quod in Aegypto aliquamdiu fuerit commoratus. Ab eo igitur edoctos fuiſſe Aegyptios aliqui ſecure perhibent: etſi omnino ſacræ litteræ de eo ſilent.

* *Geneſ. XII.*

XVIIII. Vt autem, quare Abrahamum Aegyptiis præceptorem dent, melius cognoſcamus, ex orientalium traditionibus repetere oportet, illos exiſtimare eundem eſſe Zoroaſtrem, Chaldaicæ et Perſicæ philoſophiæ, quin etiam religionis, auctorem: de quo abunde multum fabularum ex orientalium ſcriptis collegit DHERBELOTVS, quas hic repetere piget, nec tempus permittit.

XX. Porro IOSEPHVS Aegyptiis a nonnullis obtruditur, qui tamen ipſi videntur neſcire, vtrum potius cupidiſſimi diſcipuli, an præceptoris, loco ipſum habere

velint et debeant. Huius occaſione medici Aegyptii, et ſeorſim pollinctores, in ſacris * recenſentur, tempusque pollincturæ inſumtum determinatur quinquaginta dierum.

* *Geneſ. L.*

XXI. Stili ſcripturæ ſacræ valde ignari, nec parum inconſiderati mihi videntur, qui ad medicorum contumeliam allegant Ioſephum ſeruis ſuis medicis mandaſſe, vt patrem Iſraelem, poſt quam fatis pie functus fuerat, ſolito more condirent. Non enim cogitant quoties in Ebræo codice ſummi ſummorum regum ſtatus miniſtri eodem ſeruorum nomine denotentur. Quando igitur ſcriptura loquitur de ſeruis his medicis, tale accipi prædicatum debet, quale permittitur a ſuo ſubiecto. Siue igitur Ioſephum, vtpote ſummi ſacerdotis generum, ſacerdotum ordini adſcriptum intelligamus, ſiue ſimpliciter proregem: pollinctores illi, vtpote de ſacerdotum collegio viri, non magis erant Ioſephi ſerui, quam ipſe Ioſephi ſocer. Alia res eſt ſi de ſeruis medicis Romanorum, abiectis et ære emtis mancipiis, ſermo eſt: quorum conditionem alio tempore videbimus.

XXII. Incertæ ætatis medicus Aegyptius celebratur *Iachen* *, hierogrammateus regis, de quo SVIDAS commemorat, quod aduerſus dolores et morbos amuleta et incantationes præcipue calluerit, et quod morbis contagioſis et peſtilentialibus exſtinguendis valuerit, præcipue illis, qui poſt canis ortum emicare ſolent.

* De hoc viro videantur CONRINGIVS *in hermetic. medic. pag.* 108. et excuſans ipſum atque defendens OL. BORRICHIVS, *in Hermet. vindic. p.* 170.

XXIII. Laudatur etiam *Nechepſus* rex Aegypti, medicis ſcriptis clarus: ſed quod ætas ipſius in propiora tempora incidit: mentionem ipſius inferius commode licebit facere.

CAP. V.

De aliarum gentium antiquiſſima medicina.

CONSPECTVS.

Summa dicendorum. I.
Sinenſium eruditio antiquiſſima perhibetur. II.
Medicorum conditio. III.
Pulſuum obſeruatio antiquiſſima. IIII.
Reliqua, quibus attendunt, ſigna. V.
Qualibus remediis vtantur. VI.
De circuitu ſanguinis et ſpirituum miro. VII.
Huius dogmatis antiquitas. VIII.
Pathologia ipſorum flatuoſa. VIIII.
Theoria nulla aut falſiſſima, praxis tamen laudata. X.
Vnde plura peti poſſint. XI.
De GRVNDLERI *Malabarico medico.* XII.
Inſtitutiones medicæ Malabaricæ. XIII.
Origo et antiquitas iactata medicinæ. XIIII.
Theoriæ abſurdæ ſpecimen. XV.
Medicamentorum ſumma genera. XVI.
Curandi ars octo claſſibus diſpeſcitur. XVII. XVIII.
Singulis claſſibus quod numen præſideat. XVIIII.
Tres morbi principales. XX.
Quibus ſignis morbos eorumque euentus cognoſcant. XXI.
Cura circa medicinas et victum ægrotantium. XXII. XXIII.
Chemia Malabarica. XXIIII.
Compoſitas medicinas plures habent. XXV.
Medici Malabares ab Europæis æſtimantur. XXVI.
Nouiſſime ab Europæis aliqua adſumſerunt. XXVII.
Varia de medicina et medicis Malabarum. XXVIII.
Conuenientia cum medicina Aegyptiorum. XXVIIII.
Excuſatio de Sinenſibus et Malabaribus. XXX.
De Germanorum antiquiſſima medicina. XXXI.
De Druidis et viſco quercui innato. XXXII - XXXIIII.
De Moſe. XXXV. XXXVI.
Quid circa medicinam apud Iudæos ſanxerit. XXXVII.
Leuitas Iudæorum fuiſſe medicos. XXXVIII.
Moſes an fuerit chemicus. Maria ſoror eius. XXXVIIII. XXXX.
De Iobo. XXXXI. XXXXII.

I.

Non abs re fuerit nunc euagari pauliſper ad reliquas orientis gentes, quippe cum aliis artibus medicinam apud ſe antiquiſſimam iactantes. Sunt autem illæ de quibus aliquid reſcire licuit, *Sinenſes*, *Iapanenſes et Malabares:* quibus de patriæ noſtræ antiquiſſima medicina, vt et eiusdem apud Iudæos conditione, aliquid ſubiungam: hacque occaſione de *Moſe et Iobo* pauca commemorabo.

II. Sinenſes, cum quibus in multis conuenire videntur Iaponenſes, iactant reges medicinæ ſuæ inuentores, quorum ætas diluuii tempora multum ſuperat. Tota natio deditiſſima eſt idololatriæ, aſtronomiæ et aſtrologiæ: in quo conueniunt cum Chaldæis et Perſis, ipſis quondam finitimis.

III. Quæ medicorum apud Sinenſes dignitas antiquiſſimis temporibus fuerit, equidem nullibi inuenio: hodie eos, quoad ordinem politicum, exigua eſſe exiſtimatione IOANNI NIEVHOFIO * credo: attamen antiquiſſimæ artis dextro exercitio tantam famam adepti ſunt, vt Europæi inter illos degentes libentius fere ſuam ſalutem ipſis, quam popularibus ſuis medicis, permittere dicantur.

* *deſcript. legationis Batauic. P. II. pag.* 15.

IIII. In morbi cognitionem penetrant obſeruatione longa ac tædioſa pulſuum, quam diſciplinam habere ſe ex inſtitutione cuiusdam *Lipe* dicti, et *Hoamti* regis, perhibent, cuius ætatem indicaturi annos CIↃ CIↃ IↃC LXXXVIII. ante Chriſtum natum ſupputant.

V. Præter pulſum, linguam, oculos et faciem quoque conſiderant: alia ſigna negligunt. Quippe nec de ſtatu ſuo ægrotantem interrogant, nec vrinam inſpiciunt. Cognito autem pulſu morbum indicant et præſa-

præſagium inſtituunt. Deinde librum antiquiſſimi æui euoluunt, quærunt pulſus nomen eique adſignatum remedium.

VI. Remedia ipſorum pleraque, ſunt ſimplicia et leui arte parata, vt decocta. Chemica prorſus ignorant: * vt et anatomen omnino negligunt, nec ſanguinem mittunt.

* Ita me docuit CLEYERVS *fragmenti Oper. medici*, quod cum *ſpecimine medicin. Sinicæ* prodiit, *pag.* 72. qui *chymicam*, inquit, *artem, quæ nobiliſſimas inuenit medicinas, ignorant, quamuis illius alteram partem, ad inueſtigandum lapidem philoſophicum, ad aurum et argentum conficiendum, ad inſaniam aliqui proſequantur.* Sed aliud perſuadet epiſtola ſecunda *de Indiæ rarioribus* a D. D. MICHAELE SCHENDO ad Illuſtrem Academiæ N. C. Dominum Præſidem exarata, et appendici ad *Acta Phyſico-medica Acad. N. C. pag.* 124. inſerta, qua Sinenſibus chemiæ pharmaceuticæ vſus, et cognitio, additis ſpeciminibus, tribuitur. Nam non ſolum antimonialibus, verum etiam mercurialibus, quin ex ipſo auro præparatis illos gaudere, examine paſtillorum *Tanzuc* comprobat. Profitetur ſibi perſuaſiſſimum eſſe antiquum eſſe chemiæ in hac gente vſum: quod in medio nunc relinquo, donec certiora ad antiquitatem hanc comprobandam argumenta ſuppetant.

VII. Circuitum quendam ſanguinis et ſpirituum, deuehentium humidum radicale et colorem primigenium, per venas et vias duodecim membrorum, ſpacio XXIIII. horarum, quo tempore quinquagies circumuoluuntur, ſecundum cœlorum per quinquaginta domos conuerſionem, ſibi confinxerunt: cuius circulationis penitus phantaſticæ nomen noſtrorum incautiores quosdam induxit, vt perhiberent circulationem ſanguinis Sinenſibus antiquitus fuiſſe cognitam.

VIII. Dogmatis huius antiquitatem CLEYERVS indicauit plus quam quater mille annos: videas tamen aliquos quadringentos tantum numerare: quem errorem profluiſſe exiſtimo ex eo, quod PASCHIVS * numerum

merum non accurate ex Cleyero transſcripſit: huncque deinceps alii ſequuti ſunt.

* de *nouis inuentis cap. VI. p.* 312.

VIIII. Pathologiam quandam flatuoſam habent, ad rationem reddendam affectuum dolorificorum ſpasmodicorum: cui theoriæ innititur acupunctura et moxæ inuſtio Sinenſibus et Iaponenſibus ex æquo familiaris: quamuis in modo adminiſtrandi aliquantulum a ſe inuicem abeunt.

X. Ceterum ſanæ theoriæ, quantumcunque antiquam illam ferunt, parum habent, merosque empiricos, cana tamen experientia ſua ipſis noſtris ſæpe admirabiles, ſuſpicere et laudare æquum eſt. Ex quo praxeos ſeu experientiæ excellentiam et præſtantiam non immerito inculcat nobiliſſimus ROBERTVS BOYLE.*

* *Exercitationum de philoſoph. experimentalis vtilitate pag.* 283.

XI. De medicina harum gentium plura ſuppeditant medici duo celeberrimi, et in orientali India per multos annos commorati, ANDREAS CLEYERVS* et VVILHELMVS *ten* RHYNE.**

* In *ſpecimine medicin. Sinicæ* Francof. 1682. edito. 4t

** tractatui *de arthritide* ſubiuncta duplici mantiſſa. Ceterum hic illi plurima ſuppeditaſſe videtur. Ita enim ipſe *diſſ. de arthritide p.* 173. *not. z: de quo*, (pulſuum rythmo) *pleniorem et commentariis locupletatum tractatum, quem Dom.* ANDREAS CLEYERVS M. L. *contra ſtipulationis fidem in patriam me inſcio miſit, ni publica et priuata negotia id impediant, edere conſtitui. Sed de hoc contractu et meo labore ac ſumtu ſiluiſſe, quam pauca dixiſſe, præſtiterit.*

XII. Malabarica medicina, quam Bramines, qui veteribus Brachmanes vocabantur, exercent et poſſident, non minus antiquos natales, quam Aegyptia, iactat. Eius notitiam debemus viro admodum reuerendo Dom. M. IOANNI ERNESTO GRVNDLERO,

Miſſio-

Miſſionario et Præpoſito Danico, nunc beate defuncto, cuius, vtpote collegæ quondam in Pædagogio Regio Halenſi, et amici coniunctiſſimi, memoriam vsque exoſculabor. Hic Hala circa annum cIↃ IↃCCVIII. abiens a pluribus rogabatur, vt de medicina Malabarica, quantum reſcire poſſet, conſignaret et ad nos perſcriberet: quod facere ipſum, vtpote medicinæ non ignarum, poſſe omnes confidebant. Hic in Indiam incolumis delatus, amicorum deſiderii ſuique promiſſi memor, quum linguæ addiſcendæ cauſa libros legere deberet, legendos medicos ſumſit, et cum medicinæ peritis Braminis diligenter verſatus eſt. Inde enatum eſt opuſculum elegans, * quod in Europam miſit, cuique titulum fecit: *Medicus Malabaricus.*

* Germanico idiomate ſcriptum eſt. Recenſionem eius pleniorem dedi *Bibliothecæ obſeruation. et recenſion.* quæ Halæ Magdeb. edita fuit, *Sect. VIII.* 3. *p.* 380. *ſeqq.* Eademque nunc legitur in *Actorum phyſico-medicorum Acad. N. C.* vol. I. appendice *pag.* 106. *ſeqq.*

XIII. Ex hoc libro diſcimus eſſe apud has gentes antiquam artem medicam, quæ præcipue addiſcitur ex libro inſtitutionum, qui *VVagadaſaſtirum* inſcribitur, et ſex libris omnem doctrinam medicam complectitur.

XIIII. Originem a Deo ſummo repetunt, indeque per multas annorum myriades, aliqua per manus traditione, ad varios ordine deos ſucceſſiſſe, donec ab his ad prophetas, a prophetis ad homines peruenit.

XV. Theoriam admodum mutilam, et plerumque aperte falſam, habent. Nam anatomes in vniuerſum rudiſſimi ſunt: quod vel ex falſa pulſuum theoria animaduertas. Aiunt enim ſub vmbilico, ad interuallum quatuor digitorum, eſſe radicem pulſuum, a qua 72000. arteriæ, inde per totum corpus diſpergendæ, oriantur

et

et procedant. Hanc radicem eſſe latam, quantum quatuor ſunt digiti, et altam, quanta eſt longitudo duorum digitorum. Non abſimilem eſſe formam coralliis, eſſeque illum locum vbi homo concipitur. De reſpiratione nihilo ſanius philoſophantur.

XVI. Medicamentorum genera in ſex claſſes, ſecundum totidem ſapores, acidum, dulcem, ſalſum, amarum, acrem et denique adſtringentem, diſtribuerunt.

XVII. Curandi artem octo claſſibus includunt, ſecundum totidem morborum familias. Oportet autem, ſi quis excellere in medicina velit, octo has medendi claſſes æque peruagatum et in ſingulis ſatis eſſe exercitatum. Quum vero non omnibus liceat ad tantum adſpirare gradum: hinc ſunt apud eos, qui ſe vni tantum claſſi, vel duabus pluribusue, ſeorſim mancipant, neglectis tantiſper reliquis, vt in his, quæ excolenda ſumſerunt, eo magis excellant.

XVIII. Prima claſſe continentur illi, qui infantum morbos callent: ſecunda, qui morſus et ictus venenatorum animalium ſanare norunt: tertia, qui dæmonas fugare et mentis morbos auertere promittunt: quarta, qui ſuccurrunt in venerem tardis vel ad coitum ineptis: quinta, cui plurimus habetur honos, qui morbos ceteros corpori ingruentes propellere ſatagunt: ſexta, qui manuum opera ſuccurrunt ægrotis: ſeptima, qui ſenium retardare et canitiem auertere pollicentur: octaua denique illos complectitur, qui ſcire profitentur rationem, qua omnes capitis morbi, vt et qui oculis accidunt, debellari debeant.

XVIIII. Vnicuique harum claſſium præſidet numen aliquod, tamquam patronus et tutelaris Deus, quem medici illi venerantur, et medicinas eius nomine

exhibent.

exhibent. Sic infantum morbis præeſt ventus: aqua morbis ex venenatis ictibus fauet: aer profligandis dæmonibus fert opem: ad venerem impotentibus ventus igneus opitulatur: chirurgis luna ſubuenit, et terra canitiem arcet: quintæ claſſis medicorum conatus ſol adiuuat, et oculorum capitisque morbis, tamquam Deus auerruncus, anima hominis ſuccurrit.

XX. Statuunt tres morbos principales vnicuique congenitos. Primus vocatur *VVadum*, id eſt venti in corpore ſeu flatus: alter *Bittum*, ſeu vertigo vel ſtoliditas: tertius *Tſcheſtum*, hoc eſt impuritates humorum. Et hi quidem, ex variis cauſis emergentes, ceteris præponderant, ſecundum indiuidorum conditionem, aliosque vel excitant vel ſupprimunt. Morbos primitiuos et inde exortos, calculo adiecto enumerant. Ex vno ſæpe videas trecentos pluresque deductos. Mentis morbos enumerant IↃCCLXXXXII. Tota omnium morborum ſumma conficit CIↃCIↃIↃ CCCXXXXVII.

XXI. Ad morborum cognitionem peruenire ſtudent pulſuum patienti obſeruatione: ſed et excrementa, præcipue vrinam, conſiderant. Exploraturi vtrum is, qui decumbit, ſanitatem recuperaturus, an vero morti conceſſurus ſit, vrinam eius patellæ iniiciunt, tum ſtramen oleo puro intingunt, et deſtillare in vrinam ſinunt. Si guttula illa fundum petit, ægrotus moritur: ſi vero ſupernatat, ſpem ſalutis certam faciunt. Etiam in præſagio formando ad aſtra attendunt: itemque ad ægrum abiens medicus augurium captat, aues et quælibet obuia conſiderat, vt et illum, qui ſe vocat, nuncium, et ſe ipſum, quo poſitu ab eo, qui vocauit, deprehenſus ſit.

XXII. Accurate præcipiunt de ſelectu medicinarum, ratione locorum natalium, collectionis et aſſeruandi temporum: nec non quo ſingula modo præparari,

præparataque aſſeruari debeant. Quin eſculentorum et potulentorum etiam rationes in numerato habent, et de ſingulis præſcribunt, quamdiu quæque incorrupta maneant, quibusque vaſis quam optime adſeruentur.

XXIII. Præterea accuratiſſimum curandis regimen præſcribunt, eoque determinant quamdiu hoc vel illo morbo detentis vigilandum vel dormiendum ſit: quoties dentes et lingua repurgari, osque collui debeat: quo modo habitare cænamue ſumere deceat.

XXIIII. Excolunt etiam chemiam, quam a Deo *Tſchiwen* libris IV. traditam eſſe perhibent. Agunt de mercurio, ſulfure, antimonio aliisque mineralibus, de ſalibus, vitriolo, alumine, de coralliis, gemmis, metallis, deque inſtrumentis pyrotechniæ et operationum enchireſibus.

XXV. Porro etiam compoſitas medicinas plures habent. Pilulas polychreſtas ſeu vniuerſales præparant. Singula autem vehiculis appropriatis exhibent, et in quouis medicationum genere diætam peculiarem accurate obſeruant.

XXVI. Tantam ſibi laudem ſua arte pepererunt, vt inter ipſos degentes Europæi libentius Malabarum, quam ſuorum medicorum opera, vtantur: quos, quando curandos acceperunt, accuratæ diætæ, et cibis pro more ſuo, adſtringunt.

XXVII. Venæ ſectionem plerique neſciunt. Scarificationes, ſed raro et rudi minerua, exercent: fonticulos et clyſteres vix norunt. Sed qui Europæis permixti habitant, ſenſim et venæ ſectionem, et alia noſtratia, arripiunt.

XXVIII. In præparationibus medicamentorum ſuorum, (quæ ipſorum chemia eſt,) fere ſemper ſtercus et vrina vaccarum accedit: quod procul dubio faciunt, quia

quia de ſanctitate horum animalium alte infixam mentibus ſuis opinionem fouent. Siccato etiam vaccarum fimo carbonum loco vtuntur. Ceterum pharmacopœos, a medicis diſtinctos, ignorant, ſed idem homo medicinas præparat et ægrotis diſpenſat. Medici autem clero, ſecundum noſtrum loquendi modum, id eſt Brachmanum conſortio, adſcripti ſunt, et obtinet apud eos, quemadmodum olim in Aegypto, lex, quæ ſingulos manere in ſua conditione iubet, et eandem, quam parens et maiores exercuerunt, artem diſcere et exercere præcipit.

XXVIIII. Apparet facile orientalium harumce gentium medicinam in multis inter ſe, et cum Aegyptiorum veterum medicina, conuenire. Atque vtinam liber ille *VVagadaſaſtirum* inſcriptus, qui vetuſtus eſſe videtur, in Latinam linguam vertatur et publici iuris fiat: minime enim dubito fore vt ex eo multa de medicinis ex oriente acceptis poſſemus diſcere: forte etiam parum fuerint diſtincti ab medicis Hermetis libris, quos Aegyptios pro norma ſuæ medicinæ habere ſupra intelleximus. Erit nobis iterum occaſio Malabarum mentionem faciendi, quando ad ſæculum a Chriſto nato II. peruenerimus.

XXX. Et quamuis, quæ de Sinenſium atque Malabarum medicina attulimus, ex relationibus et fide recentiorum auctorum accipere cogimur: facile tamen credimus ſatis antiquam illam eſſe, vtpote religioni innexam; et in antiqua ſua conſtitutione, ſaltem vſque ad tempora, quibus Europæi ad illos nauigare cœperunt, permanſiſſe: præſertim quum omnes teſtentur gentes illas eſſe antiqui moris tenaciſſimas, totaque res antiquitatem oleat.

XXXI. Quænam apud alias gentes medicinæ conditio antiquiſſimis temporibus fuerit, ignoratur. Et quam-

uis coniecturis, aut auctorum quorundam adſertionibus, aliqua poſſent perhiberi: malumus tamen illis abſtinere. Sic ALSTEDIVS * perhibet circa annum mundi cIↃ cIↃ cc. Oſiridem, regem Aegypti, veniſſe ad Marſum, regem Germaniæ, et docuiſſe maiores noſtros rationem conficiendi cereuiſiam, item agri culturam, artem fabrilem et molendinariam, inſuperque medicinam: hoc autem vere, vt ſcriptum eſt, factum vmquam fuiſſe, nemo idoneis argumentis probauerit.

* *In chronologia medicorum, quæ theſauri chronologiæ tabulam XXXXVI.* conſtituit. Nititur, ſine dubio, relatione DIODORI SICVLI de expeditione Oſiridis, quam ſupra vidimus; ſed ſi omnia recte ſe haberent in illa narratione, vereor vt temporum rationes ad liquidum deduci poſſint.

XXXII. Neſcio quam antiquum ſit quod PLINIVS * refert de Druidis, eorumque eximia admiratione, qua viſcum in quercu natum proſequuutur. *Nihil*, inquit, *habent viſco et arbore in qua gignitur, ſi modo ſit robur, ſacratius. -- Enimuero quicquid adnaſcatur illis, e cælo miſſum putant, ſignumque eſſe dilectæ ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inuentu, et repertum magna religione petitur. - - Omnia ſanantem appellantes ſuo vocabulo.* Prætermitto quæ de ſuperſtitione in colligendo ibidem leguntur.

* *Hiſt. natur. XVI.* 44. Antiquiſſimum eſſe illum quercus annoſæ honorem, eique innati viſci exiſtimationem, facile credo ingenioſiſſimo EDM. DICKINSONO, qui in *Delphis Phœniciſſantibus* ſubiecta appendice *pag. m.* 32. ſeqq. Druidum originem, et quernam ipſorum religionem, ab ipſis patriarchis Abrahamo, quin Noacho, facili opera deduxit, argumentis potiſſimum vſus etymologicis, et in ſubſidium vocatis *Beroſo*, et antiquitatibus Etruſcis ab *Inghiramio* repertis: quibus auctoribus quantum fidei tribuendum ſit, hic locus non permittit longius exponere.

XXXIII.

XXXIII. Neque ſolum Galli aut Germani viſcum tantopere admirati ſunt: verum etiam Italis hominibus eandem ſuperſtitionem inoleuiſſe, ex VIRGILIO* mihi videor colligere: ſed vix quisquam determinauerit vtrum a Gallis vel Etruſcis illam acceperint.

* Aeneidos VI.

XXXIIII. Plura quæ per coniecturas de ſtatu medicinæ priſcæ in Europa, præſertim Scythica gente, aſſequi licet, inferius attingemus, quando nos ordo ad philoſophos, ex hac gente in Græciam profectos, deducet: nunc pauca dicemus de IOBO et MOSE, quos plures auctores medicis, ſeorſim autem chemicis præſtantiſſimis, adſcribunt.

XXXV. Et MOSES quidem, vir diuinus, omni Aegyptiorum ſapientia et diſciplina eruditus fuit: vt ſacræ nos litteræ id docent. Et quamquam de eo, quippe regio puero, vt putabatur, ſuſpicari liceret eo potiſſimum educationem eius directam fuiſſe, vt politicæ vitæ neceſſariis artibus imbueretur: CLEMENS tamen ALEXANDRINVS* diſertis verbis ſcribit, quod et medicinam edoctus fuerit. In quo quidem apud omnes facilius merebitur aſſenſum, quam in illa adſertione ſua, cuius PHILONEM teſtem aduocat, quod alium doctrinæ orbem (encyclopædiam) regium hunc puerum edocuerint Græci in Aegypto. Non enim immerito quæritur, quinam tunc Græci eruditi fuerint, qui artibus ſuis Aegyptium, vel quemcunque alium, inſtruere poſſent? quippe illo tempore, ipſis Græcis confitentibus, nec conſtituta erat reſpublica illorum, nec inuentis et artium cultura vlla illuſtrabatur.

* *Stromatum Lib. I. pag. 343.*

XXXVI. Imbutus igitur ille Aegyptiorum doctrinæ arcanis, quum, XXXX. annos natus, filius regiæ

filiæ haberi detrectaret, ſeque ſuæ genti aperte iungeret, ab ipſis quoque, quicquid auitæ ſapientiæ habuerunt, addidicit, et quicquid ex Chaldæorum doctrina inſuper boni retinuiſſe potuerunt. His ſuperaddidit, quæ peculiari ſummi numinis dono et gratiæ accepta referebat: hisque ad Iſraelitici populi rempublicam quam optime ordinandam vſus eſt.

XXXVII. In hac reipublicæ Iudaicæ conſtitutione videtur ad tribum Leuiticam, cultui diuino et ſapientiæ peculiariter reſeruatam, fuiſſe delegatam omnem curam etiam corporum: ita vt populus Iudaicus ab uno ſummo DEO, qui ſe ipſorum fore medicum declarauerat, omne auxilium per ſacerdotes petere iuberetur.

XXXVIII. Et ſacerdotum collegio medicam curam, et de morbis cognitionem, fuiſſe ſoli iniunctam, docere nos poſſunt leges* de leproſis latæ, admodum prolixæ.

* Leuitic. XIII. Si quis ſcire cupit quam ſollicite Iudaici doctores circa hoc negotium verſari conſueuerint, legat Talmudicum librum has leges illuſtrantem, quem, vt Germani etiam cognoſcere poſſint, effecit celeberrimus quondam Vniuerſitatis huius Profeſſor D. D. IO. CHRISTOPH. VVAGENSEIL, in libro quo Iudæorum ſcripta Germanica legere docet, cui titulus: *Belehrung der Iüdiſch-Teutſchen Red- und Schreib-Art. Königsberg* 1699. 4to.

XXXVIIII. Ceterum ſpecialiora de medicina Iudæorum haud facile ex ſacris eruas. Sunt autem qui Moſen per bonam conſequentiam oſtendunt fuiſſe magnum chemicum, quippe vitulum aureum*, pro Idololatriæ ſcopo conflatum, facili arte combuſſit, inque puluerem redegit, qui poſſet aquis permixtus potari. Neque hunc ſolum chemici ſibi vindicant, ſed et ſororem eius Mariam, cuius adeo ſcripta de lapide philoſophico

phico circumferuntur, in titulo prophetiſſæ et ſororis Moſis characteribus inſignia. Aut diuerſa ab hac debet credi Maria Ebræa, Democriti in Aegypto magiſtra, aut inſignis parachroniſmi reus erit GEORGIVS SYNCELLVS**, qui hæc tradit, eamque teſtatur laudes meruiſſe, quod ænigmatibus plurimis et eruditis artem inuoluerit.

* *Exod. XXXII.*

** *Chronograph. p.* 248. citante D. D. FABRICIO in Cod. Pſeudep. V. T. Sed placet iudicium DANIELIS SENNERTI *de chemicorum cum Ariſtot. et Gal. conſ.* qui, *tam credibile eſt*, inquit, *hunc librum eſſe Moſis ſororis, quam credibile eſt alium librum, eidem tractatui adiectum, nomine* practicæ Ariſtotelis, *eſſe Ariſtotelis, vtpote qui ipſum Ariſtotelem, qui Auicennam, qui Arabes nominat. -- Nimirum vſitatum eſt chymicis, vt libris ſuis famam concilient, eos ſub magnorum virorum nominibus edere, aut, ſi auctores ignorentur, iis præclarorum virorum nomina præſcribere.*

XXXX. Quam vero difficile ſit aurum, flammis inuictum metallum, comburere et in tantum, vt Moſes fecit, deſtruere, chemici omnes et metallurgi nouerunt: vnde non paucis occaſionem dedit de hoc negotio commentandi. Sed forte nemo faciliorem modum docuerit illo, quem chemicus et medicus præſtantiſſimus D. D. GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS,* præceptor meus omni obſeruantia colendus, publico oſtendit. Nam hoc docente aurum igne comburitur, vt fiat puluis minutiſſimus, qui cum aqua miſceri potarique poſſit.

* Videantur *Opuſcula chymica p.* 585. ſeqq. vbi menſis Aprilis ſiſtit: *Vitulum aureum igne combuſtum, arcanum ſimplex ſed arcanum.* Neſcio quam antiqua ſit illa tinctura auri, de qua celeberrimus D. D. HERM. BOERHAAVE loquitur, *Inſtitut. et experim. chem. lib. II. pag.* 291. *Et hæc eſt vera illa decantata tinctura auri, quæ Principi Colonienſi data fuit olim pro auro potabili. Sumebant enim aurum limatum cum ſulphure et alcali fixo, ceter.* Certe in hoc proceſſu aurum pari fere ratione comburitur. Conferatur, ſi placet, *Ephem. Acad. N. C. Centur. II. pag.* 410.

vbi de eſſentia ſolari ſeu auro potabili, ex eodem fundamento parando, legitur.

XXXXI. Qui IOBVM medicinæ vindicant, faciunt id potiſſimum alchemiæ reſpectu, quam artem hunc virum calluiſſe, eaque iacturam omnium bonorum largiter compenſaſſe, confidenter aliqui adſerunt, inque probationem adſertionis ſuæ argumenta ſatis infirma adferunt: quæ vel repetiiſſe piget.

XXXXII. Ceterum Idumæum fuiſſe et Moſi coæuum; plerique conſentiunt: etſi HIERONYMVS* mauult ipſum ex Nachoris, qui frater Abrahami fuit, familia deducere. Quis vero librum eius ſcripſerit, naturalium rerum ſcientiam profundam paſſim pandentem, ignoratur. Commendari meretur celeberrimi D. D. SCHEVCHZERI labor Iobi phyſicæ impenſus: ex quo medicus ad hiſtoriam naturalem pertinentia multa depromet, quorum cognitione deſtitutus in veterum ſcriptis facile hæſitat aut offendit.

* In *Quæſt. Hebraic. in Geneſin pag.* 216. *tom. III. opp. a Frobenio* 1524. *editorum.* Indicat ibi fontem perſuaſionis illius de origine Idumæa.

HISTO-

HISTORIAE
MEDICINAE
PERIODI PRIMAE
SECTIO SECVNDA
DE
ANTIQVISSIMA MEDICINA GRAECORVM VSQVE AD HIPPOCRATEM COVM.
CVM
SYNCHRONISMO ALIARVM GENTIVM.

Capitibus octo

agitur

I. De diis medicinæ Græcæ auctoribus.

II. De heroibus medicis, qui Argonautarum tempora illuſtrauerunt.

III. De heroibus medicis, qui circa tempora Troiana floruerunt.


IIII. De cultu Aeſculapio, filiis, filiabusque habito.

V. De Aſclepiadarum medicorum fortunis, doctrina, meritis, ſcholisque diuerſis.

VI. De medicinæ extra Græciam ſtatu.

VII. De poetis et philoſophis Græcis aut inter Græcos verſatis medicinæ cultoribus.

VIII. De medicis Hippocrate Coo ſuperioribus, aut ipſi coæuis, non Aſclepiadis: vt et de inſtituto athletico.



Cap. I.

De Diis medicinæ Græcæ auctoribus.

CONSPECTVS.

Epocha Argonautarum. I.
Tribuitur medicinæ inuentio diis, heroibus, hominibus. II.
Numina medica. III.
De Cybele. IIII. V.
De Ioue, eiusque triplici prole medica. VI.
De Apolline. VII.
Eiusque beneficiis medicis. VIII.
Et iure in vitam ſanitatemque hominum. arcu inſtruitur. VIIII.
Videturque Pæon a feriendo dictus. X.
Feriendi anceps ſignificatus. XI.
Apollini inſtitutus cultus. XII.
Medicum beneficium cum vaticinatione coniunctum. XIII.
De Marſya Phryge, quem Apollo male mulctauit. XIIII.
Apollini quæ ſacra fuerint. XV.
Eiusdem epitheta frequentiora. XVI. XVII.
Aliqui Apollinem et Pæonem diuerſos eſſe volunt. XVIII.
Apollo phyſico ſenſu ſolem denotat. XVIIII.
De Diana. XX.
Mulierum ſeorſim vindice et patrona. XXI.
Eius inuenta. XXII.
Dianæ podagræ templum. XXIII.
De Minerua. XXIIII.
Eius inuenta. XXV.
Omnium fanorum cuſtos. XXVI.
Fabularum euolutio. XXVII. XXVIII.
Lucina, quænam intelligenda ſit. XXVIIII.
Ipſe Apollo parturientibus ſuccurrit. XXX.
De Baccho. XXXI.
Eius origine et inuentis medicis. XXXII.
Vnde eius cultus ad Græcos peruenerit. XXXIII. XXXIIII.
De hedera Baccho ſacra. XXXV.
De Mercurio. XXXVI. XXXVII.
Eundem eſſe Trophonium. XXXVIII.
Prometheus diis ſubiungitur. XXXVIIII. XXXX.

I.

Cum omni hiſtoria Græca ſic comparatum eſt, vt parum explorata illa reperiatur ante expeditionem Argonautarum, quæ in annum mundi CIↃ CIↃ IↃCCXXI. incidit, atque a Chriſti natali CIↃ CCLXIII. diſtat. Hunc terminum quæ excedunt vel plane mythica cenſeri debent, vel admodum obſcura.

II. Natales medicinæ a Græcis in hanc periodum reiiciuntur, et partim ad deos, partim ad heroas, partim ad homines referuntur. Quo ordine nos primum numina medica, tum heroas, denique homines conſiderabimus, quibus medicinæ vel totius inuentio, vel augmentum per inuenta particularia, tribuitur, vsque ad Argonauticam expeditionem. Credo autem neminem vitio mihi daturum eſſe, ſi mythica hæc ſtrictim perſequutus fuero, parum ſollicitus de temporum rationibus inueniendis, aut de diſſenſu variorum auctorum: quum fieri non poſſit vt de figmentis et commentis profanæ religionis certum et apud omnes confeſſum ſcribatur.

III. Ex diis medicinæ inuentæ, vel medicæ opis latæ nomine præcipue colebantur a Græcis Apollo et Pallas ſeu Minerua: tum vero etiam Bacchus, Mercurius, Cybele, Diana, a qua Lucinam aliqui diſtinguunt, quum alii eandem putent, rurſusque alii plures Lucinas ſtatuant.

IIII. Temporum ratio ſuadet Cybelen, vtpote magnam deorum matrem, Saturnique, vt ferunt, vxorem præmittere. Huius præcipue cultus apud Phrygas ortus, ſed deinde a Græcis et Romanis arreptus eſt: vnde non conſona inter ſe de genealogia, aliisque circumſtantiis, diuerſæ gentes fabulantur. Quod nos adeo multum

non

non morabitur. Videri de eo poteſt DIODORVS SICVLVS*, qui de medica eius ſcientia perhibet, quod pecorum et infantium morbis purgationibus mederi docuerit, quodque ob ſingularem diligentiam, et beneuolæ mentis affectionem, erga pueros, quos per incantationes ſanitati redderet et crebro in vlnis foueret, montana mater dicta fuerit.

* *Biblioth. hiſtor. lib. III. pag.* 190. *ſeqq.*

V. Quod hic de purgationibus dicitur, ambiguum ſenſum habet, videturque vocabulum καθαρμὸς potius luſtrandi aut expiandi aliquem ſuperſtitioſum ritum deſignare, quam purgationem per medicamenta.

VI. Ex Saturno et Rhea (id eſt, eadem magna matre,) natus eſt Iupiter, qui ex Latona, Saturni filia, ſuſcepit maſculam prolem Apollinem, alteriusque ſexus Artemidem ſeu Dianam, et ex ſuo cerebro Palladem ſeu Mineruam. Quæ triplex proles ob ſalutem in publicis morbis inueniendam*, aliaque beneficia impetranda, magnos honores apud Græcos conſequuta eſt.

* Conferri meretur notabilis locus apud SOPHOCLEM in *Oedipo tyranno*, a verſu 151. *ſeqq.* vbi in precum formula, quam chorus recitat, *v.* 168. vocantur τρισσοὶ ἀλεξίμοροι, *trini malorum mortisque vindices*, roganturque vt Martem, peſtilentiæ auctorem, propulſent. Erit alibi occaſio locum hunc iterum attingendi, quando ad Romanos progreſſi erimus.

VII. Apollinem Græci perhibent ex Latona natum eſſe in inſula Delo, ſub arbore palma. A Themide nectare et ambroſia enutritus, a Ioue patre accepit medendi et vaticinandi artes, quibus humanum ſibi genus præcipue deuinciret. Eidem a patre hic honos habitus eſt, vt ad ſuam dextram ſederet, omniaque apud ipſum poſſet, canente CALLIMACHO*: quem eundem honorem Mineruæ habitum PINDARVS refert.

 * *hymno*

* *hymno in Apollinem v.* 30. Summam antiquæ perſuaſionis de Apolline hic hymnus, doctis variorum, præcipue autem Illuſtris EZECHIELIS SPANHEMII, notis expoſitus ſuppeditat. Addatur hymnus HOMERI in eundem.

VIII. Beneficia eius medica hæc recenſentur, quod crines ipſius ſtillent panaceam, quæ, in quamcunque regionem vel vrbem decidat, omnia incolumia reddat: quodque medicos prolatare mortem docuerit: denique quod filium ſuum Aeſculapium eandem artem edocuerit in humani generis ſalutem exercendam.

VIIII. Apollini ac Dianæ tribuiſſe veteres poteſtatem quandam ſingularem in vitam hominis, vt, qui ſubita morte opprimerentur, eorum telis confecti putarentur, erudite oſtendit EVERHARDVS FEITH.* Ac ſeorſim quidem Apollinem viros interimere, Dianam vero leonem mulieribus a Ioue conſtitutam, vt conficiat, quas velit, multis comprobat. Huc reſpexiſſe videntur veteres, qui Apollinem, non minus quam ſororem Dianam, arcu inſtruunt: et epitheta Apollinis ἑκάτοιο, vt et ἑκαέργου, inde ſunt frequentia.

* *Antiquit. Homeric. Lib. I. c.* 2.

X. Sed et ex eadem ratione vocatus videtur παίων, vel Dorice pæan, inque eius cultu frequenter acclamatum: io! pæan; ſcilicet quod ſagittis ſuis ferire putabatur.

XI. Illud vero ferire non ſolum in perniciem hominum, verum etiam in ſalutem, intellectum ab iis fuiſſe, docere nos poteſt OVIDIVS, * fabula de Pythone ſerpente Apollinis telis confecto et ſublato: in cuius beneficii memoriam Pythii ludi inſtituti ſint.

* *Metamorph. lib. I. verſ.* 436. ſeqq.

XII. Ce-

XII. Ceterum Apollini multa templa, inque iis peragendus religioſus cultus, inſtituta fuerunt. Magis tamen clara illa ſunt ob vaticinia de rebus futuris aut obſcuris inibi edita, quam ob medicinam, quippe quam Aeſculapio a patre permiſſam eſſe perſuaſum habebant.

XIII. Idque innuere videtur DIODORVS SICVLVS,* quum Apollinem ſcribit ſcientiam medicam, quæ per fatidicam exercetur artem, qua ſanitatem ægroti quondam recipiebant, in lucem produxiſſe. Ob eandemque duarum artium coniunctionem AESCHYLO** vocatur ἰατρόμαντις i. e vates medicus.

* Lib. V. pag. 341.

** *Enumenid.* v. 62. Addit, *quod ſit* δωμάτων καθάρσιος, *expiator.*

XIIII. Singulare refertur Apollinis factum, quod Marſyæ Phrygi, ſecum de muſica laude certare auſo victoque, viuo cutim detraxerit, ab arbore pinu prius ſuſpenſo, vt referunt DIOD. SICVLVS* et NICANDER.** Hoc factum a medicis anatomen exercentibus opponi poteſt theatralem carnificinam ipſis obiectantibus. Sunt autem, qui, abominati fœdam crudelitatem, cuius Apollinem mox ipſum pœnituit, expoſitionem aliam quærunt, et putant flagellis tergum Marſyæ concidiſſe Apollinem iratum, vel ipſi ſcabiem, aut ſimilem cutaneum affectum, immiſiſſe. Priori expoſitioni fauere videtur MARTIALIS,*** ad alteram duxit EVRICIVS CORDVS.****

* *Biblioth. hiſtor. Libr. III. p.* 193.

** *Alexipharmac. v.* 302.

*** Epigrammat. lib. X, 62.

**** In notis ad citatum Nicandri locum, vbi argutum ipſius epigramma exhibetur, in editione IOANNIS LONICERI.

XV. Apollini ſacra habebantur, ex arboribus palma et laurus: ex animalibus cygnus, lupus, accipiter, coruus et delphinus. De coruo alii diſſentiunt.

XVI. Co-

XVI. Cognomen Apollini et Dianæ commune eſt οὔλιος, a Græco οὐλεῖν *ſanum eſſe:* ſicque ſeorſim * apud Delios et Mileſios appellabatur.

* Teſte STRABONE *libr. XIV. pag.* 653. vbi videre iuuat *notam* CASAVBONI 2. 3. 4. Neque vero ſolum apud Delios et Mileſios cultum fuiſſe τοῦ καὶ τῆς Οὐλίου, ſed et apud ipſos Athenienſes, vero ſimile redditur, ſi conferamus PLVTARCHVM Theſei in Cretam iter recenſentem, et a MACROBIO *Saturnal. I,* 17. conſeruatum Pherecydæ locum. Plutarchus enim aperte exponit quibus ceremoniis a Theſeo itinerisque periculoſi ſociis, Apollini in delphinio, adeoque Athenis, vota facta ſint: Pherecydes autem diſerte dicit, feciſſe eos vota Ἀπόλλωνι οὐλίῳ καὶ Ἀρτέμιδι οὐλίῳ.

XVII. Vocatur quoque in nummis Apollo Σωτὴρ nec raro apud poetas ἀλεξίκακος, itemque ἐπικούριος.*

* Apollinis ἀλεξικάκου ſtatuam Athenis indicat PAVSANIAS *VIII. pag.* 684. *ed. Lipſ.* Cognomen ipſi inde exſtitiſſe, quod Peloponneſiaci belli temporibus omnia fœdantem peſtilentiam, Delphico reſponſo quodam edito, is deus ſedaſſet. conf. *Lib. I. pag.* 9. Ab eodem auctore indicatur Apollo ἐπικούριος, cui in vico Baſſæ dicto maxime elegans templum conſtructum fuit, quod peſtilentem morbum ab ipſis quoque auerterit.

XVIII. Quum plerique Apollinem et Pæonem pro vno eodemque deo habeant: fuere tamen quibus* aliter ſtatuere et poſterius nomen Aeſculapio potius tribuere viſum fuit.

* Vide doctiſſimi D. D. DANIELIS CLERICI *hiſtoriam medic. Cap. VII.*

XVIIII. Qui ſenſum phyſicum ex fabulis veterum exſculpere laborant,* Apollinem intelligunt eſſe ſolem, vtpote conſtitutionum anni ſalubrium et inſalubrium, ſanitatis morborumque efficacem fabrum.

* vide MACROBIVM *Saturnaliorum I,* 17. PHVRNVTVM *cap. de Apolline et Diana.*

XX. Apollinis progeniem tantiſper differimus, dum de ſororibus Diana et Pallade, vtraque perpetuo virgine,

et

et reliquis diis, abſoluerimus. Artemis Græcis dicta, Latinis Diana eſt, hoc eſt ipſiſſima luna, Iouis, ex eadem Latona, filia, quæ in Ortygia inſula lucem adſpexit. Huius in medicina partes cum fratre Apolline communes ſupra vidimus: nunc quaſi compendium priſcæ perſuaſionis ex CALLIMACHO* adſcribam: *Telum in ſceleratorum hominum ciuitatem iecisti, qui in ſuos et in peregrinos nefaria multa perpetrauerant. Ah miſeri, in quos tu grauem impinges iram: Greges ipſorum peſtis, agros autem grando deuorat. Tonſi autem ſenes lugent filios: et mulieres aut cæſæ moriuntur puerperæ, aut profugæ pariunt, nihilque eorum talo recto inſiſtit.*

* *hymno in Dianam. v. 122. ſeqq.*

XXI. Nimirum, vt Dea quidem alias benigna et Σώτειρα,* credebatur tamen ſolere et poſſe enormia mortalium peccata, in vniuerſum quidem omnium, ſeorſim vero mulierum, punire. Putabatur enim mulieribus in partu præcipue ſuccurrere, vnde Dianam Λοχείαν parturientes inuocabant: de quo plura quæremus, quando de dea Lucina diſpiciemus. De Diana οὐλίῳ modo diximus.

* Dianæ Σωτείρας templum apud Pellenæos in Achaia PAVSANIAS indicat *p.* 594. Eiusdem ſigna Pegis, Atticæ ditionis *p.* 107. vt et apud Megarenſes *p.* 96. annotat: idemque Dianæ παιδοτρόφου templum Coroneæ fuiſſe teſtatur *p.* 365. Quanta per vniuerſam Aſiam religione Epheſi Diana culta fuerit, intelligi poteſt ex Sanctorum Apoſtolorum hiſtoria, *Act. XIX.* quod autem ἄνδρες ἰδίᾳ θεῶν μάλιστα ἄγουσιν ἐν τιμῇ, *viri ſeorſim præcipuo honore hanc deam proſequuti ſint*, rurſus PAVSANIAS *pag.* 357. auctor eſt.

XXII. Ab Artemide inuentam herbam Artemiſiam plures tradunt, quibus *Apuleius* fauet: quamquam alii, cum PLINIO,* malunt eam ab Artemiſia, Cariæ regina, nomen accepiſſe.

* *Lib. XXV. c. 7.*

XXIII. Fuiſſe Dianæ podagræ templum in Laconica, ex *Soſibio* adducit CLEMENS ALEXANDRINVS.*

* *Protreptic. p.* 24.

XXIIII. Pallas, etiam Σώτειρα dea, ex Iouis cerebro, vt credebatur, prognata, quemadmodum omnium artium patrona, ſic medicis potiſſimum exoranda, monente OVIDIO:*

Vos quoque, Phoebea morbos qui pellitis arte,
Munera de veſtris pauca referte deæ.

Eius ope Pericles, quum arcem Athenarum, Mineruæ ſedem, admirandis operibus exornaret, reſtituit operariorum promtiſſimum et maxime operi intentum, quum is improuide fuiſſet ab alto delapſus, periculoſeque decumberet. Ipſi enim, per ſomnium viſa, hunc hominem curandi rationem expoſuit, qua vſus feliciter ſanabatur. Pericles igitur, vt beneficii memoriam immortalem redderet, PLVTARCHO ** teſte, poſuit ſimulacrum æneum τῆς ὑγείας Ἀθηνᾶς, Palladis Hygeæ.***

* *Faſtorum III. ſub finem.*

** *In Pericle.*

*** Hygeæ Mineruæ ſeu Palladis, vt et alterius hygeæ, Aeſculapii filiæ, ſtatuas Athenis ſua vidit ætate et commemorauit PAVSANIAS *p.* 54. Etiam Mineruæ Soſpitæ ara fuit in Acharnana Atticorum curia *p.* 78. Idemque auctor ſeorſim Pæoniæ Mineruæ ſignum, quod Athenis fuerit, annotat *p.* 7.

XXV. Eadem virgo Minerua demonſtraſſe vſum matricariæ, quæ Græcis παρθένιον, quaſi *virginalis*, audit, quæque virginibus feminiſque ſubinde ſalutaris eſt, perhibetur: nec reticendum eſt quod olei inuentionem, ex Græcorum perſuaſione, Mineruæ mortales debeant, cuius ad medicinam non exiguus eſt vſus.

XXVI. Vel hoc etiam nomine medicinæ vindicari Minerua poſſet, quod, docente illuſtri SPANHEMIO,* credebatur omnium fanorum, in quibus numina colebantur,

bantur, κλειδοῦχος ſeu *clauium cuſtos*, et apud Iouem patrem hoc honore habita fuit, vt ipſi ad dextram aſſideat, eiusque præcepta ad Deos referenda accipiat.

* In notis doctiſſimis *ad Callimachi hymn. pag.* 51. *et* 62.

XXVII. Videntur autem veteres, Mineruam medicinæ præſidem cum Apolline conſtituentes, admonere voluiſſe, vt ſalutari arti dediti reliquas elegantiores ne adſpernentur, ſed cum ſua coniungant.

XXVIII. Si quis fabularum de Diana, Minerua, vt et Apolline, curque tria hæc numina medicinæ præfecta ſint, euolutionem legere cupit, adeat iam ſupra indicatum MACROBIVM. Summa eo redit, vt demonſtret Apollinem eſſe ſolem, Dianam lunam, Mineruam autem virtutem et effluuia ſolis et lucis, quæ humanis mentibus prudentiam ſubminiſtrant.

XXVIIII. Modo innuimus Dianam eſſe Lucinam, partus præſidem deam: quod et ſatis comprobat CALLIMACHVS,* cui clariſſime ſuccinit CATVLLVS:**

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis.

Græco nomine vocatur Εἰλειθυια, quod aliquando Latini etiam adhibent. At vero non conſtant ſibi Græci, quippe qui obſtetricium munus ſæpe ad alia etiam numina transferunt. Diſerte HESYCHIVS nominat Iunonem Argiuam, quæ ſine dubio erat Iouis coniux, intelligendam ſub Ilithyiæ nomine. Sæpe etiam plurali numero laudantur Ilithyiæ, quæ intelligendæ ſunt Iunonis filiæ, vt ex HOMERO *** patet.

* loco, quem §. 20. laudaui, cui adde *hymni in Dianam verſ.* 20 -- 25.

** *carmine ſæculari ad Dianam v.* 13. 14.

*** *Iliad.* Λ *v.* 270. *vbi aperte vocantur* Ἥρης θυγατέρες, Iunonis filiæ, quem locum DIDYMVS, ne aliam, quam Iunonem Iouis coniugem intelligamus, ad hanc reſtringit additis verbis:

bis : Διὸς καὶ ἥρας θυγατέρες. Diſſenſus hic etiam inde colligitur, quod *Pauſanias p.* 357. 358. ſeorſim annotat Meſſenios Lucinam, ſeorſimque Dianam coluiſſe. Forte hic diſſenſus ex Creta, cum aliis in pagana religione controuerſis, venit: quippe apud hos Gnoſſii Lucinam Iunonis filiam perhibuerunt, eodem docente *p.* 42. Ceterum Lucinæ multa apud Græcos templa fuiſſe, ex vno *Pauſania* diſcas, qui *p.* 582. apud Aegienſes, *p.* 590. Buranum *p.* 639. Clitorium: et apud Tegeatas templum Εἰλειθύιας τῆς ἐν γόνασι, addita hiſtoria, *p.* 698. recenſet. Idem auctor *p.* 36. nobis indicat, apud Eleuſinios fuiſſe Dianæ προπυλάιας templum : quod epitheton intelligi poſſet, tamquam fanum ante portas vrbis exſtitiſſet, niſi ORPHEVS *hymno I.* inuocans Lucinam προθυρέιαν ſuſpicionem faceret, illud cognominis eo potius reſpicere, vt ſignificet Lucinam in ipſo vitæ quaſi veſtibulo naſcenti homini debere ſuccurrere. Cuius beneficii magnitudinem ſignificare voluiſſe videntur Elei, qui Lucinam, Soſipolin cognomine dictam, i. e. vrbis ſeruatricem, apud ſe colebant : iterum teſte *Pauſania. p.* 501.

XXX. Quin ipſum Apollinem in partu laborantibus ſuccurrere non puduit, vt patet exemplo Creuſæ, ab ipſo compreſſæ, quam, EVRIPIDE* teſte, fecit ἄνοσον λοχέυειν, ſine morboſa difficultate parere.

* *Ion. verſ.* 1631.

XXXI. Apollini propinquum merito ponimus Bacchum, quem et Dionyſum Græci, Latini Liberum Patrem, vocant: quippe, MACROBIO* iterum teſte, vnus idemque eſt cum Apolline, quod ab ipſo multis vetuſtiſſimorum teſtimoniis probatur. Sed vix vllius dei hiſtoria tam obſcura et confuſa eſt, quam Liberi patris, non diffitente DIODORO SICVLO, ** qui prolixe de eo refert. Noſtri inſtituti rationes non permittunt, quæ pugnantia inter ſe in fabulis traduntur, conciliare velle.

* *Saturnalior. I. cap.* 18.

** *Lib. III. p.* 195. *et ſeqq.* Vidit has difficultates *Cic. de nat. deor. II. p.* 1128. qui propterea Liberum patrem Romæ conſecratum, ab illo Græcorum, Semele nato, caute ſeparat.

XXXII.

XXXII. Sufficiat hic notaſſe ab Indis potiſſimum repeti Bacchi originem, ipſique in acceptis referri, quod vitem colere et vinum parare docuerit: culturam etiam ficuum, aliarumque arborum inuenerit: mox arma per vniuerſum orbem tulerit, artesque has propagarit, ſimulque orgia ſua inſtituerit.

XXXIII. Huic itaque Baccho medicinæ inuentionem Aſſyrii Babyloniique, ſi vera Græci tradunt, acceptam referunt. Haud difficile eſt ad peruidendum, quam hæc de Baccho narrata in Oſiridem Aegyptium conueniant: adeo vt non improbabile ſit, quod DIODOR. SICVLVS* adſerit, omnem Bacchi cultum Græcos per Melampodem ex Aegypto accepiſſe. Et forte, ne nimis facile origo inſtituti pateret, Melampus pro Aegyptio rege Indum vel Babylonium dicere maluit, quum ſe fabulam enarrare omnium optime ſibi conſcius eſſet, recteque videret parum intereſſe de quacunque remotiori gente fabularetur.

* *Lib. I. p.* 87. conf. HERODOTVS *II. p. m.* 55.

XXXIIII. Certe enim non capio, qui potuerint Babylonii inuentorem ſuæ medicinæ aliquem perhibere, ſi vera ſunt, quæ HERODOTVS* perhibet, in hunc ſenſum: *apud Babylonios etiam hæc lex ſapientiſſime lata eſt, vt ægrotantes in forum deportent, quoniam medicis omnino deſtituuntur. Accedentes itaque ad ægrotum inter ſe conſultant, ſi quis forte ipſemet eodem morbo laborauit, aut alium laborantem videre ſe meminit. Conſulunt itaque facere idem, quod alii ad ſalutem fecerunt: nec fas eſt quemquam tacite præterire decumbentem. Si nihil aliud, tamen de morbo percunctari neceſſe eſt.*

* *Lib. I. p. m.* 41. *edit. Camerar.*

XXXV. Baccho hedera conſecrata eſt, ſertaque ex hac parata in ipſius honorem geſtabantur. Cuius rei cauſam vario modo reddunt diuerſi auctores: qua-

rum nulla mihi plauſibilior videtur, quam quod primis inſtituti auctoribus, ex pluribus plantis ſemper virentibus, hanc eligere placuit.

XXXVI. Hermeti ſeu Mercurio etiam medicinæ inuentionem fuiſſe adſcriptam, nihil eſt mirum, quum id ab Aegyptiis, vt plura religioſa, acceperint Græci. Id tantum addo, Mercurium Græcorum et Romanorum, vtpote ex Ioue et Maia, Atlantis filia, progenitum, longe eſſe iuniorem illo Aegyptio.

XXXVII. Fuiſſe autem Mercurio, ob medica beneficia, cultum apud veteres habitum, ſatis clare elucet ex PAVSANIA,* qui de Meſſeniis et Tanagræis commemorat, quod Mercurium κριοφόρον coluerint, quoniam vrbes a peſtilentia liberauerit, circumlato in murorum ambitu ariete. Clariſſimus BORRICHIVS ** de ariete in Mercurii ſacris conſulatur.

* *pag. 362. et 752. edit. Lipſ.*
** *Hermet. vindicat. pag. 91.*

XXXVIII. Ex CICERONE * diſcimus eundem eſſe Mercurium et Trophonium, apud Boeotios celeberrimum, de quo inferius erit dicendi locus, vbi de Aeſculapii templis abſoluerimus.

* *de Natur. Deor. III.*

XXXVIIII. Non ſubiungerem diis Prometheum, niſi veterum* auctoritate mihi licere id tandem comperiſſem. Hic in fabulis nobis ſiſtitur tamquam hominum non ſolum effictor et artifex, verum etiam omnium artium vitæ vtilium, et has inter medicinæ, inuentor. Fabula apud multos legitur, non iisdem circumſtantiis: ſed forte apud nullum iucundius legitur, quam PLATONEM.** Inuenta autem ſua multis verbis recitantem Promethea inducit AESCHYLVS ***

* Nam non ſolum PHVRNVTVS, in ſuo *de natura Deorum* commentario, de hoc inter reliquos Deos agit: verum etiam PLATO eundem

eundem Diis intermiſcet, loco mox citando : et AESHYLVS in ſua tragoedia, quæ *Prometheus* inſcribitur, aliquoties θεὸν vocat.

** *in Protagora pag. 287. med. edit. Baſ. Gr.*

*** *in Prometh. v. 454. ſeqq.*

XXXX. Parum nos iuuerit genealogiam huius Promethei ex poetis nunc referre; quum manifeſtum ſit huius fabulæ auctores, quod hominis veram originem ignorabant, ingenioſe tamen expreſſiſſe, ſollertiam hominis, quæ vitæ incommoda quotidie obtingunt, a ſe amoliri excogitaſſe: quod autem adſidua cura et cogitatio, quæ ſapientiæ deditorum animos detinet, corporis vires minuat et conſumat, nec requieſcere hominem ſinat, innuit in eiusdem Promethei fabula vultur hepar eius depaſcens.

Cap. II.

De heroibus medicis, qui Argonautarum tempora illuſtrauerunt.

CONSPECTVS.

Aeſculapius Apollinis filius. I.
a Chirone Centauro educatur. II. III.
quem vitæ exitum habuerit. IIII.
inter aſtra relatus Ophiuchus dicitur. V.
Vxor et liberi. VI.
Qua dignitate vixerit. VII.
Diuinos honores mortuus conſequitur. VIII.
De medicina eius ex Platone. VIIII.
Eiusdem ſpecimina ex Homero. X.
et Pindaro. XI.
Incantationum antiquitas. XII.
Galeni iudicium de Aeſculapii medicina. XIII - XV.
Alius Galeni locus expenditur. XVI. XVII.
Hygini teſtimonium de Aeſculapii medicina. XVIII.
Ab Aeſculapii morte medici. XIX.
Dardanus. XX.
Melampus elleborum inuenit. XXI.
ab eo melampodium dictum eſſe album. XXII.
Niger non multum poſt inuentus eſt. XXIII.

De

De utroque elleboro. XXIIII. XXV.
Anticyræ duæ. XXVI.
De elleboro vtendi modo. XXVII.
ſuperſtitionibus polluto. καθαρμός. XXVIII. XXVIIII.
Melampus vinum aqua temperare docet. XXX.
Præclara de Melampode relata. XXXI. XXXII.
Eius longæuitas et diuini honores. XXXIII.
Filius Thyodamas, nepos Polyidus. XXXIIII.
Scripta ad ipſum relata. XXXV.
Chiron heroum communis præceptor. XXXVI.
Eius peritia medica. XXXVII.
An aliquid ſcripſerit. XXXVIII.
Eius filia Hippo. XXXVIIII.
Ex diſcipulis eminet Hercules. XXXX.
quem furentem Anticyrani ſanauerunt. XXXXI.
dicitur ἀλεξίκακος. XXXXII.
Specimina medicinæ. XXXXIII.
Pellis leonina qua tegebatur. XXXXIIII.
Chironem inuitus perimit. XXXXV.
Nodus Herculeus. XXXXVI.
De Ariſtæo. XXXXVII - XXXXIX.
De Iaſone. L.
De aureo vellere apud Colchos. LI.
Argonautæ. LII.
Aeetas, Hecate, Circe, Medea. LIII.
Trahuntur hæc ad Alchemiam. LIIII.
Borrichii argumenta. LV.
quæ examinantur. LVI.
De Hecate venefica. LVII.
De Circe, Marſis et Pſyllis. LVIII. - LXI.
De Medea. LXII - LXV.
De Angitia. LXVI.
Orpheus. LXVII. - LXVIIII.
Linus. LXX.

I.

VEnio tandem ad heroas vel medicinæ inuentores, vel ſcientia eius celebres, quorum plurimi circa expeditionis Argonauticæ tempora celebrantur, quos inter præcipue eminet AESCVLAPIVS, Apollinis, vt omnes conſentiunt, filius. Sed de matre diſſentiunt, quam plerique vocant Coronidem, Phlegyæ, Lapitharum in Theſſalia regis, filiam: alii Arſinoen, Leucippi Meſſenii filiam. Videantur de eo veteres auctores. *

* Inſtar omnium erit PAVSANIAS, qui in *Corinthiacis* longo ordine exponit, quæ pro natiuitate Aeſculapii, apud ſe olim facta ex matre Coronide, Epidaurii allegauerint. Quo vero pacto Meſſenii pro Arſinoe contenderint, idem auctor exponit. Addatur SCHOLIASTES PINDARI ad *Pyth. III.* Sed matre mortali editum Aeſculapium Phœnices omnino negabant, teſte

teſte iterum PAVSANIA *in Achaicis p. 583. edit. Lipſ. Aeſculapium enim aerem eſſe, omni animalium generi ſalubritatis praecipuam cauſam: Apollinem eſſe ſolem. Nec immerito patrem Aeſculapii haberi; quippe ſi ſol temporibus conuenientem aerem reddat, ſalubritatem hominibus conſtare ſuam.*

II. Quoniam autem mater, quaecunque illa fuit, inſcio parente compreſſa fuerat, partu clandeſtino editus Aeſculapius, Apollinis prouida cura ſublatus et Chironi Centauro educandus erudiendusque fuit traditus. Fabulas multas et inter ſe diſſonas breuitatis ſtudio omittam.

III. A Chirone Centauro, (de quo mox agetur, vbi de Aeſculapio abſoluerimus,) ad optimarum artium, ſed praecipue ad medicinae ſcientiam, adeo eruditus fuit, vt, accedente patris Apollinis beneuolentia, in arte medica vnus omnium maxime floreret, eoque mereretur medicinae inuentor celebrari. Talis quum eſſet, orbem omnem circumiiſſe et hominibus arte ſua ſuccurriſſe eum ferunt. Praecipue autem celebratur nomen eius inter heroas, qui Argonauticam expeditionem ſuſceperunt.

IIII. Vitae tandem finem inuenit Iouis fulmine percuſſus, ſiue quod nimis ſe auarum glorioſumque gereret, ſiue, vt poetae fingunt, quod Pluto ſuum regnum per artem eius labefactari identidem apud Iouem quereretur. Sed PLATO * et SVIDAS honorificentius de eo tradunt: tamque liberalem fuiſſe hic praedicat, vt et pauperes ab inferis reuocaret: mortuum autem eſſe ſideratione pulmonum, quod ignari medicarum rerum ad ſiderationem fulminis traxerunt. A quo non multum diſſentit PLINIVS. **

* *Politicor. III. p. 399.* vbi Pindarum nominatim arguit.
** Libr. XXIX. 1. vbi fabulis accenſet, non ſine indignationis ſignificatione, narrationem illam.

V. Inter diuos referri Aeſculapius meruit beneficiis ſuis humano generi praeſtitis: inter aſtra quoque elucet ophiuchi nomine celebris.

VI. Vxorem habuiſſe ferunt Epionem, ex qua filios ſuſcepit Machaonem & Podalirium: filias autem quinque vel ſex, quarum nomina recenſentur Iaſo, Aegle, Aceſo, Hygea, Panacea, Rome.

VII. Ceterum Aeſculapium nobis veteres vt illuſtriſſimum virum vbique deſcribunt: et ſeorſim HOMERVS * tamquam regulum non exigui territorii in Theſſalia, in qua vrbes erant non ignobiles Tricca, Ithome et Oechalia, quarum ſitum nobis deſcribit STRABO. **

* *Iliad. β. v. 729.*

** *Geogr. Libr. IX. p. 437.*

VIII. Quantos poſt mortem honores conſequutus ſit, quæ templa ipſi conſecrata ſint, quis cultus inſtitutus, inferius ampliſſime indicabo. Nunc quærendum fuerit, qualis et quanta medicina Aeſculapii fuerit: in quo non parum diſſona videas ab antiquis auctoribus tradita.

VIIII. Videtur autem mihi antiquiſſimorum temporum vitæ generi ſatis conuenienter iudicare PLATO, * quod medicina Aeſculapii admodum ſimplex fuerit, noveritque aliqua ab experientia comprobata, quibus potiſſimum vulneratis ſuccurreret: aut, ſi hominibus cetera ſanis, nec luxu nec deſidia corruptis, morbus quidam forte innaſceretur, purgaret corpus morbidumque eiiceret: ſed illas ſubtilitates, quas diætetica medicina deinceps inuenit, prorſus ignorauerit atque neglexerit. In cuius probationem adfert morem filii Machaonis, qui ad Troiam vulneratus tulit æquo animo ſibi, vt et Eurypylo æque ſaucio, offerri prægrandem calicem vino plenum, cui caſeus radula comminutus et farina immiſcebantur, vt HOMERVS ** prolixe exponit. Hoc autem poſteriorum medicorum neminem permiſſurum adſerit, quum ſe tamen ab Aeſculapio Aſclepiadas, ſcili-

cet

cet et poſteros et doctrinæ heredes, vocarent ac profiterentur.

* *Politicor. III. p.* 398. Pulcerrimus eſt locus. Indicat minus tunc temporis corruptos mores et pauciores morbos et leuiores tuliſſe. Nomina flatulentiæ, catarrhorum, tunc non fuiſſe audita. Corruptiori deinceps ſæculo Herodico opus fuiſſe, qui gymnaſticam medicinæ innecteret, vt ſibi ſuique ſimilibus longam mortem pararet. Sed iterum attingemus hunc locum, ſi ad Herodicum deducti fuerimus.

** *Iliad.* Λ. v. 630. ſeqq.

X. Apud HOMERVM certe non vno loco legimus Aeſculapii filios, exemptis e vulnere ſagittis vel ſpiculis, ea deinceps aqua frigida lauiſſe, tum medicamenta dolorem lenientia et ſanguinem ſiſtentia impoſuiſſe: quæ iterum faciunt ad intelligendum, quod herbas quasdam calluerint vulnerarias, quas ſi ab Aeſculapio patre edoctos exiſtimemus neutiquam errauerimus. Hunc autem eas didiciſſe a Chirone Centauro facile perſuaſerit PLVTARCHVS,* qui probaturus veterem medicinam plurima ex vegetabili regno accepiſſe, ritus vetuſtos, ſua ætate adhuc durantes, adducit: Tyrios ſcilicet Agenoridæ, Magnetes vero Chironi, primitias offerre, quippe vetuſtiſſimis eorum, qui medicinam exercere ſuſceperunt, in ſua quemque patria: *quippe*, inquit, *herbæ vel radices erant, quibus ægrotis medebantur.*

* *Sympoſiac. III. quæſt. I.*

XI. Haud longius artis Aeſculapii terminos producit PINDARVS,* quando ipſum canit opem tuliſſe hominibus, qui eſſent vlceribus ſponte natis obſeſſi, aut qui armis vulnerati eſſent, aut lapidis iactu contuſi, aut a frigore vel ſolis calore ambuſti: quos quidem curauerit vel incantamento, (μαλακαῖς ἐπαοιδαῖς) vel potionibus medicatis: aliis medicinas exteriores applicuerit, alios denique incidendo incolumes reddiderit.

* *Pyth. III. ſtroph.* 3.

XII. Meretur attendi antiquitas incantamentorum, quæ, D. D. CLERICO iudice, longe vltra Aeſculapii tempora adſcendit, interque orientales æque ac occidentales nationes regnauit. Non minoris antiquitatis videntur amuleta, periapta, aliaque huius generis, omnino orientalium ſuperſtitionem prodentia, quæ plenius in lucem prodierunt, tempore quo Valentinianorum hæreſis, ſæculis a Chriſto nato primis, erupit, quare illo loco plura exſpectanda de eo erunt: nunc enim ad Aeſculapii medicinam reuerti oportet.

XIII. Si GALENVM, aut quisquis eſt auctor *Introductionis* Galeno adſcriptæ, audimus, longe auguſtior fuit medicina Aeſculapii. Ita enim ille inquit: *Sed hæc quidem* (nempe Aeſculapio ſuperiorum, vt Melampodis et aliorum, quos commemorat) *experientia ratione vacua, nondumque rationalis fuit. Ceterum perfectam medicinam et omnibus numeris abſolutam, nimirum diuinam aio, Aeſculapius ſolus inuenit. Illam vero, quæ inter homines verſatur, huius ſucceſſores Aſclepiadæ poſteris veluti hereditario acceptam tradiderunt.*

XIIII. Sed vix fidem meretur Galenus, quando vsque adeo perfectam medicinam ab Aeſculapio inuentam, magis pro amore in Deum patrium, quam ex vero, ſcribit. Id obſeruamus perpetuo in Galeno, quod de Aeſculapio, et integro ordine Aſclepiadarum, verba faciens, magnifica omnia prædicet: at vero vbi errores in vno vel altero indiuiduo notandi occaſio offertur, honoribus ſingulorum nimis detrahat. Cuius quidem moris quas cauſas habuiſſe veroſimillimum ſit, alibi pluribus exponemus.

XV. Sed forte aliquid arcani latet in eo, quando diuinam Aeſculapii medicinam perfectam notat, deinde vero ipſi opponit eam, quæ inter homines verſatur: nimi-

nimirum vt locus relinqueretur, quæcunque imperfecta et manca eſſent, hominum negligentiæ erroribusque imputandi.

XVI. Aliud nobis particulare de Aeſculapii medicina ſuggerit GALENVS, * quem locum integrum ex verſione TH. LINACRI adſcribam: *Nos ægros quotannis non paucos perſanauimus, ſolis animi motibus ad debitum modum reuocatis. Eſt vero non ſpernendus huius ſententiæ teſtis ipſum patrium nobis numen Aeſculapius, qui multas ſcribi cantilenas, mimosque ridicularum rerum fieri, et melodias quasdam, inſtituit iis, quibus vehementiores animoſæ partis motus corporis temperamentum iuſto calidius efficerent. Aliis quibusdam, neque iis paucis, venari, equitare, atque armatos exerceri iuſſit, iisdemque ſtatim tum ipſorum motuum ſpeciem, vtique quibus motus iniunxit, tum armorum, quibus armatis exercitari præcepit, definiuit. Non enim quo pacto excitetur, erigaturque animoſa pars, cum imbecilla ſit, præcipere ſat habuit, niſi etiam menſuram illius ab exercitationum idea definiret.*

* *de ſanitat. tuend. lib, I. p. 218. 219. ed. Lat. Frob.*

XVII. Videtur ſane hoc Galeni teſtimonio eluceſcere quam naturalem rationem τῶν ἐπαοιδῶν, ex Pindaro laudatarum, reddere liceat: ſimulque non difficillimum fore, ſi quis Aeſculapium artis gymnaſticæ quam maxime laudabilis, (quatenus vitioſæ temporum decurſu factæ ab ipſis veteribus opponitur,) auctorem hominibus fuiſſe vellet oſtendere. Sed vnicum dubium ſupereſt, idque, vt exiſtimo, non contemnendum, an Galenus hoc loco de eo loquatur, quod Aeſculapius inter homines verſatus feciſſe credi debeat, an vero potius quod Aeſculapii nomine callidi ſacerdotes Pergameni memoria Galeni fecerunt. Valde enim vereor vt probari

bari poſſit illis temporibus, quibus Aeſculapius inter homines vixiſſe creditur, mimorum artem ad riſus excitandos compoſitam ita fuiſſe excultam, vt pro triſtitiæ remedio adhiberi potuerit. Nec Platonem, Galeno multo antiquiorem, qui multis verbis paſſim dicit quid in medicina laudet vel reprehendat, prætermiſſurum huius rei mentionem fuiſſe exiſtimo, ſi omnino ipſi res illa nota fuiſſet.

XVIII. HYGINVS* facit Aeſculapium auctorem medicinæ clinicæ, id eſt illius, quæ ad ægrotantis lectulum exercetur, opponiturque tum illi, quæ ex templis deorum petebatur, tum iſti vagæ circumforaneorum, conuentus hominum frequentiores oberrantium. At vero quum vix veroſimile ſit poſterioris generis homines tunc temporis fuiſſe; nec prioris generis illi adeſſe potuerint: non iniuſte dixerimus nomen clinicæ medicinæ magis eſſe recens: ſuoque tempore originem eius probabiliorem indicare laborabimus.

* *cap.* CCLXXIIII.

XVIIII. Ab Aeſculapii morte medicina ad homines peruenit. Potiſſimum autem exercebatur ab illis, qui ſe Aſclepiadas ab Aeſculapio appellabant. Ante vero quam de his dicere liceat, oportet plures homines Argonautica expeditione ſuperiores, tum vero etiam Aeſculapio coæuos aliquos, ordine recenſere.

XX. Non omnino reticere poſſum hic Dardanum, hominem ſane vetuſtiſſimum, ſi vnus idemque eſt Dardaniæ, id eſt Troianæ gentis, et libri dynameron inſcripti et a veteribus ſubinde laudati, auctor. Titulum huius libri non vno modo intelligunt docti viri: alii enim exiſtimant in hoc opere doceri præparationem medicamentorum particularium, certis diebus, quibus ſingularis illorum vis eſt, colligendorum: doctiſſimus autem

autem SALMASIVS* per dynameros putat denotari genus dæmonum valentiorum. Quicquid ſit de libro diu deperdito, illud certum eſt et extra controuerſiam poſitum, Dardanias artes, vt ſuperſtitioſas et magicas, ſubinde citari, medicinæque opponi. Conſulatur CL. FABRICIVS.**

* *ad* SPARTIANI *Hadrianum c. XIV.*

** *Biblioth. Græcæ Lib. I. c. IV.*

XXI. Melampus, Amythaonis et Aglaiæ filius, Argiuus, multum in veteri hiſtoria celebratur, potiſſimum vero quod in Aegypto acceptos, vel a Cadmo aliisque Tyriis, qui cum hoc e Phœnice venerant, auditos, plurimos religioſos ritus, præſertim Cereris et Bacchi, multasque profanæ ſuperſtitionis fabulas, in Græciam transtulerit, ibique myſteriis illorum numinum homines initiauerit, teſtibus HERODOTO,* DIODORO SICVLO** et CLEMENTE ALEXANDRINO.*** Erat poeta inſignis, ceterum autem, pro more illorum temporum, paſtor. Quum itaque obſeruaret capras ſuas purgari, quoties elleboro veſcerentur, hac ratione in cognitionem virtutis huius plantæ deuenit, eoque remedio percurauit regis Proeti filias furentes, multasque eiusdem regionis feminas eodem morbo laborantes, præmiumque felicis curationis retulit alteram harum filiarum ſibi in vxorem, cum parte tertia regni: alteram vero filiam fratri ſuo Bianti, cum tertia regni altera, impetrauit. Videri de hac curatione poſſunt, præ ceteris auctoribus, HERODOTVS** et PAVSANIAS.*

* *Lib. II. cap.* 49. ** *Lib. I. pag.* 87.

*** *Protreptic. p.* 10. ** *Libr. IX. cap.* 33.

* *Corinthiac. pag.* 150. Regem hic vocat Anaxagoram. Forte nec mentione indignus fuerit locus, quo curatio hæc peracta apud eundem legitur. Indicat autem Arcadiæ vrbem Luſos, vbi ex altera parte aqua ſtygia, omnino lethalis, profluit, ex altera non longe abeſt fons prægelidæ aquæ,

alyſſos

alyſſos ab effectu dictus, quoniam rabiei caninæ certo mederi credebatur. vide PAVSANIAM p. 635 - 637.

XXII. Ex eo gloria ellebori celebrari cœpit, ipſaque planta ab inuentore Melampode melampodium appellari. Vix dubium eſt ex duobus elleboris album hic eſſe intelligendum, quem innoxie ab ouibus aliisque animalibus comedi, quum nigrum illis pernicioſum ſit, plures auctores teſtantur.

XXIII. Sed non adeo multum poſt etiam inuentum eſſe veratri nigri vſum, vel ex eo apparet, quod Hercules, a neſcio quo ciue Anticyrano, huius ope a furore liberatus perhibetur: vnde antiquitas elleboriſmorum, ſeu purgationum cum veratro, elucet: de quo pauca adhuc dicenda ſunt.

XXIIII. Veratrum quidem album eſſe illud Melampodis, ex ſuperius adducta nota, et Plinii Galenique teſtimoniis, ſatis videtur certum: verum DIOSCORIDES* rem totam ad nigrum refert.

* *Lib. IV. cap.* 146.

XXV. Nigrum hunc eſſe, qui apud nos hoc nomine venit, Theophraſti teſtimonio, aduerſus Dioſcoridem, qui iterum hic turbat, probari poteſt: tum vero etiam, quod BELLONIVS,* qui loca illa obiuit, nullum alium ibi deprehendit. Præcipue autem frequens erat in Helicone, Parnaſſo, Olympo montibus, per omnem Aetoliam, et præcipue apud Anticyranos.

* citante CAMERARIO *in horto philoſ. et med.*

XXVI. Sed quum duæ Anticyræ fuerint, altera ad ſinum Corinthiacum ſita in Phocide, altera ad ſinum Maliacum: dubium eſt, quænam ſit illa ob elleboriſmum olim tantopere celebrata, vt in prouerbium abierit: quum Pauſanias illam illuſtribus ſignis denotet, cui omnino ſuccurrit HELLADIVS BESANTINOVS apud

PHO-

PHOTIVM: * hanc vero Strabo et Stephanus Byzantinus nobis oſtendant.

* in *Excerptis ex Helladii Beſantinoi Chreſtomath. pag.* 1591. *ed. Schot.* vbi diſerte legitur: *Anticyram, vbi album veratrum naſcitur nullo alibi creſcente deterius, vrbem Phocenſem eſſe.* Reliquorum auctorum loca ſeorſim indicare ſuperuacuum exiſtimaui, quum id olim fecerim in diſſertatione *de elleboriſmis veterum Halæ Magdeburg.* 1717. edita.

XXVII. At vero hæc conciliare parum forte referet. Vtinam liceret modum indicare, quo veteres, ad ſalutem plurimorum mortalium, elleboro vſi fuerint. Dolendum autem eſt veteres, qui ſuperſunt, de elleboriſmis, tamquam re inter medicos omnes cognitiſſima, nimis ſtricte et conciſe ſcripſiſſe, illos autem, qui modum ex inſtituto tradiderunt, temporum iniuria intercidiſſe, vt ad nos nihil illorum peruenerit. Quicquid ex antiquis colligi potuit, in diſſertationem modo dictam congerere ſtudui. Hic notaſſe ſufficiat, veteres non ſine magna præparatione ad elleborum propinandum acceſſiſſe: quippe multa prouide inſtituta erant ante exhibendum pharmacum facienda vel omittenda: multa accurate tenenda, ſi iam potum eſſet medicamentum, vt operatio promoueretur, et terribilia ſymptomata præoccuparentur. Ex quo apparet eos elleboriſmum non pro re vili, ſed omnino ardua et accuratam diligentiam depoſcente, habuiſſe.

XXVIII. Sed præter ea, quæ artis ſunt, Melampus, vt erat ſuperſtitionis callidus magiſter, inſtitutum ſuum multis circumſtantiis commendare, an contaminare? voluit. Adhibebantur enim ad actum ſollemnis καθαρμοῦ varii ritus religioſi, incantamenta, luſtrationes, balnea, ſuffitus, quorum phyſicam rationem non facile inuenias, etſi de balneis mitius iudicare veterum praxis iubeat. Videri apparatus ille poteſt apud CLEMEN-

TEM ALEXANDRINVM,* vbi comicorum veterum MENANDRI et DIPHILI fragmenta de his leguntur. Commemorantur tæda, bitumen, ſulphur, ſcilla, lana flaua, fruſta ſalis: et expreſſa Proetidarum mentio adiicitur, vt ne dubitandi locus ſuperſit talia omnino fuiſſe ad Melampodem relata.

* *Stromat. lib. VII. pag.* 713.

XXVIIII. Quin inuenimus etiam multis poſt Melampodem ſæculis elleborum album expiandis et purgandis, non ſine ſuperſtitione, ædibus, cum precatione ſollemni, adhibitum. Immo non ſine augurio effodiendum, ſiue rebantur, ſiue populo perſuadebant, vt illi, qui modum adhibendi callebant, indeque emolumentum capiebant, eo magis impedirent, ne remedium in popularem perueniret notitiam ac vſum. Ex quo ſpecimine diſcamus, ſuperſtitionem, curationibus naturalibus impie ſuperadditam, priſcis temporibus quaſi ſepem monopolii fuiſſe Aſclepiadis, immo, ante et præter hos, omni ſacrificulorum turbæ.

XXX. Melampodi tribuitur, quod primus vinum æquali menſura aquæ permiſcere docuerit, adeoque ἀκρατοποσίαν, ſeu vini meraci potum, auferre conatus ſit: cuius quidem inſtituti laudabilem rationem facile intelligere licet, ſi cogitemus vinorum Græcorum generoſam bonitatem, et noxas, ab illorum meracorum ingurgitatione annotatas, ex veteribus repetere velimus.

XXXI. Ceterum PLINIVS* commemorat diuinitatem et quandam cælitum ſocietatem in Melampode notatam fuiſſe: in quo eum confert cum Sibylla. GALENVS autem refert ipſum ſupra ceteros mortales auditu excelluiſſe: quod eo ſpectat, vt Apollodorus auctor eſt, et ab aliis crebro dicitur, quod volucrum

linguas

linguas intellexerit, aut intelligere ſe finxerit: cuius commenti nebula auctoritatem augurali ſcientiæ, quam profitebatur, parabat. Specimen artis huius, a Melampode editum in Iphicli ſterilitate auferenda, ex eo D. D. CLERICVS** adfert.

* *Hiſt. natur. lib. VII. cap. XXXIII.*

** *Hiſt. medic. I. pag.* 26. Conferri etiam merentur de Melampode D. D. FABRICIVS *in bibl. Gr. Lib. I. c.* 15. et BAELIVS *in Dictionario.*

XXXII. Nimirum, miſſis circumſtantiis ſuperſtitioſis, eo res redit, vt rubigine ferri, ad decem dies cum vino potui data, illum ſanitati reſtitueret: quod forte primum et antiquiſſimum exemplum eſt metallici medicamenti in vſum vocati.

XXXIII. Oportet Melampodem longæuum factum fuiſſe, quum aliquæ circumſtantiæ ſuadeant credere ipſum ſesquiſæculo ante Argonautarum expeditionem vixiſſe: Iphiclus autem, quem ſic curaſſe legimus, expeditioni illi interfuerit. Ceterum mortuo Melampodi ab aliquibus diuinos honores habitos, templaque in eius honorem exſtructa fuiſſe, apud PAVSANIAM* legimus.

* *Lib. I. pag.* 107. *Aegiſthænis Melampodis, Amythaonis filii, templum eſt, et in eo non magni v*[illegible]*que viri ſignum columnæ inſiſtit. Melampodi ſacrum faciunt, et feſtum diem quotannis celebrant.*

XXXIIII. Filium reliquit Thyodamas dictum, paternarum artium heredem, ſed non æque celebrem memoriam conſequutum. Nepos Melampodis fuiſſe perhibetur Polyidus: ſed ſcrupulum iniicit GALENVS, aut quisquis eſt auctor Introductionis, qui ipſum Aeſculapio ſuperiorem, ætatis ratione collocat. CLEMENS ALEXANDRINVS* Argis et Megaris ipſum claruiſſe indicat: nec abnuit PAVSANIAS.

* *Stromat. I. p.* 334.

XXXV. Scripta quædam ad Melampodem auctorem relata feruntur: ſed res ipſa loquitur illa eſſe iunioris cuiusdam, qui ſe in Aegypto, et ad Regem Ptolemæum, ſcripſiſſe palam profitetur. Agunt de diuinatione ex palpitationibus ſiue ſaliſſationibus membrorum, vt et ex næuis oleaceis in corpore: quod vtrumque argumentum ad medicinam proprie non pertinet. Quia vero medici non poſtremi dignam curioſitate ſua obſeruationem næuorum exiſtimarunt: nolui hoc loco mentionem huius rei omnino omittere: præſertim quum res Ptolemæorum æuo antiquior eſſe videatur, et orientalem ſuperſtitionem adiunctam habeat. Obſeruationem ſaliſſationum inter orientales populos adhuc hodie vigere, facile perſuaſerit rerum orientalium quondam peritiſſimus HERBELOTVS*

* *in Bibliothec. orientali.* Exſtare nimirum teſtatur librum ſub titulo Kitab al-ichtilâg, de quo ſic refert: *dans lequel il eſt traité des prognoſtiques, qui ſe tirent de ces treſſaillemens, et il y a une diſtribution de prieres ſuperſtitieuſes, que l'on doit faire ſelon les parties du corps, ou ils arrivent. L'on attribue cet ouvrage a Giafer Ben Muhammed al-Sadik, un des douze Imams de la race d'Ali. Les Turcs ont un livre ſemblable en leur langue et l'appellent Signir Nameh, c'eſt a peu prés celui que les Grecs appellent* περὶ τῶν παλμῶν.

XXXVI. Veniendum nunc eſt ad Chironem Centaurum, Saturni, vt fertur, et Philyræ filium, quem PINDARVS* deſcribit vt virum corpore ferum, animo ἀνδρῶν φίλον, id eſt humaniſſimo. Hunc poetæ et hiſtorici nobis ſiſtunt tamquam in antro Pelii montis reſidem, ad quem, tamquam ad communem præceptorem, heroes illius temporis diſcendi cauſa confluxerint. Erudiuit autem Aeſculapium, vt ſupra dictum eſt, in medicina, eiusdemque artis participes alios fecit, eosque inſuper armorum equorumque vſum, vt et muſicam, immo etiam iuſtitiam edocuit. Longum catalogum

eorum,

eorum, quos ad venationem inſtituit, dat XENOPHON,** inque hoc præter Aeſculapium comparent Neſtor, Theſeus, Vlyſſes, Achilles, Aeneas, Podalirius, Machaon, Diomedes, Caſtor, Pollux, Palamedes, Græciæ antiquiſſimæ principes. Chironem vero ab Apolline et Diana, propter iuſtitiam, venationem fuiſſe edoctum canesque accepiſſe, hocque accepto dono lætum fuiſſe vſum, eidem auctori creditur. Addit PHILOSTRATVS ipſum vitam longiſſime produxiſſe.

* *Pyth. III. initio.*

** *libri de venatione initio :* addatur PHILOSTRATVS *in heroicis p. m.* 165.

XXXVII. Tribuitur ipſi, medicinæ intuitu, in genere magna eius peritia, ſiue ad hominum, ſiue ad animalium vſum expeteretur ſeorſim: autem rei herbariæ et medicamentariæ auctor perhibetur a PLINIO* et PLVTARCHO,** qui ſimul commemorat Magnetes ipſi, tamquam primo medico, primitias herbarum et florum obtuliſſe. Nomen eius gerunt centaurea, quod nos centaurium vocamus, teſte iterum PLINIO.*** Quod vero idem Chiron vulnera etiam et vlcera tractauerit, ex eo diſcamus licet, quod vlcera Chironia in prouerbium abierunt.

* *Libr. VII. 56.* ** *Sympoſiac. III. quæſtion. 1.*

*** *Libro XXV. 6.* idem vocari Chironium ibidem diſcas, qua occaſione nominis ratio indicatur; ſimulque cognoſcitur quantum a noſtro centaurio diuerſum ſit illud, de quo Plinius agit.

XXXVIII. Vt itaque heroas docuiſſe Chironem nemo dubitat, ſic incertum eſt an literis aliquid conſignauerit. Laudant certe veteres aliquod poema, quod alii ad hunc Chironem, alii ad Heſiodum transtulerunt, de quo videatur CL. D. D. FABRICIVS.* Laudantur etiam eiusdem hippiatrica, hoc eſt de medicina veteri-

 naria

naria libri, ſed pridem, modo Chironis genuini fuerunt, deperditi.

* *Biblioth. Gr. lib. I. cap. 3.*

XXXVIIII. Plura Chironis merita indicat CLEMENS ALEXANDRINVS* qui nos porro edocet filiam ipſi fuiſſe, Hippo dictam, Aeoli deinceps vxorem factam, quem patriam ſcientiam, naturæ contemplationem, docuerit. De mortis genere inferius dicam.

* *Stromatum I. p. 306.*

XXXX. Sed, age, diſcipulos ordine percurremus, quos inter gloria apud veteres maxime excellit Hercules, cuius vitam et facta veteres omnes diffuſa opera tractant: inter quos præcipue videri debet DIODORVS SICVLVS.* Iouis adulterio cum Alcmena, Amphitruonis vxore, generatus eſt: et quum regnum inter Perſidas, ex Iouis promiſſo, interueniente Iunonis dolo, obtinere non poſſet, proſpexit tamen pater nominis eius celebritati, vt poſt duodecim labores ab Euryſtheo ipſi imponendos, ſi feliciter peracti eſſent, immortalium deorum conſortio potiretur.

* *Libr. IV. inde a pag.* 216. *ad* 244.

XXXXI. Ferunt Herculem tam indigne tuliſſe, quod duro Euryſtheo ad parendum, obſequiumque præſtandum, addictus eſſet, vt præ mœrore ægrotaret: qua occaſione vſa Iuno rabiem viro immiſit. Sed ab hoc furore liberatus eſt Anticyræ ellebori potu, vt apud PHOTIVM* refertur.

* *pag.* 474. *edit. Schotti.*

XXXXII. Labores fere omnes eo redeunt, vt humanum genus a nocentiſſimis et terrificis monſtris liberaret: vnde Græcis ἀλεξίκακος vocatur. Multi ad ſenſum verum, ſub inuolucro fabularum latentem, eruendum operam contulerunt. Ex his ad rem medicam ſpectat

ſpectat hydra Lernæa ab Hercule magno labore confecta, quam LANCISIVS* doctiſſime exponit de nocentiſſimarum et peſtiferarum paludum exſiccatione, et hinc facta aeris circumuicini emendatione, morborumque exſtinctione: quo quidem beneficio valde eguiſſe homines, quum primum regiones a diluuio inundatæ, ſtagnantibusque aquis ſuperfuſæ, habitabiles reddendæ eſſent, præſertim in calidioribus regionibus, facile intelligitur.

* in libro aureo *de noxiis paludum effluuiis. L. I. c. 9.*

XXXXIII. Specimina artis medicæ inſignia ab auctoribus conſignata equidem non inuenio. Interim nomen eius gerit papauer ſpumeum, Heracleum Dioſcoridi et Theophraſto dictum: item ſideritis Heraclea, Panaces (πάνακες) Heracleum, ex quo opopanax legitur, de quibus conſulendi ſunt herbariæ rei auctores. quin, PLINIO* auctore, Herculi eam quoque ſcribunt, quæ Apollinaris, apud Arabes Altercum ſiue Altercangeno, apud Græcos vero hyoſcyamus vocatur. Etiam morbus comitialis Herculeus dictus eſt: incertum quo intuitu: vt et obſcura eſt ratio, cur dictæ plantæ ad Herculem potiſſimum fuerint relatæ.

* *Lib. XXV, 4.*

XXXXIIII. Ceterum de Hercule notum eſt, quod pingatur pelle leonina obtectus, quam, vt fabula eſt, detraxit leoni Nemeo, quem primo certamine deuicit. Sed PTOLEMAEVS HEPHAESTIONIS* perhibet hunc leonem non quadrupedem, ſed virum fuiſſe gigantem, cui a ſe victo pellem Hercules detraxit, ſibique circumdedit. Adeoque anatomici, dum homines excoriant, non ſolum Apollinis Marſyam excoriantis exemplo, ſed inſuper hoc Herculis, tueri ſe poſſunt.

* *apud* PHOTIVM *Cod. CXC. pag.* 484.

XXXXV.

XXXXV. Malam gratiam præceptori ſuo Chironi rependit, ſi verum eſt, quod DIOD. SICVLVS* ſcribit, ipſum, in pugna cum Centauris commiſſa, Chironem, quantumuis inuitum, ſagittæ iactu interemiſſe.

* *Libr. IV. pag.* 221.

XXXXVI. Apud PLINIVM* laudatur nodus Herculeus, his verbis: *Vulnera nodo Herculis præligare, mirum quantum ocyor medicina eſt. Atque etiam quotidiani cinctus tali nodo vim quandam habere vtilem dicuntur, quippe cum Hercules eum prodiderit.* Quo pacto nodus hic nectatur, videri poteſt apud ORIBASIVM.** De vſu Herculei nodi extra medicinam, videatur ALEXANDER ab ALEXANDRO.

* *hiſt. nat. lib. XXVIII. cap.* 6. ** *de laqueis cap.* 8.
*** *Dier. genial. Lib. II. cap. V.*

XXXXVII. Vt inter Chironis diſcipulos, aut ſaltem alumnos, etiam referamus Ariſtæum, Apollinis ex nympha Cyrene filium, facit poeta APOLLONIVS RHODIVS*, qui ipſum in Lybia, vbi Cyrenæ deinceps conditæ ſunt, natum, deinde vero admodum puerum ad antra Chironis delatum, ibique a muſis medicinam et vaticinandi artes edoctum, canit. DIODORVS SICVLVS** Chironi nullas in educatione noſtri partes tribuit, ſed nymphis potius Cyrenaicis, a quibus lactis coagulationem, aluearium ſtructuram et oliuarum cultum edoctus, inſtar alterius Oſiridis aut Bacchi, terrarum multas partes, præcipue inſulam Ceam, Siciliam, Sardiniamque, adiit, arteſque dictas propagando, et paſſim morbos profligando, diuinos poſt mortem honores meruit. Quin in ipſam Thraciam profectus dicitur, ibique Bacchum inueniſſe et ab ipſo multa didiciſſe. Cadmi filiam Autonoen in matrimonio habuiſſe, regemque Arcadiæ fuiſſe, inſuper perhibetur. Longe plura de eo videri poſſunt, eiusque beneficiis, apud NONNVM.***

* *Argo-*

* *Argonauticor. lib. II. verſ. 511.* ** *Libr. IV. pag.* 280. ſeqq. *** *Dionyſiac. lib. V.*

XXXXVIII. Celeberrimus D. D. CLERICVS * ſcribit ipſi Ariſtæo a quibusdam attribui inuentionem Laſerpitii, quod et Silphium apud veteres audit, olimque optimum afferebatur ex Cyrenaica prouincia: ſed, præter conſuetudinem ſuam, omiſit, quo auctore id tradat. Saltem non video qui potuerit Ariſtæus ſilphium inueniſſe, ſi vera ſunt quæ PLINIVS, ** ad euidentiſſimos Græciæ auctores prouocans, de epocha ſilphii inuenti et Cyrenarum conditarum, conſignauit. Sed quum hæc in tempora recentiora incidant; tuncque pluribus de medicina Cyrenaica diſpiciendum fuerit: merito nunc ſuperſedemus illo labore vlterioris inquiſitionis.

* *hiſtor. medic. parte I. pag.* 31. ** *Libro XIX. cap. III.*

XXXXVIIII. Vix dubito hunc eſſe illum Ariſtæum, quem auctor introductionis Galeno adſcriptæ cum Polyido coniunxit, et ſequenti elogio mactauit: *Quæcunque Ariſteo, Melampodi et Polyido adſcribuntur, experientiam quandam habuerunt. Sed hæc quidem experientia ratione vacua, nondumque rationalis fuit.*

L. Inter Chironiæ diſciplinæ alumnos forte clariſſimus eſt poſt Herculem Iaſon, quo duce heroes illius temporis expeditionem Argonauticam ſuſcepere. Ipſemet Iaſon medicinæ gnarus fuiſſe a multis perhibetur: et famoſiſſima expeditio ad hiſtoriam hanc pertinentia quædam habet: quare nunc ad eam exponendam venimus.

LI. Scilicet fama erat in Colchide aſſeruari aureum aliquod vellus, de quo oraculum rex acceperat tunc ſe moriturum eſſe, quum aduenæ vellus illud abſtuliſſent. Quare non ſolum illud arctiſſima cuſtodia ſeruabatur: ve-

rum etiam omnes aduenæ, quamprimum pedem in continentem poſuiſſent, mactabantur; eo conſilio, vt fama inhoſpitalitatis omnes peregrini ab adeunda hac terra arcerentur.

LII. Sed Iaſonem ſtimulabat gloriæ cupiditas ad aliquid audendum, quo memoriam ſuam immortalem redderet. Quare nauem prægrandem, Argo dictam, in monte Pelio ſtruxit, delectisque ex optimo flore heroum, qui ſocietatem huius periculi exoptabant, LIIII. ſociis, omnibus rebus neceſſariis inſtructus, eo nauigauit. Dux erat ab omnibus delectus Hercules: Orpheus tamquam vates aderat. Ipſi heroes remigum officio per vices fungebantur.

LIII. In Colchide tunc regnabat Aeetas (Αἰήτης) qui in matrimonio habebat Hecaten, exque illa duas ſuſceperat filias, Circen et Medeam: quæ tres feminæ deinceps erunt deſcribendæ. Nunc ſufficiat annotaſſe Iaſonem, quum ad Colchos naui appelleret, bono fato ſuo incidiſſe in Medeam, tunc ex aula profugam, vt parentum ſororisque iram euitaret. Cum hac, pacto prius matrimonio, conſilia communicat, eiusque ope cupito vellere feliciter potitur.

LIIII. Hæc breuis eſt facti hiſtoria, quam aliqui auctores, ſed vix ſæculo VII. pares, vt SVIDAS,* EVSTATHIVS,** aliique recentiores hos ſequuti, trahunt ad Alchemiæ antiquitatem demonſtrandam: aureumque id vellus exponunt füiſſe librum de arte aurifice, cuius auferendi gratia tot labores, totque pericula Iaſon cum fortiſſimis Græcis ſubierint. Multus eſt in veriſimilitudine huic opinioni concinnanda magnus et illuſtris vir OLAVS BORRICHIVS.***

* *in χρυσόμαλλον δέρας.* Verba hæc ſunt: *τοῦτο δὲ οὐχ ὡς ποιητικῶς φέρεται ἀλλὰ βιβλίον ἦν ἐν δέρμασι γεγραμμένον, περιέχον ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χημείας χρυσόν.* i. e. *hoc autem non vt verba poetarum iacent, ſed intelligendum eſt volumen pellibus inſcriptum, docens*

quo

quo pacto per Chemiam aurum debeat parari. Quæ verba a IOANNE ANTIOCHENSI ſæculi VII. ſcriptore, Suidam accepiſſe, ex SALMASII *exercitationibus Plinianis ad Solinum* oſtendit BORRICHIVS *hermet. vindic. pag.* 87.

** *Scholiis ad Dionyſii Periegetæ verſ.* 691. *pag.* 93. *ed. H. St.* vbi primum ex ſua ſententia dixerat aurum ex fluuiis pellium ope colligi, indeque fabulam aurei velleris exſtitiſſe, ſubdit ſententiam *Characis* his verbis: καίτοι ὁ Χάραξ τὸ χρυσοῦν δέρμα μέθοδον εἶναι λέγει χρυσογραφίας, μεμβράναις ἐμπεριειλημμένην, δι᾽ ἣν, ὡς λόγου ἀξίαν, τὸν τῆς Ἀργοῦς καταρτισθῆναι στόλον. Quæ quidem verba aliam, quam de Alchemia, explicationem admittere, facile, credo, apparet.

*** *Diſſ. de origine et progreſſu chemiæ. pag.* 84. 85. et in *Hermet. vindic. pag.* 87. *ſeqq.*

LV. Argumenta BORRICHII huc fere redeunt: Colchos fuiſſe ab Aegyptiis ortos, relictos in hac terræ regione a Seſoſtre, quum is victricia arma vndiquaque circumferret. Seſoſtrem hunc vero a Mercurio fuiſſe inſtitutum. Fieri itaque potuiſſe, vt ex proceribus ibi relictorum artis aurificis quidam eſſent conſcii. Colchos præterea habuiſſe mineram cinnabaris, ex Theophraſti Ereſii teſtimonio liquere: antimonium vero ibidem frequens eſſe ex recentioris auctoris αὐτόπτου fide confirmat: adeoque ſuppetebant mineralia præcipua. Phaſidem, Colchidis fluuium, non ferre ſecum aurum, recens quidam auctor, qui Mingrelliam peragrauit, teſtatur: ergo verum eſſe nequit, quod alii ad fabulam explicandam attulerunt, ſuppetiiſſe Colchis auri copiam, quod velleribus arietum e fundo fluuii expiſcari nouerint.

LVI. Sed vt argumentatio ab origine Aegyptiaca ſupponit aliam rem facti valde dubiam; ſcilicet an Aegyptii artem aurificem calluerint: ſic recentioris ſcriptoris teſtimonium de eo, quod ſua ætate non viderit aurum colligi, vix valere poterit ad antiquis temporibus illam

ſollertiam denegandum: niſi forte velimus eodem modo Hiſpaniæ priſcas diuitias in dubium reuocare, quod ibi deſitum eſt ex fluuiis aurum quærere: nec fodinæ a longo tempore iam operæ pretium ibi faciunt; quum tamen, præter PLINIVM, * alii inſignes ſcriptores, pro priſca opulentia, teſtimonium exceptione maius dicant. Certe recentiſſimæ relationes de copia inſigni auri ex Daria fluuio collecti, et in Ruſſiam delati, fidem antiquitati faciunt: præſertim quum EVSTATHIVS non tam de Colchide propria loqui videatur; quam vlteriori quadam regione, tunc temporis forte Colchico regno parente.** Cetera non magis conuincunt, etſi probabilitati ſententiæ Borrichianæ ſeruiunt, quem virum ipſum adeundum ſuadeo.

* *Hiſtor. natural. lib. XXXIII. cap. IV.*

** En verba *Euſtathii* ad *l. c.* Κόλχων ὑπερκεῖσθαι λέγονται οἱ Θοᾶνες -- πλουτοῦντες τῷ χρυσῷ. χρυσὸν γὰρ παρ᾽ αὐτοῖς οἱ χείμαῤῥοι καταφέρουσι ὃν ὑποδέχονται οἱ ἐκεῖ μαλλωταῖς. i. e. *Vltra Colchos habitare dicuntur Thoanes, ---- auro abundantes. Aurum enim apud illos riui deferunt, quod accolæ villis colligere norunt.*

LVII. Supra mentio facta eſt trium mulierum, Hecates, Circes et Medeæ, quarum hiſtoria ſubiungi nunc debet. Hecate duarum poſteriorum mater, tamquam immanis et crudelis mulier deſcribitur a DIODOR. SICVLO.* Præſertim in mortiferis pharmacis ſolerter componendis exercitata fuit, et aconitum ** inuenit. De cuiuscunque veneni natura et efficacitate ita experimentum cepit, ſi cibis hoſpitum illud permiſceret: quo infami exercitio magnam conſequuta eſt harum rerum peritiam.

* *Libr. IV. p.* 248.

** De aconito multa adfert EVSTATHIVS *ad Dionyſ. Perieget. v.* 791. Summa eo redit: Herculem in illa regione Cimmeriorum, vbi Heraclea poſita eſt, ab inferis reduxiſſe Cerberum, qui rabie furens ſaliua ſua infecerit plantas, idque

virus

virus attraxiſſe aconitum. Cum vero incolæ in patria, vtpote Megarenſium coloni, planta illa ſine metu veſci antea conſueuerint, magnam inde exortam eſſe calamitatem, quum hic, in colonia, idem tentarent. Conuenit cum *Euſtathio Scholiaſtes* NICANDRI ad *Alexiph. v.* 12. qui quidem non rabiem Cerberi, ſed inſolitam ſolis lucem, cauſſatur.

LVIII. Circe, (iterum verba DIODORI exhibeo) ad medicamentorum omnis generis ſolertiam conuerſa, mirabiles variarum radicum et herbarum naturas et vires incredibiles adinuenit. Non pauca enim ex matris diſciplina hauſerat, ſed multa ſuo ingenio ſtudioque eruit, ita vt nihil cuiquam ad excellentiam artis medicamentariæ faceret reliquum. Sarmatarum regi nupta, illum veneno ſuſtulit, poſtque alia impie crudeliterque geſta, regno pulſa, in Italiam veniſſe, aut in inſula, neſcio qua, deſerta, cum turba mulierum ſibi probata, conſediſſe traditur.

LVIIII. In hac Vlyſſem cum ſociis Circen deprehendiſſe canit HOMERVS,* Aeneamque VIRGILIVS:** vbi longo ordine præſtigias et maleficia eius licebit recognoſcere. Saltem antiquitas perſuaſionis illius, poſſe homines in ſues, lupos, veneficio mutari, aut virilitatem incantamentis auferri, inde cognoſcitur. Vlyſſi autem Mercurius dederat moly, quo geſtato tutus ab his maleficiis foret.***

* *Odyſſ. K. verſ.* 140. *ſeqq.* ** *Aeneid. VII.*

*** de moly videantur, quæ ad DIOSCORIDEM *III.* 47. ex veteribus notauit MATTHIOLVS. Addatur PHOTIVS *Biblioth. Cod. CXC. pag.* 481.

LX. Circes filium fuiſſe Marſum tradunt, a quo gens Marſorum orta, quibus naturalis quædam vis aduerſus ſerpentum venenum ineſſe perhibebatur: de quibus conſuli debent PLINIVS* et SOLINVS.** Fuit in Africa gens Pſyllorum ob eandem ſiue naturæ dotem, ſiue ſcientiam celebrata: poteſtque de ipſis legi CORNELIVS

CELSVS.*** Alii tradunt Angitiam, Circes Medeæque ſororem, Marſos docuiſſe artem ſerpentes coniurandi: qualem etiam in oriente aliquam fuiſſe cognitam ſacræ nos litteræ edocere poſſunt.

* *Hiſtor. nat. VII. cap.* 2. ** *Polyhiſtor. cap. VIII.*

*** *Libr. V. cap.* 27. §. 3. Prodit nimirum Celſus Pſyllorum non artem, ſed audaciam vſu ipſo confirmatam, aduerſus venenatos morſus valere, dum venenum e plaga exſugunt, quod non guſtu, ſed in vulnere, nocet.

LXI. Illud etiam addimus, poetas* Circen facere ſolis filiam: quod egregiæ meditationis anſam præbuit illuſtri FR. BACONI de VERVLAMIO.**

* HOMERVS *Odyſſ. K. v.* 143. ** *de augment. ſcient. Lib. IV. c.* 2.

LXII. Medea, non minus ſorore ſua Circe, noxiorum pharmacorum gnara, etiam vtilium cognitionem ſibi parauerat. Ceterum animo erat humaniore, et hoſpitibus forte aduentantibus, quantum poterat, conſulere ſtudebat: quo ipſa ſuis reddebatur ſuſpecta. Huius conſilio et opera Iaſon potiebatur vellere, matrimonio prius ſancta iuramenti religione promiſſo et confirmato.

LXIII. Scribit APOLLONIVS RHODIVS* ipſam Iaſoni vnguentum aliquod tradidiſſe, quo ſe totum, armaque ſua, perungeret, vt humano maius robur ad vnum diem ſibi compararet, omnibusque armis ac telis impenetrabilis eſſet. Ipſi etiam alibi** ſcriniolum tribuit pharmacis æque iuuantibus atque lethalibus repletum: aliaque plura refert ex quibus necromantiæ et damnatæ magiæ rea agatur.

* *Argonautic. III. verſ.* 1040. *ſeq.* ** *eodem libro verſ.* 801.

LXIIII. Iaſon vellere optato feliciter potitus in patriam reuertitur, coniugemque Medeam ſecum abducit. Quo delata illa multa, quæ DIODORVS SICVLVS* refert, patrauit veneficæ artis maleficia. Vnguentis

enim

enim ſuis modo vetulam ſe, modo iuuencam, ſiſtere valuit: profeſſa ſe artem callere iuuentutem vetulis et effœtis reparandi. Dehinc ipſius Iaſonis domum veneficiis deuaſtaſſe, Aegeoque, Pandionis filio, nuptam, cum ibi etiam priuigno Theſeo inſidias ſtrueret, ab eo dimiſſam in Phœnicen abiiſſe traditur. Concludit DIODORVS: *At vero propter monſtrificas tragoedorum de Medea fabulas, magna in eius hiſtoria varietas et diſcrepantia exiſtit.*

* *bibl. hiſtor. lib. IV.* paſſim, ſed præcipue *pag.* 253. *ſeqq.*

LXV. Et ſane fabuloſis plurimis demerſam hic eſſe veritatem ex plurimis patet. Quare multi fuere, qui, demto inuolucro fabularum, eam concedunt herbarum vires quasdam reconditas ſciuiſſe. Ceterum rudi illo ſæculo Græciæ nonnulla commendaſſe, vt balneorum et vnctionum vſum: forte etiam exercitationum, quibus corpora meliorem habitum pulcritudinemque acciperent: quod poetis anſam dedit fingendi, quod homines, in lebete percoquendo, vnguentisque magicis, poſſet ad iuuentuti parem pulcritudinem reuocare. CLEMENS ALEXANDRINVS* totam narrationem de iuuentæ reparatione eo trahit, quod Medea canos ſenum capillos tingere prima excogitauerit.

* *Stromatum I. pag.* 307.

LXVI. Cæterum ſunt qui Medeam et Angitiam, quæ et Angerona vocatur, pro una eademque perſona habent, ipſique potius, quam Circæ, tribuunt quod Marſi ſerpentes innoxie tractare poſſent. Vsque adeo incerta ſunt omnia.

LXVII. Ex heroibus, qui Argonauticæ expeditioni interfuerunt, vnus adhuc ſupereſt non reticendus Orpheus, cuius iam ſupra mentionem iniecimus: ſed nunc propius intueri virum decet. Origine Thracem fuiſſe perhibent, ceterum muſica, aſtrologia, diuinandi artibus,

poetica

poetica et medicinae ſcientia abunde excultum. Expiationis etiam ritus, et quæ ad deorum cultum pertinent, ſuo æuo tradidit. PLINII* teſtimonio primus de herbis curioſius ſcribere aliquid inſtituit: ſed hæc curioſitas tota videtur occupata fuiſſe ſuperſtitione.

* *hiſtor. nat. Lib. XXV. cap.* 2.

LXVIII. Superſunt, quæ eiusdem nomine feruntur, carmina quædam de expeditione Argonautarum: vetuſta illa quidem, vt ex Cicerone apparet, ſed eruditorum, hosque inter præcipue magni Borrichii, iudicio ſuppoſititia: itemque hymni, DANIELE HEINSIO iudice, veram Satanæ liturgiam continentes, vt et opus de lapidibus. Videatur de his celeberrimus D. D. FABRICIVS.*

* *biblioth. Græc. Lib. I. cap.* 18. 19. 20.

LXVIIII. Aliqui Orpheum faciunt Aegyptium, multaque ex Ebræorum diſciplina accepiſſe eum oſtendunt: quæ huc retrahere noſtri non eſt inſtituti. Inter alia eius inuenta etiam hoc refertur, quod morborum medelas inuenerit: ſed qualia illa, quæ circa hanc rem calluit, fuerint, a nemine explicatum video.

LXX. Orphei occaſione alius poeta et muſicus horum temporum, Linus, Orphei et Herculis præceptor, notari debet: quem, quod de fructibus et arboribus aliquid ſcripſit, inter medicos retulerunt.

CAP. III.

CAP. III.

De heroibus medicis, qui circa tempora Troiana floruerunt.

CONSPECTVS.

Troiani belli epocha. I.
Dicendorum ratio & ordo. II.
Peleus et Achilles. III - V.
Teucri inuentum. VI.
de Agameda, Augeæ filia. VII.
Autolycus Vlyſſis auus et filii medicinæ periti. VIII.
Leucus. petra Leucas. VIIII.
obiter de Selemno fluuio. X.
de Proteſilao. XI.
de Helena. XII.
de herba Helenio. XIII.
obiter de Nerio. XIIII.
de Oenone. XV.
Troiani heroes quos morbos aggreſſi ſint. XVI.
de ſanguine albo deorum. XVII.
Aeſculapii filii. Machaon. XVIII. XVIIII.
An ipſe, cum fratre, vacationem a bellicis muneribus habuerit. XX. XXI.
Magna eius dignitas. XXII.
Machaonis ſepulcrum & honores. XXIII.
de filiis Gorgaſo & Nicomacho. XXIIII. XXV.
de reliquis filiis. XXVI. XXVII.
de Podalirio, Aeſculapii altero filio. XXVIII.
Eius bona fata. XXVIIII.
Aſclepiadarum in Co et Cnido auctor. XXX.
Venæ ſectionis primum exemplum. XXXI.

I.

Atque hæc ſunt quæ de medicinæ origine mythica, aut ſaltem fabulis permixta et obuoluta, qualia ad Argonautarum vſque tempora in Græcorum hiſtoria ſunt omnia, dici potuerunt: quibus non multum certiora, quæ nempe Troiani belli temporibus geſta leguntur, mox ſubiungemus. Incidunt autem eius initia in annum mundi cIↄ cIↄ Iↄcc LXXXX. adeoque LXX. circiter anni ab Argonautarum temporibus ad Troiana effluxerunt.

II. Huic bello non ſolum Machaon atque Podalirius interfuerunt, commilitonibusque non exiguam opem attulerunt: verum etiam heroes Peleus, Achilles, Patroclus, Proteſilaus, aliique medicis operibus inclyti: quos ordine deinceps videbimus. Ne dicam quoties deorum dearumue ad medicinam congrua mentio fiat. Dicemus autem vltimo loco de Machaone atque Podalirio, quoniam cum his deinceps de Aſclepiadis dicenda neceſſario nexu cohærent.

III. Peleum, Achillis patrem, medicinæ cauſa celebrari, teſtatur D. D. CLERICVS:* quamuis mihi nondum diſerta veterum teſtimonia inuenire licuit. Sed Achillis maxime celebratur haſta, quæ vires illas habuiſſe dicitur, vt quos vulnerando læſiſſet, eosdem etiam ſanaret. Eam a patre Peleo acceptam, cui Chiron Centaurus eam donauerit, HOMERVS** canit. Ex ære eam fuiſſe, ſuoque æuo in Mineruæ templo Phaſelide oſtenſam, PAVSANIAS*** docet.

* *hiſt. med. pag. 32.* ** *Iliad. π. verſ.143.* *** *Lib.III. pag.211.*

IIII. De Achillis peritia medica ſic PLINIVS* ſcribit: *Inuenit et Achilles, diſcipulus Chironis, qua vulneribus mederetur, quæ ob id Achilleos vocatur. Hac ſanaſſe Telephum dicitur. Alii primum æruginem inueniſſe, vtiliſſimam emplaſtris: ideoque pingitur ex cuſpide decutiens eam gladio in vulnus Telephi. Alii vtroque vſum medicamento volunt.* Iam olim diſputatum eſt qualis ſit illa herba: plerique millefolium, eodem auctore Plinio, exiſtimant. Ceterum de curatione hac legatur COINTVS SMYRNAEVS.**

* *hiſtor. natural. libr. XXV. cap. 5.* ** *Libr. IV. verſ. 175. ſeq.*

V. Achillem ad medicinæ peritiam a Chirone formatum eſſe etiam HOMERVS* teſtatur: ex quo porro intelligas ipſum eiusdem ſcientiæ participem reddidiſſe Patro-

Patroclum, quem Eurypylus vulneratus implorat, vt ſibi telum exſcindat, vulnus lauet et medicamenta imponat.

* *Iliad.* λ. *v.* 831. *ſeq.*

VI. *Inuenit*, verba ſunt PLINII, * *et Teucer eadem ætate Teucrion - - conſtatque ſic inuentam: cum exta ſuper eam proiecta eſſent, adhæſiſſe lieni, eumque exinaniſſe: ob id a quibusdam ſplenion vocatur. Narrant ſues, qui radicem eius ederint, ſine ſplene inueniri.*

* *lib. XXV. cap. V.*

VII. HOMERVS * laudat quoque Agamedam, Augeæ filiam, quæ tot pharmaca ſciuit, quot alit terra lata.

* *Iliad.* λ. *verſ.* 739. 740.

VIII. Idem HOMERVS* Autolycum Vlyſſis auum, eiusque filios medicinæ chirurgicæ gnaros nobis depingit: quippe Vlyſſi ab apro ſauciato opem tulerunt, ligando ſcienter, ſanguinis autem fluxum incantationibus cohibendo.

* *Odyſſ.* *ſ.*

VIIII. Vlyſſis ſocius quidam Leucus ab HOMERO * itidem commemoratur. Ab hoc denominatam petram Leucadem PTOLEMAEVS HEPHAESTIONIS apud PHOTIVM** contendit, eundemque templum Apollinis Leucatæ dedicaſſe. Petræ autem vires fuiſſe referunt, vt qui ſe hinc in mare præcipitarent, amore inſano liberarentur. Non paucos perſuaſione hac ductos experimentum feliciter, aliquos cum vitæ iactura, cepiſſe ibidem multis legitur. Apolline indicante innotuiſſe hominibus hoc remedium: hunc vero inde cognouiſſe, quod ſæpe Iupiter, Iunonis amore nimium æſtuans, ad ſaxum hoc acceſſerit, atque ei inſidendo amoris impotentiam ſedauerit: compluresque alios vtriusque ſexus

mortales amore ardentes eodem liberatos fuiſſe, quum ex hoc ſaxo deſilirent. Sub Apollinis auſpiciis factam fuiſſe hanc curationem diſcas ex relata ibidem hiſtoria Nerei.

* *Iliad.* Δ. *v.* 491.

** *biblioth. Cod. CXC. pag.* 491. *ed. Schot.* Adde BAELIVM *in dictionario Crit.* voce *Leucade.*

X. Hac occaſione referre ex PAVSANIA * liceat aliam traditionem veterum, de aqua fluuii Selemni, in Achaia, quam et viris et feminis tradunt eſſe medicinam amoris, ita vt eius obliuiſcantur, qui in illo lauantur. Addit PAVSANIAS: *quod ſi verum eſt, multis opibus præſtabilior hæc aqua mortalibus æſtimari debuerit.*

* *Achaic. p.* 582. *edit. Lipſ.* Forte non omnis traditioni iſti abeſt probabilitas. Balneorum certe frigidorum efficacia hic non parum promittit: nec alias inauditum eſt inſania correptos in aquam præcipites dari, vt et alteratio aliquid operetur.

XI. Troianæ expeditionis ſocius quoque fuit Proteſilaus Iphicli F. qui omnium Græcorum primus ad Troiam occubuit. Huic Eleuntii, apud quos ſepultus eſt, et nonnulli etiam Theſſali, diuinos honores habebant, quod exiſtimabant ipſum non modo optimum eſſe in rebus dubiis conſultorem, verum etiam morbos auferre, in vniuerſum quidem omnes, ſed præcipue tabem, hydropem, oculorum morbos & quartanas febres: inſuperque amoris vehementiæ ipſum mederi, auctore PHILOSTRATO.* Meminit ſepulcri eius multis donariis quondam locupletati, ſed a Perſis, cum Xerxe cherſoneſum occupantibus, euerſi, HERODOTVS.**

* *in Heroic. p. m.* 138. *ſqq.* Curioſum eſt quod in illa ampliſſima narratione refertur dæmonem hunc mortalibus conſulturis apparere circa meridiem: vnde antiquitas illius perſuaſionis, quæ multos hodieque tenet, ſpectra potiſſimum meridiei hora, noctisque medio, apparere, cognoſcitur. Sed et illud forte non minus curioſum, quod vinitor ille, qui ſepulcri curam

ram gerebat, ſeque familiari numinis conſuetudine iactabat, ex illius narratione veterum heroum res geſtas melius longe ſinceriusque quam ex vllo libro, cognoſcere gloriabatur, vnde *Philoſtratus* ipſum ex mente Proteſilai de heroibus exponentem inducit.

** *libri noni fine.*

XII. Nec omittenda eſt pulcerrima feminarum Helena, quam HOMERVS* prædicat, quod poſſederit famoſum illud νηπενθές τ' ἄχολόν τε, acceptum a Polydamna Aegyptia, Thonis vxore, de quibus, vt et occaſione qua conuenerint, legatur HERODOTVS.** De medicamento ſupra me dicere memini.

* *Odyſſ.* Δ. *v.* 220.

** *Libr. II. cap.* 112 - 116. *edit. Sylburg.* De hac Helena aliud quid refert ex *Ptolemæo Hephæſtionis* PHOTIVS *pag.* 494. Pana piſcem ait eſſe marinum, balænæ magnitudine, forma Pani non abſimilem. In hoc piſce lapidem reperiri aſteriten, quem ſoli oppoſitum incendi ferunt: valere etiam ad philtra, adeoque hunc lapidem Helenam habuiſſe, inſculpta panis piſcis imagine, quo et in obſignando ſit vſa.

XIII. Porro ab Helena eſt ἡ ἑλένειος βοτάνη, quam helenium vocant. Natam illam fabulantur Rhodi, circa quercum vbi ſemet Helena ſuſpenderat; quin et eam qui comederint ad rixam omnino concitari PHOTIVS, ex PTOLEMAEO HEPHAESTIONIS,* perhibet. Sed PLINIVS** tam in fabula, quam plantæ viribus recenſendis, diuerſus, quin ex parte contrarius eſt. Tribuit enim helenio effectum hilaritatis. Ex ſignis paucis, quæ ab vtroque auctore adiiciuntur, cognoſcas noſtrum helenium, ſeu enulam aut inulam, a vetere illo diuerſum eſſe.

* *Biblioth. Cod. CXC. pag.* 480.

XIII. Obiter, et occaſione data, hic notamus eundem effectum, rixas nempe concitandi, ab antiquitate tributum eſſe Nerio ſeu rhododaphnæ, quæ et rhododendron dicitur, de quo legere iuuabit illuſtris etiam

poſt fata polyhiſtoris D. D. LOCHNERI tractatum, qui *Nerion* inſcribitur, vbi ſane plurima antiquitates noſtras declarantia leguntur collecta et pulcre diſpoſita. Idem eſto iudicium de *Mecognopægnio* eiusdem.

XV. Helenæ ad latus merito reponitur riualis Oenone, qua repudiata Alexander, Paris dictus, illam rapuit. De hac PHOTIVS ex CONONE* commemorat, quod vaticinandi artis, legendarumque herbarum, gnara fuerit. Idem OVIDIVS** eleganter expreſſit, quando Oenonem Paridi ſuo ita ſcribentem finxit:

Ipſe, (Apollo) *ratus dignam, medicas mihi tradidit artes*
Admiſitque meas ad ſua dona manus.
Quæcunque herba potens ad opem, radixque medendo
Vtilis, in toto naſcitur orbe, mea eſt.
Me miſeram quod amor non eſt medicabilis herbis:
Deſtituor, prudens artis, ab arte mea. cet.

* *Biblioth. Cod. CLXXXVI pag.* 434. *ſeq.*
** *epiſtol. Heroid. V.*

XVI. Occaſione belli Troiani duo adhuc annotamus. Alterum, quod ad homines pertinet, alterum ad deorum genus. Primum eſt, quod toto bello iſto non legatur exemplum vllius curationis morbi cuiusdam interni aut peſtilentiæ.* Equidem HOMERVS peſtilentem morbum afflixiſſe Græcos ad Troiam exponit: ſed quod, pro more illorum temporum, ad Deorum immortalium iram referebatur malum, ab his opem quærebant per vatem, eiusque reſponſo ſatisfaciebant. Subinde recurrent occaſiones ſimilia exempla annotandi, ſimulque recenſendi quam varia auxilii impetrandi cauſa moliti homines fuerint.

* PHILOSTRATVS in *Heroicis p. m.* 168. (ed. Venet. 1500.) de Palamede, expeditionis Troianæ ſocio, refert, quod peſtilentiam venturam præſenſerit, eamque ab exercitu Græcorum feliciter auerterit, carnium eſu plane prohibito, et militibus ad vegetabilium eſum, et exercitia crebra, adductis,

quæ

quæ nauibus impoſiti ſubire debebant, quoniam intelligebat ſalubriores eſſe maris exhalationes quando aer in continenti corruptus et infectus eſt. Refert autem Philoſtratus Palamedem non ſolum profeſſum eſſe, quod medicinæ expers ſit: verum eo etiam gloriatum fuiſſe, quod a Chirone artem medicam diſcere, quum is operam ſuam offerret, noluerit.

XVII. Alterum eſt, quod, poetis fingentibus, dii deæque ſe præliis aliquando intermiſcuerint et vulnera reportauerint. De his prodit HOMERVS, quod non ſanguine rubro, ſed albo, ſeu ichore, vulnera manauerint: talem eſſe immortalium ſanguinem. Huius perſuaſionis alio tempore* pluribus memini, ſimulque veſtigia ſanguinis albi apud orientales indicaui ex Philoſtrato, quo nunc remittere ſufficiat.

* *Specimine I. hiſtor. anatom. §. 36. edit. II.* Adde ibi dictis CLEMENTEM ALEXANDRINVM *in protreptico pag.* 23. vbi plura exempla deorum dearumue vulnera paſſorum coaceruantur, et ἰχῶρες poetarum digne exſibilantur.

XVIII. Plura poſſent adferri huc pertinentia: ſed tempus monet, vt tandem aliquando ad Aeſculapii filios redeamus, Troianæ expeditionis illuſtres ſocios, huicque ſermoni quicquid ad vniuerſam familiam pertinet deinceps ſubiungamus.

XVIIII. Machaon primogenitus, quique, vt QVINTVS CALABER,* alias COINTI SMYRNAEI nomine celebris, teſtatur, fratrem Podalirium educauit et artem edocuit, maxima apud Græcos dignatione habebatur. Quod maxime rarum, gratia inter duos fratres magna ſemper floruit. In matrimonio habuit Anticleam, Dioclis, Meſſeniorum regis, filiam,** ex qua generauit filios Nicomachum et Gorgaſum: ex alia autem coniuge ſuſcepit Sphyrum, Alexanorem et Polemocratem: de quibus ſingulis ſeorſim dicetur.

* *Libr. VII. v. 60. ſeqq.*

** vide PAVSANIAM *Meſſen. p. 353. ed. Lipſ.*

XX.

XX. Vna cum fratre interfuit bello Troiano, magnoque Græcis vſui fuerunt, teſte DIODOR. SICVLO.* Nam quod induſtria ſingulari vulneratos in præliis curarent, multum apud Græcos gloriæ ſuis ſibi meritis compararunt, adeo vt a conflictibus, aliisque publicis muneribus, propter eximiam medicinæ, quam factitabant, vtilitatem, immunes præ ceteris eſſent.

* *libro IV. pag.* 273.

XXI. Hæc DIODORVS. Sed poetæ, vt HOMERVS et Q. CALABER, nobis heroes hos ſæpius ſiſtunt in mediis conflictuum periculis cum fortiſſimis hoſtibus debellantes, cædentes, cæſos. HYGINVS adeo Machaonem inter illos numerat, qui equum Troiæ fatalem ſubingreſſi, vrbis capiendæ auctores fuerunt: quod falſum ſit neceſſe eſt, ſi QVINTVS ſeu COINTVS * verum ſcripſit, quod nimirum in pugna ab Eurypylo, Telephi filio, cæſus fuerit.

* *Libr. VI. v.* 390. *ſeqq.* Confer quæ PAVSANIAS habet *pag.* 407. collata *pag.* 278.

XXII. Quicquid ſit de eo, vitæque ipſius exitu, hoc tamen ex HOMERI lectione cuiuis clarum fiet Machaonem non infimo inter Græcos loco fuiſſe habitum, quum ſæpe paſtor populorum ſalutetur, quo titulo Agamemnon rex ab eodem honoratur.

XXIII. Oſſa Machaonis a Neſtore ſeruata et in patriam relata ſunt, depoſita vero Gereniæ, olim Meſſeniorum, deinde Laconicæ oppido; vbi eius religione nobile templum viſitur, a PAVSANIA* deſcriptum. *Nam et ab ipſo*, inquit, *Machaone morbis hominum medelas monſtrari putant. Sacram ei regiunculam Rhodon nuncupant: ſimulacrum ex ære, caput corona cingitur.*

* *Laconicorum extremo.*

XXIIII. Hunc Machaoni cultum inſtituit rex Meſſeniorum Glaucus, qui idem imitatorem ſuæ pietatis filium ſucceſſorem nactus eſt, a quo filiis Machaonis, Gorgaſo et Nicomacho, templum Pheris fuit erectum, teſte iterum PAVSANIA.*

* *Meſſen. cap. III. pag.* 287.

XXV. Gorgaſus autem et Nicomachus dicuntur Pheris ſubſtitiſſe, et, Diocle auo mortuo, regnum adiiſſe. Iterum teſtis eſt PAVSANIAS* qui ſcribit: *creduntur illi hac etiamnum ætate morbis laborantes, et aliqua captos corporis parte, ſanare: eoque nomine, in eorum fanum, victimas ſacrorum cauſa et donaria mittunt.*

* *Meſſen. p.* 354. Vixit autem PAVSANIAS ſæculo Chriſtiano II.

XXVI. Præter hos Machaoni fuere ex alia coniuge filii, quorum diſerta mentio, tres. Horum SPHYRVS auo Aeſculapio apud Argiuos templum condidit, de quo PAVSANIAS:* ALEXANOR in Sicyoniam profectus in Titane itidem Aeſculapio fanum fecit, in quo et Alexanoris ſimulacrum fuiſſe idem teſtatur PAVSANIAS:** tertius POLEMOCRATES, et ipſe templum conſequutus in pago Argiuorum Eua, quod, docente iterum PAVSANIA,*** medelas morborum incolas doceret, quare illi honores accolæ habebant.

* *Corinth. p.* 163. ** *pag.* 136. 137. *** *pag.* 202.

XXVII. Atque hæc ſunt quæ de Machaonis poſteritate referre nunc viſum fuit. Apparet illam in Græcia conſediſſe: quo pacto autem ab illis vlterius diducta Aeſculapii religio fuerit, mox indicabimus, ſi prius de Podaliro expoſuerimus.

XXVIII. PODALIRIVS autem, quem iuniorem Machaone fuiſſe ſupra diximus, quum Ilio deleto redirent Græci, tempeſtate Syron, quæ in continenti Cariæ vrbs eſt, incolumis delatus ibidem conſedit, teſte iterum PAVSANIA*

* *Laconicor. extremo pag.* 278.

XXVIIII. Vlteriora fata eius diſcere debemus ex STEPHANO BYZANTINO.* Commemorat hic bona Podalirii aduenæ fortuna factum fuiſſe, vt regis Damœthi filia Syrna ex lapſu ab alto grauiſſime decumberet. Ad eam curandam adductum Podalirium ab hoſpite Byballo, paſtore, qui naufragum ſuſceperat. Quum vero Podalirius, ſanguine ex vtroque brachio educto, illam ſanitati reddidiſſet, ipſam Syrnam in matrimonium ipſi, dotis autem loco Cherſoneſum Cariæ, datam fuiſſe; in qua duas vrbes, vxori alteram cognominem, alteram paſtori, condidit.

* *de vrbibus* voce *Syrna.*

XXX. Ab eo Aeſculapii cultum in vicinam inſulam Co, et Gnidum, fuiſſe propagatum adſeritur. Sed neſcio an firmiori argumento, quam quod a locorum propinquitate ſumi poteſt. Ceterum Podalirio ex Syrna filium fuiſſe Hippolochum, a quo Hippocratis origo deducitur, genealogiæ ipſius tantiſper credamus oportet.

XXXI. Venæ ſectionis primum exemplum hic inuenimus. Sed quod ſolus STEPHANVS BYZANTINVS, vtique non antiquiſſimus auctor, eius meminit, nec indicauit vetuſtiores, vt iudicari de fide illorum poſſet, fuere qui dubitarent de antiquitate tanta remedii: aduerſus quos erudite diſputat D. D. CLERICVS.*

* *hiſt. medic. libr. I. cap. XVIII. integro.*

CAP. IIII.

CAP. IIII.

De cultu Aeſculapio, filiis filiabusque habito.

CONSPECTVS.

Religio Aeſculapio ex politicis rationibus inſtituta eſt. I.
Quod nec ipſæ quædam gentes diſſimulauerunt. II.
Græcorumque ſapientiores cognouerunt. III.
Quam ſit antiqua Aeſculapii diuinitas. IIII.
Ordo dicendorum. V.
Templorum Aeſculapio dicatorum notitia. VI.
Qui catalogus neutiquam pro pleno venditatur. VII.
Sed præter hæc Græcia abundabat Aſclepieis Aegyptiis. VIII.
Aeſculapii religionem in Peloponneſo ortam vero ſimile eſt. VIIII.
Boeotii ab Aeſculapio alieni. X.
Qui potius Herculi addicti erant, et Trophonio. XI.
Græcorum alii patriis numinibus medica beneficia tribuebant. XII.
Templis adiuncti luci. XIII.
Iisdem peculiares leges paſſim erant. XIIII.
Simulacra Aeſculapii, XV.
Qui modo barbatus ſenex, modo puer, ſiſtitur, XVI.
Habitu non eodem ornatus: XVII. XVIII.
Plerumque comitatus apparet. XVIIII.
Hygeæ ſimulacra. XX.
de teleſphoro. XXI.
de draconibus Aeſculapio adiunctis. XXII. XXIII.
Iidem Trophonio adiici ſolent. XXIIII.
Baculus nodoſus Aeſculapii. XXV.
Feſta Aeſculapii. τῆς ῥάβδου ἀνάληψις. XXVI.
de feſtorum ſolemnibus. XXVII.
de ſacerdotibus Aeſculapii. XXVIII.
Illorumque emolumentis. XXVIIII.
Quodnam officium fuerit. XXX.
De iis, qui Aeſculapii opem efflagitabant. XXXI.
Incubationeque in templo eius. XXXII-XXXIIII.
Tabulæ votiuæ in templis ſuſpenſæ. XXXV.
de ſacrificiis Aeſculapio deſtinatis. XXXVI. XXXVII.
Concluſio capitis huius. Iſidorus expenſus. XXVIII.

I.

Tempeſtiuum nunc videtur progredi ad exponendum de cultu olim Aeſculapio, filiis, filiabus habito: quo ſermone vniuerſa ſuperſtitio, quæ medicinam contami-

taminabat, quantum inſtituti noſtri ratio permittet, enarranda erit. Nimirum vt omnia gentium idola nihil ſunt niſi figmenta, allegoricum aliquem ſenſum habentia; intereſſe tamen vetuſtis populorum rectoribus viſum fuit, animos ipſorum ſuperſtitione aliqua vincire, vt ſpei metusque habenis iniectis ferociam melius domarent, in quo efficiendo fideles habuere ſocios, homines callidos, qui propoſitis inde emolumentis hanc perſuaſionem hominibus diligenter inſtillarunt, eandemque fouerunt, et auxerunt: ſic quoque cum Aeſculapio factum videmus, qualem inter Græcos numquam fuiſſe probabile omnia reddunt.

II. Impetrauerunt tamen poetæ et ſacrificuli figmentis et calliditate ſua, vt ab omnibus reciperetur, et crudius etiam quam ab Aegyptiis forte et Phœnicibus, qui diu ante Græcos ſanitatis aliquod tutelare numen coluerunt. Saltem notabile eſt quod circa Aeſculapium ſibi a Phœnice quodam relatum conſignauit PAVSANIAS.* *In hoc* (Aegienſi *Aeſculapii templo,*) inquit, *altercatio mihi fuit cum Sidonio homine, qui et rerum omnium diuinarum peritiores eſſe Phœnicas, quam Græcos, contendebat: tum vero et inter ipſos Aeſculapii patrem Apollinem celebrari, matrem vero ei mortalem fuiſſe negabat. Aeſculapium enim aerem eſſe, ex quo bona valetudo,* (ὑγίεια) *tam homini quam cunctis aliis animantibus, exiſteret. Apollinem, qui ſol ipſe eſt, iure patrem Aeſculapii perhiberi, quod anniuerſarias viciſſitudines curſu conficiens ſuo, aeri ſalubritatem impertiat.*

* *Achaic. p.* 523.

III. Atque hæc, credo equidem, ipſorum Græcorum, quisquis ex ipſis paullo prudentior vulgo erat, ſententia fuit: ſed confidenter eloqui et in vulgus efferre periculoſum fuit; donec primo philoſophia Socratis temporibus efflorescente, paulatim reſipiſcere plures coeperunt,

runt, deinde vero Chriſtianæ religionis præconio abſurditates illæ omnino denudarentur tot martyrum παῤῥησία. Vnde in anteceſſum notamus paganæ ſuperſtitioni in medicina primum derogaſſe philoſophiæ exortum; ex quo tempore ſui iuris fieri et a templis abſtrahi cœpit: plenum exitum attuliſſe Chriſtianam religionem. Sed,age, paucis videamus quantis ſuperſtitionibus medicorum emolumenta olim circumſepta fuerint.

IIII. Aeſculapio diuinitatem ſemper fuiſſe PAVSANIAS* quidem contendit, admodum debili argumento et hiſtoriæ ipſi repugnante: ſed CLEMENS ALEXANDRINVS** ex antiquis auctoribus probat Aeſculapium, vt et Herculem, inter Deos relatos eſſe annis ante Troiæ expugnationem circiter LIII.

* *Corinth. p. 172.* ** *Stromatum I. pag. 322.*

V. Vt autem ordine in tanta dicendorum multitudine procedamus, dicemus I. de templis, II. de Aeſculapii ſimulacris et iis, quæ ſimulacris adiungi ſolebant:* III. de ſymbolis ſ. ſignis Dei: IV. de feſtis in honorem eius inſtitutis: V. de ſacerdotibus; VI. de incubatione: VII. de ſacrificiis; VIII. de donariis, tabulis votiuis, et ſi qua alia huc pertinere videbuntur.

* Commendanda hic diſſertatio D. D. IO. ALB. SEBIZII *de Aeſculapio 1669. Argentorati edita.*

VI. Templorum Aeſculapii, aut in eius honorem filiis nepotibusque conſtructorum, magnus in Græcia et Græcorum coloniis fuit numerus: quin et extra Græciam apud diuerſas gentes aliqua memorantur: veroque ſimile eſt nullam magnam vrbem facile fuiſſe, quæ non vnum alterumue habuerit: ſed quod pleraque monumenta interciderunt, dabo tantum indicem alphabeticum, ex PAVSANIA potiſſimum, eorum quorum notitia mihi adhuc obtigit: additis auctoribus vnde eam ipſemet hauſi, et apud quos, ſi quis ſcire plura auet, relegere licebit.

NOTITIA ASCLEPIEORVM.

ABIANVM. Abia oppidum Meſſeniæ ad mare. Herculis quidem et Aeſculapii in ea vrbe templa ſunt valde illuſtria *Pauſ. p.* 353.

ABONOTICHITARVM. Hoc recentioris eſt æui, poſt Chriſtum natum integro ſæculo demum apud Cilices conditum, de quo ex *Luciani Pſeudomanti* et *Philoſtrato* ſuo tempore exponemus.

AEGEENSE. Oppido Ciliciæ nomen debet: poſt Chriſtum natum maxime floruit, Apollonio Tyanæo ibi aliquamdiu fabulam ludente, de quo Sæc.II. erit agendum. Durauit vsque ad Conſtantini M. tempora, cuius iuſſu funditus euerſum fuit, teſte EVSEBIO *de vita Conſtantini M. cap. LVI.*

AEGIENSE in Arcadia. *Pauſan. p.* 582. ibidem Σωτηρίας ἱερὸν, templum Salutis, teſte eodem *p.* 584.

AEGIRENSE. *Pauſan. p.* 592.

AGRIGENTINVM in Sicilia. Obiter mentionem eius iniicit POLYBIVS *libr. I. pag.* 17.

ALIPHERAEVM. Aliphera vrbs Arcadiæ haud ſane magna: ædes ibi ſacræ Aeſculapii et Mineruæ, quam, quod apud ſe natam et educatam prædicant, præcipuis dignantur honoribus. *Pauſ. p.* 652.

AMYCLAEVM. Hercules dedicauit Aeſculapio Cotyleo, ipſique hoc cognomen dedit a vulnere ſanatus, quod in pugna priore contra Hippocoontem eiusque liberos ἐς τὴν κοτύλην, in coxendice ſeu acetabulo, acceperat. *Pauſan. p.* 258.

ARGIVVM. Hoc nobiliſſimum ſua ætate ſimulacrum dei ſedens, ex albo marmore, habuiſſe, aſſidente Hygea: templum vero didicaſſe Sphyrum, *Pauſanias* teſtatur *pag.* 163. Argis aliud Aeſculapii templum idem oſtendit *pag.* 158.

Ad ASO-

Ad ASOPVM. Supra oppidum hoc ſtadia plus minus XII. Aeſculapii fanum eſt. Deum ipſum φιλόλαον, quaſi Poplicolam, vocant; id eſt humanum, φιλάνθρωπον. *Pauſan. pag.* 267. Quod vero ſubiicit Pauſanias de oſſibus in gymnaſio honorifice aſſeruatis, neſcio quo referre debeam, et an forte Aeſculapii intelligi velit. Dicit autem: *ſunt illa quidem inſigni magnitudine, hominis tamen fuerunt.* Non procul hinc abfuit, quod mox ſequetur ad *Bœatarum* notandum.

ATHENIENSE. Commemorat *Scholiaſtes Ariſtophanis ad Plutum v.* 621. *Pauſanias p.* 49. ita laudat: *Aeſculapii templum, quum ob plurima eius et filiorum ſimumulacra; tum ob picturas, quod ſpectetur digniſſimum.* Recenſet deinde aliqua templi donaria, de quibus ipſe conſulatur. Thermarum, quæ in templo fuerunt, meminit XENOPHON *de fact. et dict, Socr. libr. III. prope finem*, nec obſcure innuit illam aquam vſibus internis fuiſſe adhibitam.

AVLONIVM, paucis verbis commemorat *Pauſan. p.* 373.

BALANAGRIVM, apud Cyrenæos. *Pauſan. p.* 172. *quin et*, inquit, *qui colitur Balanagris apud Cyrenæos Aeſculapius, medici cognomento, ex Epidauro ſumtus eſt.*

BOEATARVM. Boeæ, vrbs Laconica, nomen dederunt. Videatur *Pauſan. p.* 268. Is ſeptem ſtadiis ab hac vrbe Serapidis et Iſidis templorum rudera oſtendit et addit: *et inter rudera facile conſpici poteſt Aeſculapii et Hygeæ templum:* quod intelligo de propinquo alio templo iniuria temporum diruto. Inter hanc vrbem et Aſopum idem *Pauſan. l. c.* aliud denotat: *In his item finibus eſt Aeſculapii fanum quod ab Aſopo diſtat ſtadia L. Regiunculam eam, in qua fanum eſt, hyperteleaton vocant.*

BRASIATARVM in Laconica vrbs Braſiæ, vbi Liberum patrem educatum ferunt, templi meminit *Pauſan. p.* 272.

CALVNI-

CALVNTIVM. Vicus fuit Arcadiæ, cui Calunti nomen, quem, *Pauſan. p.* 648. notante, Aeſculapii etiam fanum appellant, quod in via erectum Dei huius templum fuerat.

CARTHAGINIS. commemorat LIVIVS *XXXXI. cap.* 22.

CARTHAGINIS NOVAE in Hiſpania. Obiter annotatur a *Polybio hiſtor libr. X. p. m.* 584. *edit. Caſ. fol.*

CAVSIVM. Idem quod præcedens Caluntium. *Stephanus* enim *Byzantinus* vrbem hanc ſcribit Καῦς, teſtaturque, citato Pauſania, quod ibi cultus ſit Ἀσκληπιὸς Καούσιος.

CLITORIVM. *Pauſan. p.* 639.

CORINTHIVM. *Pauſan. pag.* 114. *et* 121.

CORONEVM. *Pauſan. p.* 365. Ibidem fuit Apollinis antiquiſſimum templum medicum, καὶ νουσήματα ὁ Θεός ἰᾶται. *Ibid.* Templum etiam Dianæ παιδοτρόφου ibidem fuit.

COVM. In Hippocratis patria, inſula Co, vndiquaque celeberrimum et alio loco iterum commemorandum.

CNIDIVM. Itidem alio tempore ſæpius attingendum.

CYLLENIVM. *Pauſan. p.* 519.

DEMAENETI in Elide. Huius templi ruinas vidit Pauſanias, ſitumque ad Alpheum fluuium deſcribit. Cognomen Deo Demænetus, Δημαίνετος, a conditore.

ECBATANEVM. Scribit *Arrianus de expedit. Alex. Lib. VII. Scripſerunt alii, quod Alexander Hephæſtionis mortem ægre ferens, in Ecbatanis ædem Aeſculapio ſacram ſubuerti iuſſerit.* Qualis autem illa ædes fuerit, an Græci an indigenarum inſtituti, id vero neſcio.

EPIDAVRIVM. Summa religione cultum et celeberrimum hoc fuit templum. Ampliſſime deſcribitur a *Pauſan. Corinthiac. cap. XXVI. et XXVII.* Extra vrbem fuit: ſed tota regio Aeſculapio ſacra, quoniam ibi in lucem editum acerrime contendebant.

Sacer lucus adiectus undique montibus cingebatur, intra

intra cuius ambitum mori quemquam aut naſci religio eſt: eodem ſcilicet ritu, qui et in Delo inſula ſeruatur. Iam vero quicquid ciuis peregrinusue immolarit, id totum intra eundem ambitum conſumitur: quem ritum etiam Titanæ ſeruari teſtatur *Pauſanias p.* 172.
Hoc templum quaſi matrem plurimorum alibi excitatorum, vt Athenienſis, Pergameni, Balanagræi, Lebenæi, idem auctor perhibet: quin Epidauro Romam aduectum eſſe Aeſculapium ſuo loco dicemus.
Dixi extra vrbem hoc tam celebre fuiſſe templum: intra ipſam aliud fuiſſe, in quo ipſius Aeſculapii et uxoris Epiones ſigna conſpiciebantur, idem *Pauſanias p.* 177. clare dicit.

EPIDAVRI LIMERAE. Alia Epidaurus, cognomento λιμηρὰ, fuit in Laconica, templo Aeſculapii etiam celebris, cuius & vrbis & templi condendi occaſionem narrat *Pauſan. Lacon. p.* 270. Obſcurior eſt locus, videturque Sylburgio in notis, duplex templum ibi fuiſſe: ſaltem ſeorſim area inter oleas poſita, ſeorſim templum, recenſentur.

EVANVM. Pagus Eua templum Polemocratis habuit, Machaonis filii, de quo ſupra, vbi Pauſaniam citauimus auctorem.

GERENIVM. In eo Machaonis monumentum, & eiusdem religione nobile fanum; de quo iam ſupra. adde *Strabonem pag.* 360. *ed. Wetſten.*

GORTYNIVM. Sub nomine Gortynii Aeſculapii ſtatua quædam marmorea in porticu templi Titanei, de quo infra, conſpiciebatur. An forte a Gortyna Arcadiæ aut Cretæ huc allata? aut in honorem ibi culti poſita? In ipſa vrbe Gortyna fanum demonſtrat *Pauſanias pag.* 390. *coll. pag.* 658. Colebatur ibi Aeſculapius οὐκ ἔχων πω γένεια, i. e. imberbis.

GYTHEATARVM. Gythion vel Gytheon, oppidum eſt Laconicum: meminit templi *Pauſan. pag.* 265.

HYPSIVM. Habuit hoc vicus Spartanorum, Hypſos dictus. vide *Pauſ. p.* 273.

LACEDAEMONIVM. Apud hos tria fuerunt. Primum cognomento Enagiadon, ſic dictum, quia fuit in illa vrbis parte, vbi monumenta regum ex familia Agiadea fuerunt. Pro quo male apud *Pauſaniam p.* 240. editur Enapadon. Error inde natus eſt, quod Græcus codex ſcriptum exhibuit ἐν ΑΓΙΑΔΩΝ, vbi duæ litteræ ΓΙ coaluerunt in Π. Similis error apud Plutarchum in hac voce commiſſus eſt. Alterum vocabatur Aeſculapii Agnitæ, quod ſimulacrum dei ex agno, ſeu vitice, confectum fuerat, docente *Pauſania pag.* 242. Ne vero miremur e vitice factum ſimulacrum, conſideranda eſt antiquitas viticis Samiæ a *Pauſania pag.* 643. indicata, quippe Dodonæa quercu maior. Tertium, quod nobiliſſimum *Pauſ. p.* 246. vocat, fuit cognomento dictum ad Booneta.

LASIVM. Ad vrbem Laconicam Lâs, in montis Ilii vertice, fuit. *Pauſan. p.* 273.

LEBENAEVM. In Lebena vrbe Cretæ, factum ad ſimilitudinem templi Balanagræi Cyrenaicorum. *Pauſ.* 172.

LEVCTRICVM. In vrbe Leuctra præ ceteris diis Aeſculapium fuiſſe cultum, auctor eſt *Pauſan. p.* 277.

MEGALOPOLITANVM. Duo vel tria in vrbe hac fuerunt. Horum unum cum ſacro luco fuit, ubi Aeſculapius & Hygea colebantur: alterum erat Aeſculapii pueri. videatur *Pauſan. pag.* 664. 667.

MEGARENSE. Aeſculapii & Hygeæ ſigna a celebri artifice elaborata, ſine tamen diſerta mentione templi, *Pauſanias* commemorat *pag.* 97.

MESSENIVM. In hoc plurima quæ ſpectarentur digniſſima ſigna fuiſſe, ſeorſim Aeſculapii & eius liberorum ſimulacra, deinde Muſarum & Herculis, aliorumque, teſtis eſt *Pauſan. Meſſen. p.* 358.

MILESIVM. Statuam dei, ſacrificia & ſacerdotem Niciam medicum, breui epigrammate, quod ordine ſeptimum eſt, indicat *Theocritus*.

MYSAEVM. Cyros vocabatur, vbi morborum peti medelas teſtis eſt *Pauſanias Achaic. pag.* 596.

NAVPACTIVM in Phocide. Hoc a quo conditum ſit, narrat *Pauſanias Phoc. p.* 898.

NICOMEDIENSE. Aliud agendo adducit *Pauſanias p.* 211. ſcilicet probaturus heroum arma olim ex ære fuiſſe, indicat Achillis celebrem haſtam aſſeruari Phaſelide in Mineruae templo: Memnonis autem enſem totum ex ære, Nicomediæ in Aeſculapii fano.

OROPIVM AMPHIARAI. Oropii inter Atticam & Boeotiam medii, modo ad hanc, modo ad illam gentem pertinebant. Curioſum fuit ſane templum. Ara vna quinquepartita ad multos ſane deos pertinebat: ex his quarta Veneri, Panaceæ, Iaſoni, Hygeæ, Mineruæque Pæoniæ erat conſecrata.

* Notandum Amphiaraum ob ſomniorum dextram interpretationem olim notiſſimum, deinde inter deos relatum, pluribus locis fuiſſe cultum, vt per ſomnum, quo facto opus ſit, declararet. Conſulendi cauſa qui accedebant, luſtrabantur omnes, deinde ſacra deo faciebant, arietem ipſi immolando, cuius ſubſtrata pelle dormientes nocturna viſa exſpectabant. Qui morbo oraculi monitu leuati erant, ſignatum aurum argentumue, more maiorum, in fontem Amphiarai, templo proximum & huic vni vſui conſecratum, abiiciebant. *Pauſan. Attic. p.* 83. 84.

PATRENSE. *Pauſan. p.* 575. 578. Ibidem fons, vnde tanquam ab oraculo infallibili morborum euentus ſignificari putabant.

PELLANAEVM. Paucis verbis refertur a *Pauſan. Lacon. pag.* 263.

PERGAMENVM. In Aſia florentiſſimum diu fuit. Memorant plures. Aeſculapio ibidem culto cognomen Διὸς

datum fuit : quod quidem de Smyrnæo etiam conſtat. Erit de eo alibi porro dicendum.

PHARIS Achaiæ fuiſſe legimus fanum τῆς Σωτηϱίας, ſine dubio Hygeæ. *Pauſan.* 584.

PHERAEVM. Gorgaſo & Nicomacho, Machaonis filiis, inſtitutum fuit. *Pauſan.* 287 *&* 354.

PHLIASIVM. Templi, & imberbis Aeſculapii ibi culti, mentionem facit *Pauſanias p.* 141.

RHODIVM. Celebris ſcholæ Rhodiæ, ſed ſua ætate, quod ſtirps Aſclepiadea ibi exſtincta iam erat, ſublatæ, meminit GALENVS *de meth. medend. lib. I. init.* Non ergo dubitare licet templum ibidem floruiſſe.

ROMANVM. Qua occaſione Romam Epidauro accerſitus Aeſculapius venerit, alibi fuſius indicabitur.

SICYONIVM. Colebatur ibi Aeſculapius imberbis, ex auro & ebore factus, altera ſceptrum, altera vero ſatiuæ pinus fructum tenens. *Pauſan. p.* 134. adde *pag.* 535.

SIDONIVM. Data occaſione innuit *Pauſan. p.* 583.

SMYRNAEVM. Aeſculapii religionem a Pergamenis acceptam templo conſecrarunt, quod noſtra ætate ad mare eſt, ſcribit *Pauſan. pag.* 172. Colebatur hic, vt & Pergami, Ζεὺς Ἀσκληπιός. conf. *Biblioth. Angl. tom. XII. p. II. pag.* 494.

STETHAEVM. Huius ſe ruinas vidiſſe teſtatur *Pauſ. p.* 271.

TEGEAE. In templo Mineruæ Aleæ vtrinque adſiſtebant Deæ Aeſculapius & Hygea. *Pauſan. p.* 695. Extra vrbem templum ſeorſim habebat Aeſculapius. *pag.* 709.

TITANAEVM. Conſecrauit Alexanor, Machaonis filius. Late deſcribit *Pauſan. p.* 137. Fuit ibidem Aeſculapius Gortynius ſeorſim cultus.

TITHOREENSE. Aeſculapius cognomento Archagetas magna religione ab omnibus Phocenſibus Tithoreæ cultus

cultus fuit. Ibidem inſuper Iſidis Aegyptiacæ templum & cultus fuerunt. *Pauſan. Phocic. p.* 879.

THELPVSANVM. Templum, ſua ætate magnam partem collapſum, commemorat *Pauſan. p.* 648. *ſeqq.* Seorſim laudat Aeſculapii pueri templum, eiusque nutricis Trygonis ſepulcrum, *pag.* 651.

TRICCENSE, in Theſſaliæ prouincia Eſtiæotide. *Strabo Geogr. lib. IX. p.* 437. *& lib. VIII.* vbi de Epidauro agit. Exhibet *Euſebius de præp. Euang. lib. III. cap.* 14. Aeſculapii aliquod oraculum, a *Porphyrio* conſeruatum, quo ſe ipſum Triccæ natum confirmat, quod ſine dubio in hoc templo fuit editum.

VII. Nihil dubito, plura apud veteres demonſtrari poſſe Aeſculapii templa: immo præter illa, quæ ex nummis & inſcriptionibus peti poſſe videntur, longe plura in locis minus honoratis & ignobilibus fuiſſe: quod coniicere licet ex adducto catalogo, in quo videas vicorum, immo ſeorſim ad vias exſtructa, Aſclepiea referri, quorum nomina nos omnino, aut pleraque ſaltem, laterent, niſi PAVSANIAS, vnicus eiusdem inſtituti ſcriptor, ſuperſtes eſſet.

VIII. In tanta tamen eorum multitudine non iniuria * mireris, qui factum fuerit, ut Græci homines, ſuo Aeſculapio non contenti, inſuper Aegyptiorum valetudinis præſides deos deasue, ſiue Aeſculapium, ſiue Iſidem, ſiue Serapidem, adſciſcerent. En indicem eorum, quæ ad manus ſunt, exemplorum.

* Forte cauſam non male tribuemus illi Græcorum perſuaſioni, qua putabant Apim fuiſſe regem Argiuorum, qui XXXV. annis hoc imperio vſus, fratri Aegialeo illud tradidit, ipſe vero Aegyptum petiit, ibi Iſidem matrimonio ſibi iunxit, nomenque Oſiridis accepit. Poſt mortem Serapidis nomen accepiſſe Græci putabant, quoniam, cum ante templum ipſi exſtructum, in ſarcophago, Græci σορὸν dicunt, coleretur, ex hoc primo factum ſit Soroſapis, mox Sorapis, tandem Serapis.

Videatur M. VARRO apud Diu. AVGVSTINVM *de Ciuit. Dei lib. XVIII. cap.* 5. qui idem de templis Iſidis & Serapidis & hoc ex eodem refert: *Et quoniam vero in omnibus templis, vbi colebantur Iſis & Serapis, erat etiam ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, vt ſilentium fieret; hoc ſignificare, vt homines illos fuiſſe taceretur.* Hoc ſimulacrum ſiſtebat numen ſilentii, cui nomen *Harpocrates* itemque *Sigaleon* fuit, perhibebaturque filius Oſiridis ex Iſide poſthumus fuiſſe. Non patitur inſtitutum noſtrum plura de Harpocrate nunc adferre: illud tamen commendo vlteriori ſcrutinio, an non forte teleſphorus, Aeſculapio iungi ſolitus, ſit a Græcis ad imitationem Aegyptiorum excogitatus. Certe vtriusque ſimulacra θεὸν ἀτελῆ ϗ νήπιον, *deum quendam immaturæ ætatis & infantem*, vt cum PLVTARCHO *de Iſid. & Oſir. p.* 350. loquar, referebant. Neſcio, annon ad rem quoque faciat PLVTARCHI, ex libro modo citato, teſtimonium *p. m.* 333. *Aegyptios credere, quod infantes vi aliqua vaticinandi polleant, ex quo fiat, vt puerorum, dum ſacra peraguntur, in templo luſitantium, vocibus ac geſtibus attendant.* Ceterum multa poſſent de iis, quæ in cultu Iſidis & Serapidis apud Græcos ſollemnia fuerunt, ex laudato libello adferri: ſed malo ea apud auctorem legi, quam hic breuius contracta recognoſci. Plura de Harpocrate cupientem merito remittimus ad viri Illuſtris GISBERTI CVPERI *Harpocratem*, ex quo ectypon gemmæ elegantiſſimæ mutuo acceptum exhibere hic placuit, vbi Harpocrates inter Oſiridem et Iſidem medius cernitur.



NOTITIA

NOTITIA ASCLEPIEORVM AEGYPTIORVM APVD GRAECOS.

ATHENIENSE. *Pauſanias in Attic. p.* 42. auctor eſt Serapidis aliquod fanum in vrbe fuiſſe, cuius religionem a Ptolemæo Athenienſes acceperint. Apud Aegyptios autem, pergit Pauſanias, omnium clariſſimum eius dei templum habent Alexandrini, antiquiſſimum Memphitici, quo neque exteris hominibus, neque ſacerdotibus ipſis, aditus patet, prius quam Apim bouem humarint.

BOEATARVM. Ab hac vrbe ſeptem ſtadiis diſtans Serapidis et Iſidis fanum, ſed in ruinis, conſpexiſſe ſe teſtatur *Pauſan. pag.* 268.

BOEOTIORVM in campis Athamantiis. meminit *Pauſan. pag.* 756.

BVRAICVM. Buris Achaiæ oppido. *Pauſan. p.* 590.

CORINTHIVM. ad portum Aeſculapii et Iſidis fanum idem auctor denotat *pag.* 114. et in adſcenſu ad arcem, quam Acrocorinthum vocant, duo fana Iſidis, alterum Pelagiæ, alterum Aegyptiæ cognomento, fuiſſe indicat *pag.* 121.

EPIDAVRIVM. Priſcis eius loci templis Antoninus, vir conſularis Romæ, tum alia ad decus et commoditatem addidit, tum vero ædem Hygeæ, Aeſculapio et Apollini Aegyptiis, dicauit, teſte *Pauſan. Corinthiac. p.* 174.

HERMIONENSE Serapidis Iſidisque fanum indicat *Pauſan. p.* 193.

LACEDAEMONIVM. Eſt apud Lacedæmonios recentiſſimum Serapidis templum, inquit *Pauſanias Lacon. p:* 241.

MESSE-

MESSENIVM. *Pauſan. p.* 360.

METHANAEVM. Oppidum Methana in iſthmo Trœzeniorum fuit. Iſidis ibi fanum indicat *Pauſan. Corinth. p.* 190.

OETYLORVM. Sunt in Oetylo, quæ ſpectentur digna, Serapidis templum, cet. *Pauſan. Lacon. p.* 276.

PATRENSIA duo Serapidis templa iuxta lucum memorat *Pauſan. p.* 578.

PHLIASIVM. Iſidis ibi templum fuiſſe iterum auctor eſt *Pauſan. p.* 142.

TITHOREENSE. iam ſupra notaui.

TROEZENIORVM. indicat *Pauſanias p.* 187.

VIIII. Non obſcure cognoſcitur ex multitudine templorum in Peloponneſo et vicinia eius, ibi primum ortam eſſe Aeſculapii religionem, maximeque ibi eandem floruiſſe: quod fidem facit Aeſculapii ortum ex Epidauro potiſſimum eſſe accerſendum: deinde ex Peloponneſo aliorſum eſſe deriuatam.

X. Ex omnibus Græcis nulli magis ab Aeſculapio alieni fuiſſe videntur Boeotiis, et ſeorſim Thebanis, in quorum vrbe et regione deſcribenda nec vnicum inuenit PAVSANIAS, quod indicare poſſet. Vnicum Serapidis templum in campis Athamantiis indicat.*

* *pag.* 756.

XI. Videtur autem hæc natio ab Hercule medelas morborum petiiſſe; vt in Hyetto oppido factum PAVSANIAS* addocet. Nec minus a Trophonio reſponſa quærebant, quem, cum Hercyne vxore, iisdem ſimulacris, quibus Aeſculapius et Hygea deſignari ſolebant, fuiſſe cultos ex eodem** late diſcas. Fuit autem Trophonii oraculum Lebadeæ Boeoticorum. Eiusdem nationis Tanagræi Mercurium colebant, quod eius beneficio

ficio ſe a peſtilentia liberatos credebant. At vero Trophonium eundem eſſe Mercurium, grauiſſimus auctor nobis eſt CICERO.***

** pag. 757. ** pag. 360. conf. p. 319. et 789.*
**** de Nat. deor. III.*

XII. Etiam aliæ gentes et vrbes, quæ Aeſculapii religionem admiſerant, ſuis tamen patriis numinibus curationum beneficia ſeorſim referebant. Sic Athenienſes Mineruam Hygeam colebant: et in Phocide Amphicleenſes, qui et Ophitenſes dicti ſunt, Libero Patri arcana ſacra faciebant, narrabantque futura ſibi hoc deo auctore prædici, et contra morbos in promtu eſſe remedia: quod et in ſomnis, tam ipſi quam finitimi, de morborum medelis ab ipſo moneantur, et ſacrificulus, diuino afflatu inſtinctus, de futuris conſulentes certiores faciat, auctore PAVSANIA.* Cui numini dicatum fuerit antrum Charonium ad Nyſſam, Aſiæ vrbem prope Tralles, cuius EVSTATHIVS** meminit, inquirendum eſt. Teſtatur autem prope illud decumbentes et ſomnia captantes ſacerdotes, ex iis deinceps adornare ægrotantium curationes. Præter ſacerdotes nemini ſine vitæ damno locum ſubingredi integrum eſſe. Curioſa annotatione dignum videtur, quod hic ſacerdotes ſomnia captauerint, quum alibi ipſi ægroti ſomniorum cauſa in templis decumberent.

** pag. 884. ** Scholiis ad Dionyſ. Periegeten verſ. 1159.*

XIII. Ad templorum notitiam adhuc pertinet, quod, PLVTARCHO* notante, ea non niſi locis elatis et puriſſimo aere fruentibus, exſtructa; et quod plerisque adiuncti fuerint luci ſacri, qui magna religione ſeruabantur. Talis adiectus fuiſſe templis, Titanæo, ex cupreſſis admodum vetuſtis, itemque Epidaurio, apud PAVSANIAM diſerte legitur; qui idem auctor refert in eodem luco, qui Epidaurio adiacebat, fuiſſe Dianæ Epiones (quaſi morbos mitigantis) templum et ſigna. Tem-

plo Coo lucum itidem fuiſſe additum, eumque ſuccidiſſe Turullium, ex ſicariis Cæſaris, ad claſſem ſuam ædificandam, ex Romana hiſtoria diſcimus. Agit de rationibus lucorum, ad ſalubritatem locis conciliandam, Græciæ, et eiusdem climatis regionibus, ſubinde neceſſariorum, Per-Illuſtris medicus LANCISIVS.**

* *Quæſtion. Roman. p. m. 216.*

** *de noxiis palud. effluu. Lib. I. P. II. cap. VI.* et ſubiuncto conſilio *de ſylua - nonniſi per partes excidenda.*

XIIII. Ambitus templorum erat plerumque ſatis amplus, habebatque paſſim peculiares leges et religionem. Sic Epidauri intra hunc neminem naſci aut mori licebat. Id vero quum efficeret vt vel puerperio proximæ, vel morituri, extra illum efferri deberent, ſicque moleſte ſub dio degerent: Antoninus, vir conſularis Romanus, qui plura ad templi emendationem attulit, huic etiam non exiguo incommodo voluit mederi, ædemque peculiarem, in qua vtrumque fieri nihil prohiberet, exſtruxit: de quo alibi dicemus. Pluribus forte Græcorum templis tam inhumana lex adiuncta fuit: ſaltem de Delo inſula legimus, honori Apollinis templo tributum hoc fuiſſe, vt in tota inſula quemquam ſepeliri nefas putaretur.

XV. Iam ad ſimulacrorum ſeu ſignorum Aeſculapii deſcriptionem progredior. Siſtunt autem illum nobis veteres vel ſtantem, nodoſo baculo, draconibus circumdato, innixum; vel in throno magnifico ſedentem. Poſterioris exemplum eſſe poſſit Epidaurius, de quo nos PAVSANIAS* edocet ſolium fuiſſe multorum Argiuæ hiſtoriæ monumentorum artificioſa ſculptura exornatum: ſediſſe autem altera ſcipionem tenentem, altera draconis caput prementem, cane ad pedes decumbente. Alibi** nobis eundem PAVSANIAS ſiſtit pini ſtrobilum ſiniſtra manu tenentem.

* *pag. 172.* ** *in Corinthiac. pag. 134.*



XVI. Alicubi puerum, aliquibus adoleſcentem imberbem, cultum fuiſſe ex catalogo templorum diſci poteſt. Plerique barbatum faciebant: in quo æque iucundi ſunt Epidaurii, qui auream ipſi barbam appoſuerant, reliqua facie ex ebore facta, quam Tithoræenſes, qui promiſſam ad duas vlnas barbam adiunxerant. Aeſculapii pueri imaginem, a GISBERTO CVPERO* mutuo acceptam, ſubiicimus.

* *Harpocrat. pag.* 79.



XVII.

XVII. Quod ad reliquum habitum attinet, infinita eſt varietas. Videas nudo capite, videas galero tectum: videas veſtibus vsque ad pedes demiſſis indutum, vt præter faciem, manus, pedesque nihil appareat: alibi ſuperiori corporis parte nuda. Quæ ſingula artificum arbitrio videntur fuiſſe relicta.

XVIII. Significationem ſingulorum aliqui conantur reddere. Multa dici poſſunt vero ſimilia: noſtra parum refert.

XVIIII. Vix autem ſolus vmquam Aeſculapius viſitur, ſed fere ſemper comitatus. Ex comitibus ſunt Hygea ceteræque filiæ, vna pluresue; et puerulus, de quo non idem ſentiunt antiquarum rerum enarratores.

XX. Et Hygeam quidem agnoſcas ex veſte alba talari, cum patella, cui maza imponitur, ad quam ſerpens adſpirat, ſæpe etiam pingitur ſerpens ex manu porrigentis Hygeæ accipiens. Ex capite eius ſæpe inſtar ſtellæ relucet pentagonum, lineis peculiari ratione inter ſe deductis, cuius ſigni myſteria alii eruant. Satis antiquum hoc ſignum eſſe oportet: ſiquidem refertur Antigonum, qui Alexandro in regno Macedoniæ ſucceſſit, exercitui ſuo perſuaſiſſe, quod in cælo viderit pentagonum, ſalutis ſymbolum, cum verbis ἐν τούτῳ νίκα: illoque ſcuta militum ſuorum ornauerit: teſte D. D. FABRICIO.* Hygeæ imaginem ex BERNHARDO de MONTFAVCON** ſubiicimus.

* *Biblioth. Græcæ VI. pag. 17. conf. pag. 7. not. t.*

** *Antiquitat. explicatar. Part. I. Tab. 189.*



XXI. Porro adiunctum ſæpe fuiſſe Aeſculapio puerulum dixi, quem, quis ſit, multi indicare conati ſunt. Apud Pergamenos, quorum nummi illum exhibent, dictum fuiſſe *Teleſphorum*, PAVSANIAS* indicat, idemque teſtatur eundem apud Epidaurios *Aceſium*, apud Titanæos *Euamerionem* vocari. Quis vero Teleſphorus, Euamerion, Aceſius? Certe honoratum quid concipere mente debemus, quoniam peculiaribus honoribus diuinis ipſum proſequuti ſunt. Celeberrimus etiam poſt fata D. D. LOCHNERVS** pro certo habuiſſe videtur, filium hunc fuiſſe Aeſculapii. Nam in indice diſputationum Aſclepiadearum, quas vtinam confeciſſet et abſoluiſſet vir erudiſſimus! apparet vnam illum inſtituiſſe: *de Teleſphoro filio Aeſculapii.*

* *pag.* 137.

** *Ephe-*

** *Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. Cent. X. Appendice, pag.* 629. Equidem neſcio quibus argumentis vir doctiſſimus, omnisque antiquitatis conſultiſſimus, ſuam ſententiam probaturus fuiſſet: ſuſpicor tamen illam ſuperius ad §. VIII. indicatam Aegyptiorum narrationem de Harpocrate (quem aliqui exiſtimant Horum eſſe) Oſiridis ex Iſide filio poſthumo, imaginibus Iſidis Serapidisque ſemper adiuncto, forte non minimum pondus ad id perſuadendum habuiſſe. Quis enim neſcit fabularum Græcanicarum originem ab Aegyptiis potiſſimum repetendam eſſe, quos Græci imitati ſunt, niſi quod patriæ ſuæ domeſtica numina finxerunt, adeoque in hiſtoricis non potuerunt non plurimum diſcrepare. Sed Teleſphorum inter Aeſculapium et Hygeam medium, ex BERNHARDO de MONTFAVCON intueri iuuabit.



XXII. Draconum ſeu anguium in templis Aeſculapii, tam viuorum, quam ſimulacris a ſculptore additorum, frequentiſſima eſt mentio. Illud genus, quod Aeſculapio peculiariter ſacrum putabatur, fuluo colore conſpicuum

ſpicuum fuiſſe: hominibusque mite ſolam Epidaurum nutrire PAVSANIAS* refert. Tales diſcurrebant in templo, et hominibus, quo minus temere irrumperent, terrori erant. Sicubi etiam religio Aeſculapii translata legitur, anguis, cuius formam Aeſculapius ſubierit, mentio plerumque adiicitur.

* *pag.* 175. conferri etiam meretur de draconibus LVCIANVS *in Pſeudomant. p. m.* 530. et PLVTARCHVS in *Alexandr.* Imaginem draconis ex antiquiſſimo codice MSS. Dioſcoridem et Eutecnii paraphraſin Theriacorum Nicandri complexo, dat NESSELIVS *catalogo Auguſtiſſimæ bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* Part. III. tabula L notata, ex qua deſumtam apponi huc curauimus.

ΔΡΑΚΩΝ.



XXIII. Multæ ſunt apud veteres hiſtoriolæ ſeu fabulæ de viſus incredibili acumine, quo pollere hoc animal ſoleat, deque lapidis draconitis efficacia ad viſum acuendum ſeorſim aliqua refert PHOTIVS. Quare ſunt, qui exiſtimant draconum ſymbolo adumbrare et ſignificare veteres voluiſſe, quam circumſpectum et vigilantem eſſe medicum deceat. Quid vero ſi ad reiuueneſcentiam huius animalis, quod exuuias quotannis deponit, reſpexerunt veteres?

XXIIII. Sunt vero dracones præcipuum quidem ſignum ſeu ſymbolum Aeſculapii et filiarum: ſed non omnino his ſolis proprium: quum et Trophonio et vxori eius, de quibus modo diximus, adiungantur.

XXV.

XXV. Cur baculum nodoſum dederint, Herculeæ clauæ non multum diſſimilem, haud vacat diſpicere: gallum gallinaceum * adiungi puto, quoniam hoc potiſſimum ſacrificio honorabatur. Forte ſymbolum vigilantiæ etiam eſto: vt canis fidei et cuſtodiæ.

* PAVSANIAS *p.* 444. *gallinaceum ſoli ſacram auem celebrant, quod cantu ſolis ortum nunciet.* Sed et Mineruæ caſſidi inſidens exhibebatur, ſeorſimque Mineruæ Erganæ ſacer credebatur, teſte eodem PAVSANIA *p.* 518.

XXVI. De feſtis in honorem Aeſculapii quondam inſtitutis, paſſim quædam apud auctores elicere licet: plenam equidem expoſitionem ipſe deſidero. Athenienſes Epidauria in honorem Aeſculapii feriatos fuiſſe, PAVSANIAS * teſtatur. Apud Coos fuiſſe feſtum Aeſculapii, quod ῥάβδου ἀνάληψις vocabatur, ex Hippocrati tributa epiſtola ad ſenatum populumque Abderitarum intelligitur, vlteriusque Illuſtris SPANHEMIVS ** explicuit.

* *pag.* 171.

** *in epiſtol. I. ad Morellium pag.* 69. Confer Celeberrimi C. G. SCHVVARZII, collegæ & fautoris mei plurimum colendi, diſſertationem elegantiſſimam de *Aeſculapio et Hygea diis* φιλανθρώποις *p.* 53. De eodem feſto diſſertationem dediſſet ὁ χαριέστατος LOCHNERVS, niſi fata interceſſiſſent, vt apparet ex illo teſtimonio, quod ad §. XXI. modo adduximus. Nomen ſacri huius variam admittit expoſitionem. Poteſt enim explicari *baculi adſumtio*, itemque *elatio*. Vbi quidem ad baculum Aeſculapii nodoſum angue circumplicatum reſpici non dubito. Quæ vero notio ſubſit τῇ ἀναλήψει obſcurum mihi eſt, donec ex vetuſtis auctoribus clarum reddatur. Laudatiſſimus *Spanhemius* exiſtimauit dimanaſſe hanc rem a ſerpente æneo pro ſalutari contra mortiferos ſerpentes remedio, vt in ſacris *Numer. XXI.* legimus, exaltato: quod quidem ſuo loco relinquo. Mihi ſæpius de eo cogitanti in mentem venit, annon anniuerſario ſacro ſacerdotium Aeſculapii primarium fuerit ordine ad alium delatum: honoriſque traditi acceptique ſymbolum fuerit τῆς ῥάβδου ἀνάληψις *baculi adſumtio*: quod puto a Græci

ſermonis indole non alienum eſſe, quippe ἀναλαμβάνειν τὸ διάδημα, σκῆπτρον, *ſumere, accipere diadema, ſceptrum* ſæpe legitur. PLVTARCH. *de Iſid. et Oſir. initio*, τὴν ἀνάληψιν ἱερῶν dixit *ſuſceptionem officii ſacerdotalis*, idque in loco, vbi ſermo eſt ad feminam ſacerdotio Iſidis admotam.

XXVII. Nec feſtorum ſollemnia licet tradere. Talia, vt vulgo cognita, videntur ſiluiſſe ſcriptores pagani: chriſtiani vero, vt ſuperſtitionis memoria deleretur, conſulto præteriiſſe. Si quis ab exemplo eorum, quæ in Iſidis honorem apud Tithoræenſes fiebant, concludi poſſe ſibi perſuadeat, legat PAVSANIAM.* Is vero refert binos ſingulis annis conuentus feſtiuos in honorem deæ fuiſſe per plures dies continuatos, cum nundinis, quibus vendebantur mancipia, quoduis genus pecudes, veſtes, argentum, aurum.

* *Libro X. pag.* 880.

XXVIII. Sacerdotes Aeſculapii, quos Pauſanias vocat τοῦ Θεοῦ δούλους, *Dei ſeruos*, erant perſonæ honoratæ, medicinæ ſcientia imbutæ, tales plerumque, qui ab ipſo Aeſculapio genus deducere gloriabantur. Sed progreſſu temporis alios etiam honeſtos et probos viros in collegium recipere ſiue inſtituerunt, ſiue rationibus variis rerum ſuarum adducti ſunt. Id vero quo tempore fieri cœperit, equidem me neſcire fateor; ſed erit inferius occaſio proferendi, quæ de hoc negotio ſuſpicer. Hippocratis tempore iam crebro multumque id accidiſſe, ex eo colligas, quod Diocles Caryſtius, qui iisdem fere temporibus vixit, Aſclepiadarum vltimus vocatur. Sed videamus quænam ſacerdotum Aeſculapii conditiones fuerint.

XXVIIII. Habebant iſti apud templum habitationes commodas, fruebanturque illius reditibus: ad minimum ex ſacrificiis partem, vnde victitarent, accipiebant.

bant. Facile coniicimus vnius templi præ alio feliciores lautioresque fuiſſe fortunas. Donationes varias, in annuos reditus, factas fuiſſe ſacerdotum collegiis, inſtar omnium comprobat vetuſtum marmor a SPONIO* deſcriptum, quo exponuntur beneficia in hunc ordinem a nobili et opulenta matrona, Saluia Marcellina, collata.

* *Miſcellan. erudit. antiqu. Sect. II. pag.* 52.

XXX. Officium erat Aeſculapium conſulendi cauſa adeuntes, *ἱκέται* vocabantur, ſuſcipere, quid ipſis agendum ſit, præcipere, luſtrare eos, ſacrificia pro ipſis offerre, noctu decumbentes, ſomniandi cauſa, Aeſculapii & filiarum habitu obire, medicinas, quas noſſent, applicare, ſomnia cuivis explicare, &, vt verbo dicam, quicquid ad religionem * pertinebat, obire & exſequi.

* Vtiliſſime conferetur hic LVCIANI libellus, qui inſcribitur *Alexander* ſ. *Pſeudomantis*, quo accurate exponitur, quicquid impoſtor callidiſſimus in recens condito Aeſculapii apud Abonotichitas templo commentus fuit. Commemorantur ibi præcones, theologi, *χρησμοποιοὶ*, qui oracula verſibus redderent, reſponſorum notarii, obſignatores, expoſitores, & alii plures. Nulla autem dubitandi cauſa eſt in reliquis templis eadem, quæ hic inſtituta erant, aut non multum diuerſa, viguiſſe.

XXXI. Quamquam *ἱκέτας* non male videmur accipere poſſe pro iis, qui auxilii ad ſanitatem recuperandam cauſa dei templum acceſſerant: videndum tamen fuerit, annon in vulgatiſſima etiam acceptione vocis, pro ſupplicibus, qui huc, tamquam ad aſylum accedere voluerunt, ſumi debeat.

XXXII. Ad ſacerdotum officium porro & hoc, tamquam præcipuum, pertinebat, medicam artem excolere, eamque filios ſuos, aut alias collegio adſcribendos, docere. Sed de hoc deinceps diſpiciemus curatius: nunc de incubatione diſſeremus, quam in Aeſculapii templo frequentem fuiſſe variis veterum multisque teſtimoniis

comprobari poſſet, ſi neceſſarium videretur. Quæ vero ſingulatim in ſollemni hoc & ſacro negotio facta fuerint, neminem ſcio veterum, qui exacte ſibi exponendum ſumſerit.

XXXIII. Scopus præcipuus fuit, vt Deo ſe præberent in templo ſuo per ſomnum erudiendos, de remedio recuperandæ valetudinis: ſed nec vereor eodem referre illum decubitum, quo ſe medicinis, ſi ſacerdotibus ita videretur, applicandis patientes paratosque offerebant.

XXXIIII. Integrum totius negotii proceſſum quaſi exemplarem cognoſcere licet ex ARISTOPHANE.* Summam hanc exhibebo. Primo luſtrari lauarique debebant ἱκέται recens aduentantes, deinde ſacrificium exhibere, quod aræ imponebatur, tum in templo decumbere & ſomnum capere. Vbi iam quieſcebant, ſacerdotum aliquis, Aeſculapii habitu indutus, comitante filiarum caterua, ægrotum viſitabat, eaque vel adminiſtrabat, vel ediſſerebat, quæ neceſſaria videbantur. Cumque nefas aut periculoſum putaretur, ſi quis etiam vigilaret, ſomnum non ſimulare: de eo, quod vere viderat vel audiuerat quisque, non aliter apud alios perhibere licebat, quam de re per ſomnum viſa & oblata.

* cuius comœdia, quæ *Plutus* inſcribitur, noſtram hiſtoriam egregie illuſtrat, doctiſſimisque commentariis tum aliorum, tum præcipue Illuſtriſſ. *Spanhemii*, egregie eſt expoſita. De *incubatione in fanis deorum* legenda eſt etiam diſſertatio HENR. MEIBOMII.

XXXV. Quæ quisque didicerat ſibi ſanitatis cauſa peragenda eſſe, ſi opem attuliſſent, ea, qui ditiores erant, columnis inſcribenda curabant, tenuioris fortunæ homines longioris tamen recordationis gratia tabulæ inſcribenda curabant, vt in templo ſuſpenderentur. Atque huius generis tabularum ſæpius fit apud veteres mentio, & HIERONYMVS MERCVRIALIS* aliquot exempla talium

lium legenda exhibet. Sed non ſolum in Aeſculapii templo hoc gratum animum teſtandi modo vtebantur, verum etiam in aliis pluribus idem faciebant, quicunque ſe dei cuiusdam præſentanea ope ſeruatos magnoque periculo ereptos credebant.

* *de re gymnaſtica veterum.*

XXXVI. Quid Aeſculapio ſacrificatum fuerit, liceat deinceps indicare. In Titanæo templo tauros, agnos, ſues immolabant, vt et volucres, teſte PAVSANIA.* Epidauri non licebat deo capram immolare, quod Aeſculapium a capra enutritum credebant: ſed Balanagris Cyrenæorum capellas ſine ambagibus rem ſacram faciebant. Erat & illud Epidauri ſancitum, vt & Titanæ, vt quicquid vel civis vel aduena deo immolaſſet, id totum deberet intra templi ambitum conſumi, nihil efferre liceret: quæ lex ſine dubio vtilitates ſacrificulorum reſpexit.

XXXVII. *Aeſculapio gallum* cõſecrari offerrique ſolitum, in prouerbium abiit: quem morem etiam confirmat Socratis iam emorientis vltimum deſiderium, vt amici pro ſe gallum, Deo a ſe promiſſum, immolarent, teſte PLATONE.*

* *Phædon.* circa finem. Ex eodem *Platone* pulcrum locum adfert D. D. CLERICVS, quem mihi nondum inuenire licuit, ſenſus autem eo redit, veteres propterea Aeſculapio, Phœbi filio, ſacrum feciſſe gallum, quoniam hæc ales diei et ſolis ſit prænuncia: voluiſſe autem eo admonere, homines nos diuinæ bonitati lucem vitamque debere, eademque omnibus noſtris morbis et malis medelam afferri.

XXXVIII. Atque hæc nunc de Aeſculapii religione dicta ſufficiant. Illa inde a ſua origine, vsque ad tempus quo Hippocrates Cous viuere deſiit, annos octingentos et nonaginta impleuit: tantoque tempore in Aſclepiadarum poſſeſſione quieta ſatis manſit, ad minimum per quingentos annos, quo toto interuallo medicum,

qui ſuo nomine artem exercuerit, haud facile apud Græcos inuenias. Atque hoc forte induxit ISIDORVM HISPALENSEM *, vt ſcriberet: *Poſtquam fulminis ictu Aeſculapius interiit, interdicta fertur medendi cura, & ars ſimul cum auctore defecit, latuitque per annos pene quingentos, vsque ad tempus Artaxerxis, Perſarum regis: tunc eam ad lucem reuocauit Hippocrates, Aſclepio patre genitus in inſula Coo.* At vero illud tempus iuſto longe minus determinat Iſidorus, ſi ab exceſſu Aeſculapii ad Hippocratis annos viriles calculos debite ponas.

* *Origin. IV. cap. 3.*

CAP. V.

De Aſclepiadarum medicorum fortunis doctrina, meritis ſcholisque diuerſis.

CONSPECTVS.

De fortunis Aſclepiadarum. I.
de meritis magnifice quidam ſenſerunt. II. III.
Sed ſuſpectus & inconſtans eſt præcipuus teſtis Galenus. IIII.
Quantum in re anatomica præſtiterint. V - VII.
An medicinæ ſcientiam habuerint. VIII. VIIII.
An extra templum medicinam fecerint. X.
Quid philoſophiæ exortus eorum reſpectu mutauerit. XI.
Quid æmulatio. XII.
Scholæ præcipuæ. XIII.
Specimen æmulationis inter ſcholam Coam & Cnidiam. XIIII - XVII.
Specimen fructus æmulationis huius. XVIII.
Almeloueenius obiter corrigitur. XVIIII.
de Elaterio pauca. XX. XXI.
Cnidiorum aliæ medicinæ. XXII.
De Euryphonte Cnidio & ſententiis Cnidiis. XXIII. XXIIII.
De Cteſia, medico Cnidio. XXV. XXVI.
Tranſitus ad ſequens caput. XXVII.

I. De

I.

De fortunis Aſclepiadarum iam attigimus ſupra * aliquid. Vt breuis nunc ſim, concipere nobis demus ſacerdotum aliquod collegium, aut fundationem eccleſiaſticam, cuius redituum fructus ad ſingulos ei adſcriptos redeunt, interque eos diſtribuuntur: prorſus vt alia omni ætate ſacerdotia videmus comparata fuiſſe. Sed vt quotidie videmus vnius fundationis opes lautiores eſſe, pluribusque alendis ſufficere, alias paucioribus tantum vel vni ſuſtentando neceſſaria ſuppeditare: idem de Aeſculapii ſacerdotum fortunis ſtatuendum mihi videtur. Quum verô nos nihil iuuerit hæc exploratiſſima habere, quum iam olim hi reditus ad alios peruenerint: neque amplius ei inquiſitioni vacabimus.

* *Capitis præcedentis §. XXVIIII.*

II. Tempeſtiuum nunc fuerit videre, quantas Aſclepiadis hiſce laudes aliqui adiungant, tamquam medicis omnibus eruditionis numeris abſolutiſſimis, & quantam habere encomiis hiſce fidem liceat.

III. Et ſane a plerisque ſcriptoribus, GALENVM* maxime ſequutis, Aſclepiadæ perhibentur tamquam medici experientia & ratione ſubnixi: anatomica exercitia patres, inſpectantibus filiis, a pueritia illorum inſtituiſſe. Ex eo itaque factum fuiſſe concludunt, vt omnino non eſſent medici nude empirici. Addunt ſcholas fuiſſe, de quibus Galenus alicubi loquitur, tamquam in mente haberet eam, quam ipſe frequentarat, Alexandrinam, vbi ex cathedra artis præcepta tradebantur: recentiores autem nonnulli, tamquam fuiſſent academiæ noſtris plane ſimiles.

* vide exempli gratia *Introduct. cap. 2. de adminiſtrat. anat. lib. 2. ineuntem.*

IV. Ad magnificam illam anatomen Aſclepiadarum minuendam non alio, quam GALENO teſte, vtimur: qui quidem

quidem vir vbi de integro Aſclepiadarum ordine loquitur, omnia ſumma & præclariſſima de eo prædicat: vel quod vere patrium numen, Aeſculapium Pergamenum, vt videri voluit, reuerebatur: vel quod nihil ſcribere voluit, quo ſibi aditum ad ſacerdotium in patria præcluderet: vbi vero de ſingulis Aſclepiadis forte dicendum eſt, vt de Praxagora, Diocle, iudicium mira libertate promit, ipſorumque anatomen, qualis reuera erat, rudem pronunciat. De quo quidem cum latius alibi egerim* nolo hic omnia repetere.

* *Hiſtor. anatom. ſpecim. I. §. 17. ſeqq.*

V. Aliqualem corporis humani cognitionem illos, quisquis curioſior erat, potuiſſe aſſequi, non negauerim, quum & ab analogia corporum animalium, quæ mactabantur pro familia, vel ſacrificiorum cauſa, petere aliqua licuerit: & in bellis, quæ ſequi Aſclepiadæ, ſaltem apud Peloponneſios, vt infra videbimus, debebant, crebra occaſio obtingere potuerit ex vulneratorum inſpectione multa obſeruandi.

VI. Sed quo minus illa, quam Galenus laudat, paterna inſtitutio anatomica, ad humanorum corporum minutas diſſectiones transferatur, multæ rationes & leges politicæ, quas migrare Aſclepiadis non licebat, prohibent credere. Nihil in bellis, quæ inter ſe Græci mutuo gerebant, maiori religione obſeruabatur, quam vt cæſorum vtrimque corpora ad honeſtam ſepulturam rogo inferrentur; huiusque cauſa induciæ petebantur dabanturque: quin mortis pœna luendo crimini dabatur ducibus, ſi quid in ea re induſtriæ ſtudiique reliquum feciſſent. Circa illos autem, qui naturali morte defungebantur, tanta ſuperſtitione omnes olim ferebantur, vt nullo pacto poſſit intelligi, qui potuerit quisquam corpora incidere.

VII. Ma-

VII. Maximum autem argumentum, quo anatomica illa dexteritas ſubruitur, inde peti poteſt, quod in Hippocratis ſcriptis, iisque fragmentis, quæ ex Dioclis, aliorumque monumentis ſuperſunt, non apparent eius indicia, ſed plura potius documenta, quibus contrarium euinci poſſit.

VIII. Quam rationalis reliqua ipſorum medicina fuerit, iudicari poterit ex eo, quod in templis factum fuiſſe videmus. Habuerunt ſine dubio aliquas medicinas externo internoque vſui aptas, quas ab experientia multorum annorum applicare nouerant. An vero morborum cauſas & origines ſcrutari ipſi cœperint, & medicinam diæteticam agitauerint, aut omnino clinicen exercuerint, valde multa ſunt quæ me dubitare faciunt.

VIIII. Certe CORNELIVS CELSVS * originem *ſcientiæ medicæ* philoſophis aperte tribuit: hos autem intellexiſſe ipſum Aſclepiadas, neutiquam mihi perſuadere poſſum.

* *præfat. Libr. I.*

X. Extra templum autem mederi, videtur toti inſtituto Aſclepiadarum contrarium fuiſſe: niſi forte chirurgiæ exercitium licitum fuiſſe dicere velimus: quod inde colligo, quoniam ex Lycurgi inſtituto, vt non obſcure innuit XENOPHON, * medici caſtra ſequi debebant, & in acie, vna cum vate, proxime regem conſiſtere. Quos vero medicos Lycurgi ætate ab Aſclepiadis diuerſos animo concipere poſſim, nullos mihi Græciæ antiquæ conditio ſuggerit.

* *de Republ. Lacedæmon.*

XI. Quicquid ſit de illorum profectu & induſtriæ fructibus, illud forte nemo negauerit, torporem ipſis primum excuſſiſſe philoſophos, quum ſe rei medicæ dedere & ſanitatis, morborum, vitæ mortisque cauſas ſcru-

tari ſua induſtria dignum laborem exiſtimare inciperent, & non ſolum de his frequentius inter homines diſſerere, verum etiam meditationes ſuas ſcriptis libris propagare inſtituerent. Ex quo vero ſimile eſt generoſioris cuiusuis Aſclepiadæ virtutem excitatam fuiſſe ad honeſtam æmulationem.

XI. Hæc vero æmulatio deinceps inter ipſos diuerſorum templorum ſacerdotes incendit æmulum ardorem, vt ſcholæ medicæ celebriores famam conſequerentur. Quare tempeſtiuum eſt nunc ad ſcholarum iſtarum conſiderationem progredi.

XIII. Harum nobis GALENVS* memorat Coam, Cnidiam, & Italicam, ſimulque monet mature defeciſſe eam, quæ in Rhodo floruerat. Quam hic vocat Italicam volunt alii floruiſſe Agrigenti, alii Crotone. Certe inferius audiemus de viro Crotoniata celeberrimo, medico & medici filio, cuius fama effectum fuit, vt inter Græcos primi medicinæ laude putarentur Crotoniatæ, ſecundi Cyrenæi Libyes.

* *meth. med. lib. I. ineunte.*

XIIII. Aemulationem hanc obſerues in HIPPOCRATE,* vbi profitetur quid ſibi diſpliceat in libro, qui inſcribebatur *ſententiæ Cnidiæ:* quibus, tamquam accuratioris doctrinæ ſpecimen, oppoſuiſſe videri poſſit Hippocrates ſuas Coacas.

* *de vict. acutor. ineunte.*

XV. Deſiderat ſcilicet quod de morbis nihil ſcripſerint præter hiſtorica, bona illa quidem, ſed quæ etiam alii, quam profeſſione medici, potuerint ſcribere: præcipue quod ieiunius tradiderint nonnulla ad τέκμαρσιν, i. e. ad ſemioticam ſeu ſignorum doctrinam pertinentia: porro, quod indiuiduales curationes non ſatis accurate præcipiant, generalibus tantum inhærentes.

XVI. Por-

XVI. Porro eos reprehendit, quod pauca remedia ad vſum proponant. Nam remediorum, quæ ab iis laudantur, pleraque eſſe elateria, id eſt vehementer euacuantia, niſi quod etiam ſeri & lactis vſum tempeſtiuum edoceant. Nec minus illud in Cnidiis, quam omnibus veteribus, deſiderat, quod nihil commemorabile de diæta ſcripſerint, quum in morborum catalogo amplificando nimis curioſi fuerint.

XVII. Hæc fere ſumma eſt eorum, quæ Hippocrates in Cnidiis non laudare ſe profitetur. Vbi ſimul annotamus aliquos interpretes illum ſermonem de elateriis ita interpretatos eſſe, vt ſenſus ſit Cnidios elaterium inueniſſe* illud, quod proprie hoc nomen gerit: quum tamen ex hoc loco id neutiquam elici poſſit: beneque iam ab aliis animaduerſum ſit elateria, plurali numero, ſemper deſignare pharmaca fortius euacuantia, cuius generis plura veteribus in vſu fuerunt.**

* *inueniſſe elaterium*) Duplex hic eſt lectio. Nam apud Galenum legitur εὑρέαται, *inuenta ſunt*: recentiores editiones melius exhibent εἰρέαται *dicta*, *expoſita ſunt*.

** conf. IO. HEVRNII *commentar. in text. 4. huius libri.*

XVIII. Ceterum Hippocratem ipſum accipere a Cnidiis aliqua non grauatum fuiſſe GALENVS* indicat occaſione remedii ad pus ex pulmone ſuppuratorum eliciendum propoſiti: vt nec reformidat ** vſum cocci gnidii, ab hac ſchola ſane denominati, &, vt veroſimile eſt, inuenti.

* de morbis II. §. 44. ** de internis affectionib. §. 1.

XVIIII. ALMELOVENIVS*, vt multa temere, ſic & hoc, tradit Cnidios dictos fuiſſe quosdam veteres medicos, propter frequentiſſimum vſum ſeminis cnidii: quum ſemen ab vrbe Aſiæ celebri, vbi medici vſum eius inuenerunt aut frequentarunt, nomen accepiſſe longe ſit veroſimilius.

* *de inuentis nouantiq. pag. 65.*

XX. Quum elaterii mentio facta ſit, addimus, etſi non ſatis liquidum videatur illud eſſe a Cnidiis inuentum, antiquitatem tamen remedii ex eo eluceſcere, quod THEOPHRASTVS ERESIVS commemorat elaterium CC. annorum a ſe apud medicum fide dignum fuiſſe viſum, cuius vires adhuc integræ fuerint: quæ ætas ad tempora Hippocrate longe ſuperiora excurrit.

XXI. Quale autem fuerit veterum elaterium, & quomodo præparari ſit ſolitum, accurate exponit DIOSCORIDES,* quem ſi ſecutus fueris elaterium album, inſtar pulueris, qualem officinæ fæculam dicunt, ſed modica admodum quantitate, acquires; viribus autem vulgari nigro officinarum longe efficacius: de quo alio tempore plenius agere conſtitui.

* *Lib. IIII. cap.* 155. *pag.* 300.

XXII. Etiam chalcanthum ſeu æris florem* ex numero medicinarum Gnidarum, vt & radicem ari, fuiſſe, ex Hippocrate diſcimus.

* Notamus hac occaſione quod Græcis circa hæc tempora metallorum cura in primis inſederit, nonnullique eorum inſignes diuitias inde fuerint conſequuti. Præcipue cinnabarin hoc eſſe tempore inuentam a Callia Athenienſi, qui ante Chr. nat. anno 505. eam reperiſſe ſcribitur. Sed quum hæc hiſtoria medicinam parum tangat, quoniam ex cinnabari ad medicum vſum aliquid tunc redundaſſe non conſtat: nec immorari nunc illi commemorationi iuuat. Conf. PLINIVS *hiſt. nat. XXXIII.* 7. Aeris præcipuum prouentum Cypro veteres debuiſſe, in Galeni hiſtoria videbimus: vnde etiam chalcanthum ad Gnidios & Græcos primum veniſſe ſuſpicor.

XXIII. Sententiarum Gnidiarum auctor fuiſſe perhibetur EVRYPHON, Hippocrati Coo fere æqualis, ſed aliquanto ætate prouectior. Aetatem eius metiri inde licet, quod Plato Comicus, Ariſtophanis & Hippocratis coæuus, Euryphontem per antonomaſiam alicubi

pro

pro medico ponit, qui pleuritico ſuppurato cauteria applicat. Verſus integri ab GALENO* exhibentur.

* *comment. ad Aphoriſm. VII. 44.*

XXIIII. Quum vero duas illarum ſententiarum editiones, poſterioremque priore meliorem fuiſſe GALENVS* ſignificet: neſcio ſane vtra Euryphonti, an vtraque tribui debeat. Illud manifeſtum ſatis videtur Cnidias ſententias Hippocrati & rei medicæ profuiſſe; quoniam ille ex his profecit & ad ſcribendum excitatus fuit: hæc fructum lucemque maiorem ex hac concertatione accepit.

* *comment. in de vict. acut. p. 38.*

XXV. Cnidia vrbs et ſchola dedit præclarum medicum CTESIAM, qui Artaxerxis tempore in Perſia vixit & in aula medicinam exercuit, Hippocrati ætate ſuppar. Qua occaſione illuc delatus ſit, & quanto honore ſedecim annos apud regem exegerit, DIODOR. SICVLVS* exponit. Hunc virum medica ſcripſiſſe, nec alienum fuiſſe ab æmulatione illa, quæ inter Cnidios & Coos eluxit, ex GALENO** diſcimus, qui de eo refert quod Hippocratem Coum, cognatum ſuum, poſt ipſum vero alios etiam, reprehenderit, qui articulum ad coxam reponere aggreſſi ſint. Ceterum Cteſiæ nomen magis celebratur ob hiſtorica monumenta, quam ob medicinam. Ex fragmentis videas ipſum paſſim meminiſſe rerum a medicina non vsque quaque alienarum: ſed fidem eius hiſtoricam multi hodie labefactant.

* *Libr. II. pag.* 118. ** *Comment. IV. in libr. Hipp. de articulis.*

XXVI. Ex Cteſiæ huius fragmentis nobis innoteſcit medicus quidam Cous, qui Artaxerxis æuo in Perſia floruit, &, quod non caſte apud matronam libidinoſiſſimam verſaretur, magnarum calamitatum ſibimet auctor fuit. Medico nomen erat Apollonides, matro-

næ hyſtericæ & tabis initio laborantis nomen refertur Amytis, eratque Megabyzi vidua.

XXVII. De Coa ſchola dicere nunc deberem; ſed quoniam, quæ adferenda eſſent, ſingula fere cum Hippocrate cohærent, conſultius putaui omnia illuc differre, donec ad hunc virum progredi liceat. Ante vero quam de eo exponam, neceſſarium videtur, ne temporum ordo nimium turbetur, relicta tantiſper Græca medicina, videre numquid ſe apud exteras gentes, tanto temporis interuallo offerat notatu aut ſaltem inquiſitione dignum. Deinde ad Græcos reuerſi medicinæ inter philoſophos fortunam & fata conſiderabimus; hinc commoda occaſione a Crotonienſem ſcholam veniemus, tandem ad Hippocratem noſtrum redituri.

CAP. VI.

De Medicinæ extra Græciam ſtatu.

CONSPECTVS.

De medicina Salomonis. I.
Ioſephi de ea teſtimonium. II.
Vt & Euſebii. III.
Fabuloſe vel fruſtra de Salomone perhibita. IV.
Eius tempore cœpiſſe videtur balſami cultura. V.
de radice Baaras. VI.
de alchemia Salomonis. VII.
de Sale ſacerdotali. VIII.
Obiter de ſale diuino Græcorum. VIII.
Medicinæ fata ſub Ezechia. X. XI.
de regis Aſſæ medicis. XII.
de curatione cœci Tobiæ. XIII.
Nugæ quorundam de deſtillationis inuentione. XIIII.
de medicina apud Perſas. XV.
Qua occaſione Aegyptii medici huc veniſſe videantur. XVI.
medicorum multitudo Cyri ætate. XXVII.
qui medicis fauit. XVIII. XVIIII.
Perſarum temperantia. XX.
de Aegyptiorum a Perſis ſubiugatorum medicina. XXI. XXII.
Aegyptiorum crania dura. XXIII.
de ſanguine tauri, veneno. XXIIII.

Cambyſis

Cambyſis in Aegypto geſta medicinam attingentia. XXV.
de Nechepſo rege. XXVI.
ſpecimina eius medicinæ. XXVII-XXVIIII.
de Petoſiride. XXX.
Aegyptus hac ætate exteris aperta & a Græcis frequentata. XXXI.

I.

Ad Iudæam gentem nos auocat, qui hoc interuallo vixit ſapientiſſimus regum, SALOMON, Dauidis filius. Conſtat ſatis ex ſcriptura ſacra, quantam ſibi exorauerit & a DEO impetrauerit ſapientiam, & quod de vegetabilibus animalibusque diſputauerit.*Quod quidem teſtimonium a quibusdam eo trahitur, quod Salomon multa volumina, rerum naturalium cognitionem complexa, ſcripſerit, aut aliis ſcribendi, quæ ex ipſo perceperant, occaſionem dederit.

* *I. Reg. IV. 33.*

II. IOSEPHVS,* rerum Iudaicarum nec impudens nec imprudens ſcriptor, multum de hoc negotio diſſerit. Longior eſt ſermo, quam qui transſcribi huc poſſit: ſumma autem eo redit, Salomonem proprietates herbarum, ſed & aliorum ſimplicium, recte cognouiſſe: præcipue autem nouiſſe quæ ad medelam hominum aduerſus dæmones efficaciter fieri poſſent. Ne vero exiſtimemus a medicamentis illam virtutem deſumtam eſſe, addit: *Incantationes enim compoſuit, quibus morbi pelluntur & coniurationum modos,* (τρόπους ἐξορκώσεων) *ſcriptos reliquit, quibus cedentes dæmones ita fugantur, vt in poſterum numquam reuerti audeant.*

* *Antiquit. Iudaic. L. VIII. pag. 257. 258.*

III. Ex Chriſtianis veteribus ſubiicio iudicium EVSEBII* qui *veroſimillimum eſſe* iudicat *plurima exinde artis medicæ ſcriptores decerpſiſſe, calidorum & frigidorum, ſiccorum & humidorum ordinem compoſuiſſe, & hæc herba, illa*

illa herba quanam menſura ſit calidior aut frigidior, & huius animalis hæc particula cui morbo afferat remedium, vtpote fel hyænæ aut adeps leonis, aut ſanguis tauri, aut carnes viperæ. De his enim ſcripſiſſe doctos medicos, accepta occaſione ab his, quæ Salomon prius ſcripſerat.

* citati a Summe Reu. D. D. BVDDEO *in hiſt. philoſoph. Ebræor.* ex ANASTASII *Epiſcop. Nic. Quæſt. XXXIX. in ſcriptur.*

IIII. Hæc ſunt modeſtiorum ferenda iudicia & non improbabilia, etſi nec omni dubio maiora. Sed ex Iudæis æque ac Chriſtianis nonnulli longius abeunt. Non dicam quot ſuppoſititia & ineptiſſima Salomoni tribuantur ſcripta magica, de quibus conſuli poteſt Celeb. D. D. FABRICIVS:* ſed tantum illud adducam, quod ex Chriſtianis recentioribus aliqui contenderint Salomonem etiam circulationem ſanguinis cognouiſſe, indicante PASCHIO:** quin R. ABRAHAM ZACVTH in libro *Iuchaſin* contendit, quicquid ſolidum eſt in doctrina Ariſtotelis, id furto ablatum eſſe a ſapientia Salomonis. Poſtea enim quam Alexander Macedo rerum potitus eſt Hieroſolymis, ſummam rerum concrediſſe Ariſtoteli præceptori ſuo, ipſosque adeo Salomonis libros. Sed Ariſtotelem, ſuppreſſo Salomonis nomine, de ſuis nugas & impietates inſeruiſſe, omniaque pro ſuis edidiſſe.

* *Codice pſeudepigraph. V. Teſt.*

** *de inuent. nouantiq. p.* 312. Adducit ibidem *Cornelii Bontekoe* tractatum Belgicum, cui titulus: *Korte Verhandeling van 's Menſchen Leven, Geſondheid, Siekte en Dood*, cuius *ſect. II. §.* 80. *p. m.* 241. pericopa libri, qui *Eccleſiaſtes* dicitur, *cap. XII.* 1. ſeqq. paraphraſi quadam illuſtratur doctrinis, quæ circulationi ſanguinis ſuperſtructæ ſunt, conformi. Profitetur auctor *videri ſibi Salomonem melius peruidiſſe circulationem ſanguinis, quam Hippocratem.*

V. Seorſim IOSEPHVS* refert, famam fuiſſe plantam ſeu ferulam balſamiferam Salomoni dono allatam fuiſſe a regina Aethiopiæ, quam fama ſapientiſſimi regis Hiero-

Hieroſolymam attraxerat. Eam deinceps cultura diligenti multiplicatam non exiguum terræ fructum attuliſſe: quod quidem veroſimile faciant horti Salomonis aromatici: quorum in ſacris fit diſerta mentio. Idem de balſamo iterum agens ** nos edocet circa Hierichuntem hortos balſamiferos fuiſſe. Sed balſami huius mentionem alio tempore propiore licebit iterum facere.

* *Antiquit. Iudaicar. VIII. p.* 270.

** *Libr. XIV. cap. VII. p.* 473.

VI. Quod ex Salomonis diſciplina quidam mira patrauerint dæmonibus fugandis, radicis cuiusdam beneficio, intelligitur ex eodem IOSEPHO.* Quam vero radicem intelligat, alio loco ** indicat, ſcilicet radicem Baaras, quæ in valle eiusdem nominis, ad vrbem arcemque munitiſſimam Machæruntem, creuiſſe ibidem indicatur, adiunctis circumſtantiis non parum τερατολογίας continentibus.

* *Antiquit. Iud. VIII. cap.* 7.

** *de bello Iud. lib. VIII. pag.* 981. Quod vero Iudæi fabulati ſunt de radice Baaras, tranſiſſe etiam ad alias gentes non obſcure colligitur ex eo, quod de mandragora nigra paſſim legitur: cuius perſuaſionis antiquitas cognoſci poteſt ex Dioſcoride MSto, qui in bibliotheca Auguſtiſſima Vindobonenſi exſtat, ſæculo V. exaratus egregiisque picturis ornatus, quarum vna a NESSELIO *lib. III. Cod. I.* exhibita, ſiſtit Εὕρεσιν, ſeu *Inuentionem* habitu feminæ mandragoram manu tenentis, cui ſubiunctus eſt canis, tamquam ad eam aſſiliens, ſed retrolabens & exſpirans.

VII. Denique Salomonem fuiſſe alchemiæ aurificis gnarum, ex opulentia eius ſumma aliqui colligunt, quam tot ædificandis operibus magnificis teſtatam fecit: perſuaſumque habent nec nauigationes eius Ophiriticas, nec patris Dauidis parſimoniam, potuiſſe ad tantas diuitias ſufficere.

VIII. Laudatur paſſim ſal aliquod ſacerdotale, quod paulo poſterioribus temporibus Eliæ vel Eliſæi Iudæis in vſu fuerit contra affectus catarrhales, ad ſtomachi imbecillitatem corrigendam, viſusque acumen conſeruandum. Sed videtur eſſe æui recentioris inuentum. Plura huius generis apud NICOLAVM MYREPSVM* & alios videas ſanctis Apoſtolis, aliisque magnis viris, tributa.

* *de ſalibus ſect. II. pag.* 470. *ed. H. Steph.*

VIIII. Hac occaſione ad Græcos parum reſpicere liceat, apud quos pariter celebratum fuit ſal aliquod diuinum. PHOTIVS* memorat Nereum Pelei Thetidisque nuptiis donum attuliſſe τοῦς θείους ἅλας καλουμένους ἐν κόιτιδι, *ſalem, quem vocant diuinum, in arcula:* qui ſal incredibilem habeat virtutem ad iuuandam *edacitatem, appetitum excitandum & ciborum concoctionem,* πρὸς πολυφαγίαν καὶ ὄρεξιν καὶ πέψιν. Simul indicatur eo reſpexiſſe HOMERVM,** vbi tamen ſcholiaſtes *Didymus* nihil præter communem ſalem intelligere videtur: diuinum autem dici innuit, quod a corruptione præſeruat ea, quibus adſpergitur.

* *in Excerptis* PTOLEMAEI HEPHAESTIONIS *pag.* 487.
** *Iliad. ι. verſ.* 142.

X. Pium regem Ezechiam memorant, referente SVIDA, combuſſiſſe libros Salomonis, quod videret populum plus confidere herbarum virtutibus, quam Deo: ex eodemque refertur in veſtibulo templi Hieroſolymitani morborum remedia fuiſſe tabulis vel parietibus inſcripta: tamquam idem hic factitatum crediderit, quod de Aſclepieis paganorum ſupra vidimus. Fides ſit penes Suidam & Rabbinos, aut quicunque fuerunt illi auctores, ex quorum traditione forte hoc emauauit. Si vero Ezechias hos libros combuſſit & aboleuit, qui potuit Alexander M. eos in Ariſtotelis ſinum deponere?

XI. Eiusdem Ezechiæ regis morbus * nos docet Iudæorum prophetas, quod et de ſacerdotibus ſupra innuimus, non alienos fuiſſe a medicis conſiliis & præceptis ferendis: quippe cataplaſma vel emplaſtrum ficatum regi applicari iuſſit. Qualis morbus fuerit, inter interpretes minime conſtat: ſed de medicina hac iuuabit audire D. HIERONYMVM:** *Diblaim* παλάτας *ſonat, quarum in Palæſtina permagna copia eſt & quas Eſaias propheta vlceri Ezechiæ regis iubet apponere. Eſt autem maſſa pinguium caricarum, quas, in morem laterum figurantes, vt diu illæſæ permaneant, calcant atque compingunt.*

* *Ieſaiæ XXXVIII.* 21. *II. Reg. XX.* 7.

** *comment. in Oſeæ cap.I.* Vox Græca ex Hieronymo allata apud LXX interpretes vtroque loco citato legitur, ſed ſcribitur παλάθη.

XII. In hiſtoria regis Aſſæ * refertur, quod ſenectutem eius pedum morbus afflixerit, quodque bene actam vitam inter alia hoc deturpauerit, dum medicorum potius quam DEI auxilium quæſiuit. Ex quo loco mihi videor iuſte colligere, vsque ad hoc tempus Iudæos non habuiſſe peculiares medicos, ſed per ſacerdotes auxilia morborum a DEO expetiiſſe. Aſam vero, inductum forte exemplo vicinorum regum, qui vndicunque accitos medendi arte claros viros in aula ſua habebant, idem eſſe imitatum. In quo DEVM offendit, quod illo tempore omnes medici viderentur alicuius fictitii numinis præſidio morborum medelas parare: tum vero quod omnino DEI auxilium quærere neglexit, ſi forte etiam abſque ſuperſtitione medicinam facientes habuit.

* *Paralip. XVI.* 12.

XII. In tempora Hippocrate ſuperiora incidit etiam curatio cæci Tobiæ patris a filio, impoſito piſcis felle, peracta: de qua legatur libellus apocryphus TOBIAE.* Ex eo certe tempore fellis piſcium quorundam

vſus in morbis oculorum ſeruari frequentarique cœptum eſſe, vero eſt perquam ſimile.

* cap. XI.

XIIII. Sed de Iudæorum medicina, quæ ad hanc periodum pertineant, plura inuenire me non memini. Pudet enim nugarum iſtarum, quando aliqui Iudæorum ſacerdotibus inuentionem chemiæ vel ex hoc capite tribuunt, quod boni viri obſeruauerint a ſacrificatis animalibus nidorem fumosque adſcendentes, quos, vt ſapientes, vtiles putabant, colligi aliquando in liquorem quendam, ſi quando frigido corpori copioſius allapſi fuiſſent. Hinc illos cogitaſſe, ſic ſupponunt, de viribus colligendis, fierique curaſſe magnum capitellum ſeu alembicum aræ imponendum, vt collecti nidores in phlegma, ſpiritum, oleum & ſal volatile coirent. Sic inuentam fuiſſe deſtillationem ex retorta, qua hodie ex cornubus, aliisque animalium partibus, aliquid elicimus. Hoc eſt fingere hiſtorias. Et ſi ponamus ita factum fuiſſe, cur potius a Iudæis fingimus id inuentum fuiſſe quam ab aliis nationibus, apud quas itidem animalia ſacrificabantur. Fabulam legi in ſcriptis WILHELMI *ten* RHYNE.

XV. Apud Perſas hoc interuallo ad medicinam pertinens nihil fere aliud, quam quod periodi finem attingit, inuenimus. Tempore quo Darius regnauit, in aula habebantur medicorum, qui ex Aegypto euocari poterant, optimi.* Sed cum rex, venatione occupatus, equo celeriter exſiliret, pedemque luxaret, nec illi reſtituere valerent: caſu accidit vt Democedes Crotoniata ad regem adduceretur captiuus, iuſſusque, immo coactus artem profiteri & exercere, regem ſanitati redderet. Ex quo Aegyptiorum medicorum exiſtimatio priſtina valde concuſſa eſt, Græcorum autem deſiderium inualeſcere cœpit. Sed quod Græci libertatis ſtudioſi eſſent, vix niſi per calamitatem ſuam abrepti eo deuenerunt.

runt. Sunt ex horum numero Cteſias Cnidius & infelix ille amator Cous: quorum modo mentionem ſupra iniecimus. Laudandum in Democede, quod latam in Aegyptios medicos duram ſententiam, qua cruci addicebantur, ſua deprecatione ſuſtulit.

* HERODOTVS *libr. III.*

XVI. Si quærimus qui & quando factum ſit, vt medici Aegyptii tantum valerent apud Perſas: forte antiquius initium non inueniemus, quam illud tempus, quo Perſis Cambyſes imperauit: quem & medicum ocularium, ab Aegypti rege precibus impetratum, in aula habuiſſe, & eius conſiliis Aegyptum inuaſiſſe ac deuiciſſe certum eſt: quod anno mundi creati 4189. accidiſſe PETAVIVS oſtendit.

XVII. Sed non ſolum in aula optimos medicos magni fuiſſe æſtimatos, verum etiam vrbes aliquos aluiſſe & duces ſecum in exercitu habuiſſe deinceps, ex Cyri, qui Cambyſis filius fuit, ſermone apud XENOPHONTEM* intelligimus.

* *Cyropæd. Lib. I. p. m.* 20.

XVIII. Maxime autem medicis fauit optimus hic princeps Cyrus, ipſemet medicinæ non parum deditus, vt luculento teſtimonio eiusdem XENOPHONTIS* apparet, cuius partem potiſſimam exhibebo: *Cyrus medicos optimos ad ſe accerſiuit, vt cum his loqueretur: & quæcunque inſtrumenta vtilia eſſe dixiſſet aliquis eorum, vel venena vel eſculenta vel potulenta, hæc omnia parata ſeruabat apud ſeſe. Conſiderabat etiam quando quis ſuorum ægrotabat, quod eſſet curandi tempus, præbebatque omnia quibus opus eſſet. Habebat etiam medicis gratiam, quum quis ſanaſſet quemquam eorum, quos a ſe curandos acceperat.*

* *c. l. Libr. VIII. p. m.* 145. 146.

XVIIII. Non eſt dubitandum, ſub tam ſapiente bonoque principe rem medicam eximia cepiſſe incrementa: ſed magis particularia referre non licet ob ſcriptorum veterum ſilentium. Quum vero Cambyſis regnum non fuerit diuturnum; nec adeo multis poſt Darii initia annis videatur accidiſſe illa Democedis commendatio, cum Aegyptiorum exiſtimationis detrimento coniuncta: neſcio ſane, quid ſtatuere debeam de illis a Xenophonte nobis oſtenſis medicis, quos ſane Græcos dicere omnes non audeo. Forte ab hoc tempore Aegyptii & Græci ſimul, vt quisque operibus artis magis claruit, floruerunt, & ex Perſarum gente aliquos arte ſua etiam imbuerunt.

XX. Non alienum fuerit, hoc loco referre ex XENOPHONTE*, quod Perſæ admodum moderato & temperato victu vſi fuerint, eique a prima infantia, vt & laboribus rite perferendis, frigoribusque & æſtui tolerandis mature adſueuerint, vt non ſine delectatione fructuque apud laudatum auctorem legitur. Poſtea vero quam opes Perſarum, adiunctis Medorum, Aſſyriorum, Aegyptiorumque ampliſſimis regnis, creuerunt, quæ fere ſatietatem & abundantiam ſubſequi ſolent vitia, luxus libidinesque mature inoleuerunt huic nationi, vt hoc nomine Græcis vbique vapulent: qui tamen & ipſi inſequutis temporibus iisdem vitiis nimis mature ſuccubuerunt.

* Cyropæd. libr. I.

XXI. Vix quisquam dubitabit, illam diuerſarum gentium coniunctionem, & præcipue Aegypti, quæ ad hoc tempus commerciis minus patebat, ſubiugationem, haud exiguam intuliſſe etiam mutationem, vt aliis quibuscunque artibus, ſic ſeorſim medicinæ: ſed dolendum eſt, quod nos deſtituant illa vetuſtatis monumenta, ex quibus eruere certum clarumque quid liceret.

XXII.

XXII. Aegyptiorum res quum ad hoc vsque tempus rectiſſime ſtetiſſent, ſub Amaſi autem rege lætiſſime effloruiſſent, fatalis quædam clades mirifice affecit, medico quodam oculario Cambyſen, vt id regnum occuparet, inſtigante. Scilicet illum male habebat, quod, regis Amaſis iuſſu ad Cambyſen amandatus, patria cariſſimisque pignoribus careret. Rei totius, vt geſta fuit, ſeriem exhibet HERODOTVS. *

* *Libro III. ineunte.*

XXIII. Idem auctor in illo ſermone rem commemorat, cui pugna in ipſo Aegypti aditu inter Perſas Aegyptiosque commiſſa occaſionem dedit. Nam cum vtrimque multi caderent: neque vero Perſis Aegyptiisque cadauera comburere legitimum eſſet: illa computruere, oſſaque ad Herodoti vſque ætatem relicta iacuerunt, vbi inventum eſt caluarias Aegyptiorum duriſſimas eſſe; Perſarum autem tam fragiles, vt leui lapidis ictu potuerint perforari: cuius rei cauſam reddit hiſtoricus, quod Perſæ capita ſemper pileis tiarisque tecta gerant: Aegyptii vero vertice raſo incedant, caputque nudum ſoli durandum permittant.

XXIIII. Eodem tempore Aegypti rex Pſammenitus, ſub quo capta & expugnata fuit regio, ſanguine taurino epoto finem vitæ impoſuit: neſcio, an ſponte, an Cambyſe iubente fecerit. Facile tamen inducor, vt credam fuiſſe antiquitus apud barbaras gentes pœnæ loco illis, qui morti adiudicati erant, propinatum, vt apud Athenienſes cicuta huic fini deſtinata erat. Sed vel hanc ob cauſam notari meretur euentus, quoniam ſanguis bouis recens iugulati, apud medicos Græcos, in venenorum claſſem ſollemniter adſcriptus eſt, vt apud NICANDRVM * & DIOSCORIDEM ** videre licet.

* *Alexipharmac. v. 312. ſqq.* ** *Libro VI. cap. XXV.*

XXV.

XXV. Vt vero politicarum rerum mutationes raro religionem litterarumque ſtatum eodem loco relinquunt: ſic & Aegyptiis ſacerdotibus, quorum pars erant medici, aliquid accidiſſe facile perſuadebimus nobis, ſi Cambyſis in Aegypto geſta recognoſcamus: quippe religionem illorum admodum vilipendit, &, violato Api, Vulcani quoque templum, vbi chemicam officinam fuiſſe perhibent qui Aegyptiis χρυσοποιητικὴν artem aſſerunt, irreuerenter ſubiit.

XXVI. Celebratur magnis laudibus Nechepſus, rex Aegypti, quem D. D. CLERICVS * perhibet 344 annis Salomone poſteriorem fuiſſe: quod tempus incidit in illum Aegypti regem, qui in ſacris Pharao Necho, apud HERODOTVM ** Necos vocatur. Huius multa, quæ laudabilem principem denotant, facta refert: ſed quod medicinæ operam dederit, ſimul tamen magicis aſſumentis eam inuolverit, ex Iulio Firmico Materno, qui ætate Conſtantini M. vixit, aliorumque, ex quibus ipſe noſter Galenus eſt, monumentis prolixe docet CONRINGIVS. ***

* *hiſtor. medic.* ** *Lib. II. & IIII.*
*** *de hermetic. medic. pag.* 110 - 113. cui adde BORRICHIVM *in hermet. vindic. pag.* 171.

XXVII. Sed ne omnia ipſius magica exiſtimemus aut adſpernemur, facit AETIVS, * de Anthemide ſeu chamæmelo differens, & ex Nechepſi doctrinis trochiſcos magni vſus in febrium curatione, ſiue externe ſiue interne adhibeas, ex floribus parare docens. Hoc remedium non eſſe contemnendum quotidiana experientia practicos docet: ſed forte plerique non ſuſpicabuntur tantam illius eſſe antiquitatem.

* Tetrabibl. I. ſerm. I. voce Ἄνθεμις.

XXVIII. Nec ſuperſtitioſum eſt, quod idem AETIVS * Nechepſo auctori tribuit remedium ad comminuendos

nuendos calculos. Iubet ſcilicet lapidem Iudaicum, ab effectu τηκόλιθον dictum, ſubtiliter terere, dein pubis detondere pilos & illinere. Noſtri fere omittunt externum vſum, & interno, a Galeno ſic edocti, irrito vt plurimum effectu, inhærent. Ab eodem auctore alibi ** commemoratur Nechepſus Armeniaci pictorum demonſtrans varium vſum. Hoc eſſe lapidem, quem nos hodie vocamus Armenum, nullus omnino dubito, quoniam virtutem eius emeticam innuit.

* *Tetrabibl. I. Serm.* 2. *cap.* 19. ** *Ibid. cap.* 47.

XXVIIII. Docent, ni fallor, adducta ſpecimina, ſi libri Nechepſi theoriam falſam & contortam continuerunt, practica tamen bona continuiſſe, quæ vtinam diligentius nobis conſeruaſſent veteres. Satis ſpiſſum fuiſſe opus ipſius ex eo coniecturam facio, quod Galenus, de iaſpide viridi aliquid ex eo adferens, citat librum decimum quartum.

XXX. Nechepſo æqualis fuiſſe traditur Petoſiris, de quo ex variis veterum monumentis liquet, quod medicinam aſtrologiæ coniunxerit. Romæ ipſius præcepta valuiſſe, diſcamus ex IVVENALI *, qui in mulierum ſuperſtitionem ſic luſit:

Aegra licet iaceat capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſiris.

* *Satyr. V.*

XXXI. Ceterum fama Aegyptiorum medicorum hoc tempore non ſolum per orientem magna fuit: verum etiam multos allexit Græcos, vt Aegyptum adirent, hincque ſcientiam medicam domum reportarent: quæ, tamquam in fertili agro, læte ſuccreſcens, effecit, vt mox e Græcis ſcholis prodirent, qui ipſis Aegyptiis palmam peritiæ medicæ redderent dubiam.

CAP. VII.

De poetis & philoſophis Græcis, aut inter Græcos verſatis, medicinæ cultoribus.

CONSPECTVS.

Medicinam quiuis attentus augere potuit. §. I.
Et ex quotidianis phænomenis amplificare. II - VI.
præſertim ſi conſuetudo cum doctioribus accedat. VII.
Id in Græcis potiſſimum eluxit. VIII.
Ex quibus conſiderabuntur primo philoſophi. VIIII.
quorum antiquiſſimi ſimul vates erant. X.
Heſiodi, quæ ſuperſunt, pauca habent medica. XI.
Homerus medicinam nouit. XII.
meminit ſubinde medicinarum. XIII.
An eius tempore thermarum vſus medicus fuerit. XIIII.
Cur eleganti medico commendandus ſit. XV.
Aetas incerta eſt. XVI.
De Epimenide. XVII. XVIII.
De Thaleta. XIX.
De Thalete Mileſio. XX.
De Pherecyde Syrio. XXI.
De Pythagora Samio. XXII.
qualis medicina eius fuerit. XXIII- XXV.
Temperantiam valde commendauit. XXVI.
Creditur auctor aceti ſcylletici. XXVII.
Non abhorrebat a ſuperſtitione. XXVIII.
Græcos de annis climactericis & diebus criticis primus videtur edocuiſſe. XXVIIII.
Crotonienſis medicinæ initia videntur Pythagoræ deberi. XXX.
Crotonienſium medicorum laudes. XXXI.
Horum clariſſimus eſt Alcmæon. XXXII.
Anatomes primus auctor certus. XXXIII.
Eius inuentum tranſitus auris. XXXIIII. XXXV.
De Empedocle Agrigentino. XXXVI.
cuius ſcriptis adiutus eſt Diocles. XXXVII.
De ſtudiis ipſius. XXXVIII. XXXVIIII.
De femina ἄπνου. XXXX.
De Pauſania & Acrone. XXXXI.
De Epicharmo Coo. XXXXII.
De Timæo Locro. XXXXIII.
De Pythagora alipta. XXXXIIII.
De Democede Crotonienſi. XXXXV. XXXXVIII.
De Democrito. XXXXVIIII. L.
Fabuloſa aut obſcura multa de eo perhibentur. LI - LIIII.

auctor

auctor eſt philoſophiæ corpuſcularis, in medicinam poſtea illatæ. LV.
De longæuitate eius. LVI.
De Heraclito Epheſio. LVII. LVIIII.
Eius dicterium in medicos. LX.
De Diagora Melio. LXI - LXIII.
De Socrate. LXIIII.
De Xamolxi. LXV - LXVII.
De Abari. LXVIII. LXVIIII.

I.

Redimus nunc ad Græcos, viſuri, quinam, quum Aſclepiadæ non eſſent, medicinam agitare auſi, ipſam ſuperſtitioſis ſacrificulis feliciter extorſerunt, inque libertatem adſeruerunt. Et primo quidem ſupponendum eſt, artem, quæ ratione ac experientia conſtat atque comparatur, a quouis, qui his duobus rite attenteque vtitur, incrementa poſſe accipere: quin aliqua fortuito facta poſſe ab homine attento in artis inſignem fructum conuerti: hoc vero magis ex voto futurum eſſe, ſi quis iam aliquo modo imbutus præceptis artis animum ſerio huc appellat, vt quoscunque euentus fideliter annotet, inque rationes curioſius inquirat, quo non poteſt fieri, vt non dies diem doceat.

II. Atque ſic fieri potuit, vt, exempli gratia, ex animalibus, quæ quotidie ſiue ad culinæ vſum, ſiue ad ſacrificandum mactabantur, homines ideam aliquam fabricæ corporis animalis mente conciperent. Hanc ideam confirmarunt, ſicubi occaſio nata fuit in bellis ſauciorum vel occiſorum aperta præcordia inſpiciendi: eademque occaſione corrigere etiam aliquando licuit illas, quas primum ab inſpectione certi animalis viſcerum conceperunt, ideas humanæ fabricæ non ſatis conformes.

III. Sic femellas hominum habere vterum, quo concipiant fœtum & ad debitum tempus foueant, non puto homines dubitaſſe: quum vero in animalium corporibus a ſe mactatis non raro grauidum vterum inuenirent & contemplarentur; vteri ideam viſæ conformem matrici quisque ſibi finxit: vt hodieque in veteribus ma-

tricis deſcriptionibus acetabula & cornua inuenimus, ſcilicet ab animalium corporum viſa ſtructura homini deinceps applicata.

IIII. Ponamus iam aliquem anatomes curioſiorem apud Meſſenios fuiſſe, quum Ariſtodemus iratus filiæ, quam a ſe vitiatam atque grauidam impudenter aliquis pro concione dixerat, eam iugularet, vteroque exciſo innocentiam eius declararet: licuiſſet ſane ipſi errorem ſuum aliorumque facile corrigere. De hiſtoria hac conſulatur PAVSANIAS.*

* *pag.* 302. 303.

V. Non minus morborum, quibus mortales affliguntur, diuerſa genera diuerſique decurſus illis, qui animum huc appellere voluerant, debuerunt aliquam mentibus ideam imprimere, vt in quibus conuenirent vel inter ſe differrent, quid in ſingulis pluribus conferre vel nocere obſeruatum ſit, memoriæ imprimeretur.

VI. Et ſane videtur artis primum hoc fuiſſe initium, ex quo homines intelligere cœperunt, eſſe in rebus, quibus ad vitam carere non poſſumus, aliqua quæ valetudinem vel affligere poſſint vel afflictam erigere: quo ſemel intellecto cauſas rerum anquirere hominibus omnibus innata admiratio & ſemet conſeruandi ſtudium porro impulerunt.

VII. Hunc vero laborem apud Græcos, de quibus nobis ſermo eſt, non mediocriter iuuit conuerſatio cum aliis cultioribus gentibus: nam non ſolum quosdam Græcos ad alias nationes, præcipue in Aegyptum, peregrinationes ſuſcepiſſe, qui iidem medicinæ philoſophiæque deinceps auctores facti ſunt, legimus: verum etiam in Græciam aliquos veniſſe, a quibus meliores redditi fuerunt, hiſtoriarum fide certiores reddimur.

VIII. Qua-

VIII. Quare mirum videri non debet ſi omnes fere, quos antiquitas medicinæ Græcanicæ auctores perhibet, vel ipſi peregrinati homines, vel ab his deducti viri deprehendantur, vel tales, quibus contigit in patria ſua cum exteris apud ſe diuerſantibus, de rebus extra Græciam inuentis ſermones inſtituere, indeque proficere.

VIIII. Sed iuuabit ordine recenſere eos, qui, quum Aſclepiadæ non eſſent, ad medicinam aliquid hac periodo contulerunt. De his capiendus eſt CELSVS,* quando ſcribit: *Poſt eos, de quibus retuli*, (Aeſculapium, Podalirium & Machaonem) *nulli clari viri medicinam exercuerunt, donec maiori ſtudio litterarum diſciplina agitari cœpit, quæ vt animo præcipue omnium neceſſaria, ſic corpori inimica eſt. Primoque medendi ſcientia ſapientiæ pars habebatur, vt & morborum curatio & rerum naturæ contemplatio, ſub iisdem auctoribus nata ſit: ſcilicet his hanc maxime requirentibus, qui corporum ſuorum robora inquieta cogitatione nocturnaque vigilia minuerant.*

* *præfat. Libr. I.*

X. Quoniam autem philoſophia ipſa primum rudior erat, nec in artis, vt ita dicam, formam redacta; omniumque primi philoſophi plerumque ſimul poeſin exercebant, ſeque pro vatibus gerebant: ſequar inſtitutum ſcriptorum hiſtoriæ philoſophicæ, & primo ex poetarum ordine luſtrabo eos, qui ad medicinæ hiſtoriam hac periodo pertinere videbuntur: deinde philoſophos barbaros, qui peregrinati ad Græcos leguntur; tandem illos adducam, qui proprie philoſophorum nomen adepti apud Græcos incluti fuerunt.

XI. Ex poetis philoſophis ſupra iam attigimus Orpheum, & Muſæum: Melampus etiam recenſitus eſt. Heſiodus patria Cumanus, ſed qui Aſcræ Boeotiorum vixit, aut ſuperior Homero aut ſuppar, vtilia vitæ præ-

cepta carmine, quod *opera & dies* inſcribitur, complexus eſt: vbi nonnumquam ſalubria præcepta inſpergit, vſumque aſphodeli & maluæ innuit. Vtrum vero alibi de medicina ſeorſim egerit, vt Cleodemus apud PLVTARCHVM* contendere videtur, an ille auctor id tantum ſuppoſuerit: non poteſt hodie, vbi tot veterum monumenta deſideramus, ad liquidum deduci. Conſulatur D. D. FABRICIVS.**

* *in Conuiu. ſept. ſapient. p.* 155.
** *biblioth. Græc. Lib. II. c. VIII. pag.* 381.

XII. Homerum, antiquiſſimum virum, quippe Lycurgo ſuperiorem, etiam medicinæ non ignarum fuiſſe multi perhibent variis argumentis, maxime vero illo, quod tot locis, vbi vulnera, ex quibus mors heroum conſequuta fuit, deſcribit, raro vel numquam aduerſus medicinæ præcepta aliquid commiſit: quod argumentum D. D. TRILLERVS, vir Græce doctiſſimus, ſeorſim excutere promiſit, videturque ſcriptum iam prælo paratum habere.

XIII. Homerus etiam meminit medicinarum, vt nepenthis, de quo, poſt alios a D. D. FABRICIO * laudatos, cum cura egit illuſtris etiam poſt fata WEDELIVS,** qui itidem circumſpexit de radice amara, qua vulnus Eurypyli curatum Homerus refert. Idem vir eruditiſſimus medicis legendum explicandumque Homerum commendat: quod præter alios etiam fecit THOMAS BARTHOLINVS *** & D. D. ADAMVS BRENDELIVS.****

* *Biblioth. Græc. Lib. II. cap. VI. pag.* 349.
** *diſſertat. medico-philolog. Decad. VI. exercit. X. & VI.*
*** *de medic. poetis.*
**** *diſſ. de Homero medico. Witteb.* 1700.

XIIII. PLINIVS* *demiror*, ait, *Homerum calidorum fontium mentionem non feciſſe, cum alioquin lauari*

calida

calida frequenter induceret: videlicet quia medicina tunc non erat hæc, quæ nunc aquarum perfugio vtitur. Sed videtur contrarium perſuadere PHILOSTRATVS, ** qui commemorat Achiuis ad Troiam vulneratis λουτρὰ μαντευτὰ, balnea oraculo indicata, fuiſſe thermas Ionias, quas Smyrnæi vocitent Agamemnonias, quadraginta ſtadiis ab vrbe diſtantes.

* *Lib. XXX. cap. VI.*

** *Heroic. Proteſil. p. m.* 150. *ed. Venet.* Video quidem μαντευτὰ exponi *vaticinio prædita*, ſed in hoc quidem loco commodior videtur ſenſus ille, qui ad vulneratorum ſalutem *oraculo prodita* ſignificat.

XV. Et ſi vel maxime Homerus ob dignitatem rerum medicinæ veteris ſtudioſo parum commendaretur; mihi tamen vel ob hoc maxime legendus videtur, quod ex nullo alio vim & proprietatem Græcæ linguæ melius diſcere licet: quum Homerus apud omnes Græcos is eſſet, quem linguæ diſcendæ cauſa veteres a prima infantia legebant. Sæpe videas ipſos Græcos criticos & grammaticos exemplis Homeri potiſſimum certare, vbi de vero vſu vocum diſceptabatur.

XVI. De vita Homeri & ſcriptis agere ſuperfluum & a noſtro inſtituto longius remotum videtur. Conſulatur de eo ampliſſime & optime agens CL. D. D. FABRICIVS.* Aetatem non omnes eandem determinant: ad minimum centum ante Crœſum Cyrumque, ſatis notos reges, annis vixiſſe videtur: horum autem ætas incidit in annum mundi 3440. Qui antiquiſſimum faciunt Salomoni regi coæuum ſtatuunt; quod tempus cum mundi conditi anno 3000. conuenit.

* *biblioth. Græc. l. c.*

XVII. Epimenides Cretenſis, ſiue Gnoſſius ſiue Gortynius, vates quoque nobilis apud Græcos fuit, eiusdemque profeſſionis, cuius Melampus, ſcilicet luſtrationibus

nibus occupatus. Supra huius inſtituti mentionem fecimus: nunc huius occaſione addimus, quod inter luſtrandum præcipue adhibuerit ſcillam, quæ propterea ab auctoribus vocatur Epimenidium. Cum Epimenide Pythagoram familiariter vixiſſe, & alterum ab altero profeciſſe varii auctores tradunt: quanti vero Pythagoras eiusque ſchola ſcillam fecerit, mox dicetur. Quare vel hoc nomine Epimenides memorandus videtur, quod ſcillæ vſum Græcos docuit.

XVIII. Quin Epimenides ad inſignes peregrinatores medicos referendus videtur: quum DIOGENES LAERTIVS * teſtetur, fuiſſe iam olim qui fabulam de LVII. annis in ſpelunca quadam dormiendo ab Epimenide transactis ita explicauerint, quod tanto tempore patria abfuerit ἀσχολούμενος περὶ ῥιζοτομίαν, i. e. *herbariæ rei ſtudio occupatus.* Eodem auctore diſcimus, quod Athenas a peſtilenti morbo luſtrationibus & ſacrificiis liberauerit: & quod valde longæuus fuerit.

* *de vit. philoſoph. lib. I.*

XVIIII. Ex antiquis poetis alius quidam Cretenſis Thaletas, quem & Thales vocari videas, celebratur,* ob muſicæ peritiam præcipue commendatus. Lycurgi ætate Lacedæmonem accitus legitur, vt pueros muſicam doceret: vbi eum hac arte ſua morbos varios peſtilentiamque fugaſſe veteres tradunt.

* *conf.* FABRICII *bibl. Gr. I. p.* 238.

XX. Sed mittamus poetas & ad philoſophos transeamus, ex quibus merito primum nominamus, qui inter Græcos primus de rebus naturalibus philoſophatus eſt, Thaletem, origine Phœnicium, ſed ciuitatis Mileſiorum iure donatum. Hic quum Phœniciæ ſapientiæ particeps eſſet, Aegyptum deinceps adiit, & ex ipſorum ſacerdotum inſtitutione profecit. Semina doctri-

nae

næ naturalis inter Græcos Ionas primum ſparſit, quæ vbi latius lætiusque excreuerunt & effloruerunt, inſequutæ ſegetis omnium ſcientiarum, maximeque medicinæ, primum quaſi initium præbuerunt. Coæuus fuit Soloni & Pherecydæ. Conferatur DIOGENES LAERTIVS, & ad ipſum eruditi commentatores.

XXI. Eodem tempore vixit Pherecydes Syrius, nomen ab inſula Syro, quæ eſt ex Cycladum numero, adeptus, qui primus omnium de natura ſcripſiſſe perhibetur & aſtrologiam coluiſſe. Cum Pythagora verſatus legitur, cui auctor exſtitit, vt Aegyptum, aliasque nationes ſapientiæ ſtudio celebres, adiret.

XXII. Ipſe vero Pythagoras hic Samius vt multam de ſe ſcribendi materiam poſteritati reliquit: ſic non pauca de eo diuerſi auctores tradiderunt, quæ dubia ſunt, præſertim quod patriam & ætatem eius attinet: quæ diſcutere nunc non patitur inſtitutum noſtrum. Vitam ex DIOGENE LAERTIO* & aliis auctoribus, quos indicabit CL. D. D. FABRICIVS* haurire abunde licet. Nos obſeruamus pro noſtro ſcopo, ipſum doctrinæ deſiderio Aegyptum adiiſſe, & ad magos perrexiſſe, quin in ipſam Indiam penetraſſe & vbique ſapientiam venatum eſſe: qua diues reditum in patriam inſtituit, quam cum oppreſſam a tyranno inueniret, nec ferre poſſet, in Italiam conceſſit, Crotoneque conſedit, vbi ſcholam celeberrimam erexit, & viuendo centeſimum annum, non conſentitur quam longe, exceſſit.

* *bibl. Gr. Lib. II. cap. XII. §. 2.*

XXIII. Nihil ſcientiarum, ex quo aliqua vtilitas capi poſſet, Pythagoras omiſit: ſed præcipue medicinam ipſum penſi habuiſſe vel ex CELSI* noſtri iudicio intelligitur: *Multos ex ſapientiæ profeſſoribus peritos eius fuiſſe accepimus: clariſſimos vero ex his Pythagoram & Empedoclem*

pedoclem & Democritum. Videtur autem potius philoſophatus eſſe de conſeruanda valetudine per rectiſſimam viuendi rationem, & pauca remedia, quam de morborum curatione: quam aſſertionem probo ex IAMBLICHO** de Pythagoreis ita diſſerente: *Maxime excolebant partem diæteticam, pharmacis minus, & vix alibi quam in vulneribus & vlceribus curandis, vtebantur: vnguentis & cataplaſmatibus, magis quam reliqui, curabant: omnium autem minime ad ſecandum vrendumque veniebant; interdum incantationibus ad curandas corporis læſiones vtebantur.*

* *præf. libr. I.*

** *de vita Pythagor. cap. XXIX. pag.* 139. *ed. Küſt.*

XXIIII. Quoniam geometriæ & numerorum doctrinæ, vt & muſicæ, multum addictus fuit: non pauca etiam referuntur eius dogmata phyſico-medica his doctrinis vel innexa vel ſuperſtructa. Monadem dixit principium omnium: harmoniam quandam fatalem docuit: atque neſcio annon pulſuum doctrina muſicis modulis adaptata, quam Herophilus deinceps perfecit, Pythagoræ ſua initia debeat, ipſeque illam apud Indos, ſi non ipſa in Aegypto, obſeruauerit & addidicerit.

XXV. Animarum immortalitatem apud Græcos primus docuit, quin celebrem illam μετεμψύχωσιν Europæ primus intuliſſe videtur. Ceterum naturalis ſcientiæ ſtudium in Græcia excitauit, quodque negari nequit, auctor fuit illius incrementi, quod deinceps ſub diſcipulorum induſtria cepit luculentiſſimum, & ex horum ſcriptis ad alios philoſophos, etſi fere ſuppreſſo originis nomine, copioſe emanauit.

XXVI. Conſeruandæ ſanitatis ſtudium quam maxime nitebatur temperantiæ continentiæque præceptis: carnium eſum non omnino abſtulit: ſed nec omnibus, omni-

omnique tempore, permiſit: braſſicæ laudes valde celebrauit.

XXVII. Inter GALENO adſcriptos libros non omnino genuinos, eſt opus quod inſcribitur περὶ εὐποϱίστων, *de medicamentis facile parabilibus**, vbi aceti ſcilletici inuentio & vſus quotidianus ad vitam ſanam & longæuam Pythagoræ tribuitur auctori. Et ſane ſi non Pythagoras, ab Epimenide forte edoctus, auctor fuit, certe in eius ſchola viguiſſe inuentum perſuadet PLINIVS** vbi vſum externum ſic prædicat: *Tarditatem quoque aurium gargarizatione purgat, & tranſitum auditus aperit.* Hunc vero tranſitum auditus proprium eſſe ſcholæ Crotonienſis inuentum, paulo poſt intelligemus.

* *Lib. III. pag. 463. edit. Baſil. Græcæ. tom. IV.* Contendit, quisquis eſt auctor illius libri, Pythagoram vſum aceti huius quotidianum habere incepiſſe, quum quinquaginta annos natus eſſet, & ad annum decimum ſeptimum ſupra centeſimum ſine morbo, integris viribus, perueniſſe: ſuis vero auctorem exſtitiſſe vt eadem medicina vterentur.

** *Hiſtor. natur. XXIII. cap. 2.*

XXVIII. Non abhorrebat Pythagoræ philoſophia & medicina ab incantationibus aliisque ſuperſtitioſis: quibus fauebant doctrinæ de ſpiritibus & animabus defunctorum in aere circumfuſo tantiſper oberrantibus, donec nouis includantur hoſpitiis. Ex quo fluebat porro praxis expiationum, luſtrationum & id genus alia theurgica, aut, ſi mauis, magica. Quare mirum non eſt Pythagoream philoſophiam iſtiusmodi præſtigiarum patronis & renouatoribus Apollonio Tyanæo & Alexandro Abonotichitæ tantopere celebratam fuiſſe, vt acerbiſſime damnatam Epicuream corpuſcularem, quæ huiusmodi ſuperſtitionibus exitium adfert.

XXVIIII. Harmoniæ Pythagoricæ & numerorum myſticæ doctrinæ fœtus haberi poſſit doctrina de annis climactericis & criticis diebus. Saltem illam

dierum obſeruationem CELSVS* noſter vbi in Hippocrate notauerat, deinde ad Pythagoram diſerte refert. Ipſe autem Pythagoras ex oriente attulit, non diffitentibus Græcis auctoribus.

* *Lib. III. cap.* 4.

XXX. Qui ex Crotonienſi Pythagoræ ſchola prodiere, plerique omnes celebrantur ob naturalis ſcientiæ & medicinæ præſtantiſſimam cognitionem: illud modo dolendum eſt tam multa illorum monumenta intercidiſſe, vt notitiam eorum vix aliunde haurire liceat, quam ab hominibus inuidis, qui illorum non alia occaſione facile meminerunt, niſi vbi reprehendere conſtituerunt.

XXXI. Inſigne eſt teſtimonium HERODOTI,* quo aſſerit, eo tempore, quo Darius Perſis imperare cœpit, medicinæ faciendæ dexteritate Crotonienſes ſuperaſſe omnes, primumque locum hominum omnium æſtimatione obtinuiſſe. Quare operæ pretium fuerit luſtrare illos ſcholæ Pythagoreæ viros.

* *Lib. III. CXXXI.*

XXXII. Omnium illuſtriſſimus eſt Alcmæon Pirithoi filius, Pythagoræ auditor: de cuius ſcriptis DIOGENES LAERTIVS* memorat, quod plurima quidem medica contineant, ita tamen vt ex philoſophia naturali paſſim quædam immiſceantur: quin, eodem auctore, primus videtur, qui de natura aliquid ſcripſit. Hæc vero ſi ſeruata eſſent ſcripta, liceret de multis accuratius ſtatuere: vbi vero iam olim interciderunt, ex veteribus colligere, vtcunque licet, fragmenta debemus.

* *de vit. philoſoph. lib. VIII.* adde CLEMENTEM ALEXANDRINVM *Stromat. I. pag.* 308. C. qui ſine ambagibus ſcribit: πρῶτος φυσικὸν λόγον συνέταξεν. *primus librum de natura ſcripſit.*

XXXIII. CHALCIDIVS* de eo ſic habet: *Alcmæon Crotonienſis, in phyſicis exercitatus, quique primus exſectio-*

exſectionem (anatomen) *aggredi auſus eſt*, *de oculi natura multa & præclare in lucem protulit.* En anatomes apud Crotoniatas, inter omnes ſaltem Græcos, primo inſtitutum exercitium.

* *in Timæum Platonis commentario p. 340. edit. Meurſ.*

XXXIIII. Alcmæonis inuentum eſt tranſitus auditus PLINIO* dictus, qui apud recentiores tuba Euſtachii vocatur. Sæpe eius meminit ARISTOTELES,** ſed Alcmæonis mentionem vno tantum loco facit, vbi ſcilicet in illo reprehendit, quod capras per aures reſpirare docuerit.

** *Libr. XXIII. cap. 2.* ** loca indicaui *ſpecimine I. hiſt. anatom.*

XXXV. Ex quo ſpecimine ſuſpicari liceat in aliis etiam, quum multa a Pythagoreis acciperent Ariſtoteles aliique, nomen ſtudioſe eos diſſimulaſſe, quin libros, quantum poterat fieri, ſuppreſſiſſe, vt ipſi eorum, quæ ex illis deſumta protulerant, viderentur auctores.

XXXVI. Eiusdem ſcholæ fuit *Empedocles Agrigentinus*, quem CELSVS, vt ſupra vidimus, Pythagoræ ſubiungit. Vitam eius tradit DIOGENES LAERTIVS.* Medicum fuiſſe teſtimoniis non indiget: vtinam ſcripta deſiderare opus non eſſet. Quod anatomica non rudi Minerua tractauerit, ex PLVTARCHO** colligere licet, cuius hæc verba conſiderationem merentur: *Empedocles auditum fieri docuit*, *quando aer allabitur* (τῷ κοχλιώδει) *cochleiformi fabricæ illi*, *quam in interiori auris parte exacte elaboratam*, *inſtar tintinnabuli ſuſpenſam eſſe* (αἰωρούμενον) *& pulſari dixit.* Ex quibus verbis ſole clarius elucet Empedocli cochleam oſſi petroſo inſculptam omnino cognitam fuiſſe: adeoque eundem longius in auditus organi ſcrutinio, quam Alcmæon, progreſſum eſſe.

* *vit. Philoſoph. Lib. VIII.* ** *de placitis philoſophor. libr. IV. c. 16.* Confer *hiſtoriæ anatomicæ ſpecimen II.* §. 1. & 2.

XXXVII. Empedocleis ſcriptis vſum fuiſſe Dioclem, Aſclepiadarum vltimum, qui de anatome primus ſcripſit, clare docet idem PLVTARCHVS *, qui Dioclem adducit Empedocli in quæſtione anatomica conſentientem.

* *loc. cit. cap.* 14.

XXXVIII. Videtur autem Alcmæoni coæuus fuiſſe, & ſtudiorum inter eos viguiſſe coniunctionem: æque enim, vt ille, medicinæ & corporum diſſectioni ſtuduit: vterque etiam auditus organon rimatus eſt. Sed de Empedocle ſeorſim ſcimus, quod medicinam ſuam magicis ſpeciminibus interpolauerit: in cuius adſerti probationem videantur curationum exempla a DIOGENE LAERTIO * allata: quin ipſa Empedoclis fragmenta ibidem adducta.

* Libr. VIII.

XXXVIIII. In reipublicæ patriæ adminiſtratione multa fecit. De ſcriptis videatur CL. D. D. FABRICIVS. * Sententias eius aliquas GALENVS & auctor hiſtoriæ philoſophorum, quem alii GALENVM, PLVTARCHVM alii faciunt, conſeruarunt. De morte ipſius diuerſæ ſunt ſententiæ. Plerique exſtinctum eſſe aiunt, quum naturam montis Aetnæ propius ſpectaturus audacius acceſſiſſet: quod ipſum ex vana ambitione, cuius alia ſpecimina leguntur, feciſſe aliqui perhibent.

* *bibl. Græc. Libr. II. c. XII. §. VII. p. 473. ſeqq.*

XXXX. Maximam ipſi admirationem peperit curatio feminæ cuiusdam, quæ ſine reſpiratione & vitæ ſignis in triceſimum diem, ſtrangulatione matricis detenta, iacuerat. Sæpius citatur illa apud veteres ſub nomine ἡ ἄπνους. Conſulatur *Diogenes Laertius.*

XXXXI. Ex diſcipulis & amaſiis ipſi fuit Pauſanias quidam, qui ea, quæ circa τὴν ἄπνουν acciderant, deſcri-

deſcripſit, & ad quem ipſe Empedocles librum de natura exarauit. Aetate eius Agrigenti floruit Acron medicus, ἀκρότητα ſeu eminentiam inter omnes medicos affectans, quem empiricæ ſectæ auctorem perhibent. Hic vtrum ex Pythagoræ ſchola etiam prodierit, equidem neſcio: certe æmulationem magnam inter Empedoclem & Acronem fuiſſe ex Diogene Laertio patet. Sed de Acrone iterum dicam: nunc de Crotonienſis ſcholæ certis alumnis abſoluam.

XXXXII. Ex his non poſtremus eſt Epicharmus Cous, qui in tenera infantia, vna cum patre & fratre Metrodoro, in Siciliam venit, hincque in Pythagoræ diſciplinam: ex qua tantum profecit, vt non vno nomine memoria eius poſteritati commendata ſit. Nam quum Græci ad id vsque tempus elementis θ & χ carerent, noſter ea, teſte ARISTOTELE apud PLINIVM,* adiecit. Poetica facultate adeo polluit, vt PLATONIS ** iudicio præcipuus comœdus fuerit. In quo quidem negotio ita ſe geſſit, vt minime pro ludicro illud habuiſſe videatur: nam præcepta Pythagoræ moralia & ſubinde etiam alia philoſophica tempeſtiue interſperſit: ex quibus deinde Platonem optima quæque decerpſiſſe iam olim notatum eſt, vt videri poteſt apud DIOGENEM LAERTIVM.*** Præterea etiam de rebus naturalibus & medicis, eodem auctore,**** ſcripſit, de quo eo minus dubitandum eſt, quum Plinius ipſum frequenter nominet inter auctores, ex quibus ſe profeciſſe teſtari voluit: atque vtinam verum ſit, quod a multis traditur, hos libros in bibliotheca Vaticana ſupereſſe, & a docto quodam propediem in lucem protrahantur. Frater eius Metrodorus pariter fuit medicus.

* *Hiſtor. natur. Libr. VII. cap. LVI.* ** *in Theæteto p. 73.*
*** *Libr. III. vita Platon. p. m. 192. ſeq.*
**** *Libr. VIII. vita Epicharm. p. 616.*

XXXXIII.

XXXXIII. Nec ſilentio prætermittendus eſt *Timæus Locrus* *, cuius libellus *de anima mundi & natura*, omni tempore magni æſtimatus, hodieque exſtat cum Platonicis operibus editus. Ipſa breuitate ſua & rerum, quæ tractantur, obſcuritate, vix intelligitur. Occaſionem dedit Platoni ſuum Timæum conſcribendi, in quo etiam de rerum natura diſputatur. Neſcio, an Galenus, quum quatuor libros ſcriberet, *de iis, quæ in Timæo medice dicta ſunt*, illud philoſophi Locri, an iſtud Platonis opus explicauerit: nam diu periit illud Galeni ſcriptum. Certe vterque de rebus ad phyſiologiam & pathologiam pertinentibus diſputat. Erit occaſio, vbi de Platone diſpiciemus, ex Timæo aliqua afferendi.

* Conf. CL. D. D. FABRICII *biblioth. Græca Libr. III. pag. 21. ſeqq.*

XXXXIIII. Scholæ Pythagoricæ, aut a Pythagora deductorum virorum, alumni medici plures paſſim laudantur, ſed omitto eos, de quibus præter nomina afferre nihil poſſum, vt & illos, qui in tempora Hippocrate poſteriora incidunt, ſuoque loco adducendi erunt. Nunc addo Pythagoram iuniorem aliquem, itidem Samium, qui & aliptes vocatur, iisdem temporibus floruiſſe, &, vt aliquibus placet *, cum philoſopho in Italiam veniſſe, eoque familiariter vſum eſſe. Ad hunc videtur referendum eſſe; quod aliqui philoſopho incommode tribuunt, inſtitutum athletas carnibus alendi, cum antea caricis pinguibus, caſeis mollibus & tritico victitare conſueuiſſent. **

* CL. FABRICIVS *bibl. Græc. lib. II. cap. III. p. 516.*
** DIOG. LAERT. *lib. VIII. p. m. 575.*

XXXXV. Neſcio, an Democedem Crotonienſem, celeberrimum ſane medicum, quique potiſſimum Crotonienſibus honorem æſtimationemque peperit, Pythagoræ diſcipulum & philoſophum dicere debeam. Dignus certe eſt, de quo hoc loco, quum ſupra eius

tantum

tantum obiter meminerimus, ex HERODOTO * plenius diſſeram.

* *Libr. III. cap. CXXX. ſeq.*

XXXXVI. Scilicet Democedes patre vtebatur Polycrate, cuius iracundiam & moroſitatem quum ferre non poſſet, Crotone relicta Aeginam peruenit, vbi commoratus vnum annum primos medicos transſcendit, etſi imparatus erat & nihil inſtrumentorum habebat, quae ad artem medicinae exercendam pertinerent. Ex quo factum eſt, vt inſequenti anno Aeginetae ipſum conduxerint talento: Athenienſes tertio anno centum minis: Polycrates autem, Sami tyrannus, quarto anno talentis duobus. His conditionibus Samum peruenit. Polycrate deinceps in Aſiam ab Oroeta, regis Perſarum praefecto, accerſito & ſuſpenſo, Democedes cum pluribus Graecis, qui Polycratis miniſterium fuerant, captiuus detinebatur. Mox Oroeta etiam Perſis ſuſpecto reddito & trucidato, qui in familia eius fuerant, omnes abducebantur in Perſiam, cumque his Democedes, qui vinctus & pannoſus inter mancipia ducebatur, artem quam maxime diſſimulans. Sed quum Darius, vt ſupra percepimus, diſtorſiſſet pedem, nec Aegyptii medici curando ſatis proficerent, proditus & ad curationem ſuſcipiendam coactus fuit. Hac feliciter peracta, quum & reginae Atoſſae, ex vlcere mammarum periclitanti, vtilem operam nauaſſet, profunde ſeſe inſinuauit aulae fauori, quo tamen callide vſus eſt ad fugam reditumque in patriam ſibi comparandam: de quo ampliſſime agit HERODOTVS.

XXXXVII. Multa ex hac hiſtoria diſcere licet. Et primo quidem, quod Democedis medicina potiſſimum fuerit chirurgica: tum vero etiam, quod magnae vrbes, non contentae Aſclepiadarum medicina, quam progreſſu temporis inertia corruptam fuiſſe veroſimile

 eſt,

eſt, aut ſaltem non ſatis ſtrenue auctam, publico ſtipendio conduxerint optimum quemque artis operibus inclareſcentem. Illud etiam colligere hinc licet, medicos periodeutas iſto fuiſſe tempore, qui vrbes ſcilicet obirent, ſuamque operam hominibus offerrent, eo forte exoptatiorem, quoniam ab antiquo Aſclepiadarum inſtituto alienum fuiſſe videtur extra templum mederi. Horum vero bonæ curationes, quum famam illis fauoremque conciliarent, res autem Aſclepiadarum attererent: factum fuiſſe ſuſpicor, vt Aſclepiadæ, vel prudentia ſuadente, vel neceſſitate iubente, in collegia ſua etiam alienigenas tales, operibus artis inclytos, admitterent, quo emolumenta ſua quam optime conſeruarent.

XXXXVIII. Democedis occaſione per Græciam Crotonienſium, per Aſiam in genere Græcorum medicinam præcipue celebratam fuiſſe, pluribus locis indicatum eſt, nomine etiam ſuo quidam deſignati ſunt, qui Aſiam vel ſponte, vel calamitate quadam ſua, ſubierunt, ibique artis opera ediderunt: quare nihil hic addimus, & ad philoſophos redimus, quorum opera medicinæ incrementis aliquid adiectum eſt.

XXXXVIIII. Hos inter eminet Democritus, magnus experimentator & peregrinator, cuius hiſtoria non parum obſcura eſt: quum genuina viri huius ſcripta diu iam ſint abolita; qui ætati eius propiores fuerant, pauca de eo conſignauerint; recentiores autem ex fictitiis chartis multa conſarcinauerint, quæ non alio, quam ad confundendam & intricandam hiſtoriam, valere poſſunt. Sed dabimus operam vt de hoc viro referamus quæ vero proxima videntur: accuratiora & copioſiora deſiderantes adeant viros doctiſſimos qui hoc argumentum ex inſtituto diſcuſſerunt, quosque indicat CL. FABRICIVS.*

* *bibliotb. Græcæ Lib. II. cap. XXII. §. V. p.* 803.

L. Demo-

L. Democritum patria fuiſſe Abderitam, adeoque Thracem non ignobili loco natum, & fortunæ opibus haud deſtitutum, plura perſuadent. Quo vero tempore Xerxes in Europam traiicebat, vt Græciam ſubiugaret, pater eius hoſpitio excepiſſe regem dicitur, atque ab eo accepiſſe magos & Chaldæos, qui puerum educarent: deinde Democritum audiuiſſe Leucippum, Eleaticæ ſcholæ celebrem doctorem: magni etiam feciſſe Pythagoreos & ab eis profeciſſe: tandem, diſcendi incredibili ſtudio impulſum, ad itinera obeunda ſe accinxiſſe, & vsque ad ſenectutem extra patriam diuagatum in Aegypto, Perſia, Arabia, Aethiopia, apudque gymnoſophiſtas & Babylonios, patrimonium centum talentorum conſumſiſſe. Reducem in horto ſuburbano, ſibi a fratre conceſſo, ſolitariam vitam degiſſe, & experimenta eorum, quæ hinc inde collegerat atque annotauerat, cepiſſe, libroſque ſcripſiſſe: quumque a ſuorum ciuium moribus multum abhorreret, & illorum ſeria derideret, pro inſano fuiſſe habitum: ab aliquibus etiam ad publicam mortis pœnam poſtulatum fuiſſe, quod patrimonium decoxiſſet: ſed quum ipſis ciuibus prælegiſſet ſuos libros, non ſolum abſolutum, ſed incredibili etiam pecuniæ ſumma* donatum fuiſſe.

* Incredibile merito videtur vrbem non florentiſſimam, illo tempore, tantis opibus abundaſſe vt ciui ſenecioni, vix pœnæ in decoctores ſtatutæ erepto, quingenta talenta poſſet donare, aut, vt rectius dicam, in ipſum profundere. Claro exemplo Macedonici regni probabo inferius, fieri non potuiſſe vt Abdera tantas opes præberet. Talenti pretium, ſi minimum computes, mille florenos multum excedit.

LI. Peruulgata eſt fabula Hippocratem, ſenatus populique Abderitani nomine, accitum fuiſſe, vt ciuem hunc ab inſaniæ morbo liberaret. Quum adduceretur Hippocrates, Democritum occupatum fuiſſe animalibus variis diſſecandis, vt naturam bilis ſcrutaretur. Hippocrati

virum fuiſſe admirabilem viſum, ipſumque ab eo in multis profeciſſe. Atque hæc potiſſimum innituntur epiſtolis horum duumuirorum mutuis, operibus Hippocraticis ſubiunctis, quarum νοθεία multis palpabilibus argumentis declarari poteſt.

LII. PETRONIVS addit, quod omnium herbarum ſuccos expreſſerit, ætatemque experimentis conſumſerit. Hæc experimenta vtrum magis curioſa, an medicis virtutibus detegendis dicata fuerint, nemo facile determinauerit. Sed ſi SENECAM * audimus iudicium facilius reddetur: quippe hic teſtatur hoc auctore compertum eſſe, ebur poſſe emolliri, & calculos decoquendo in ſmaragdos conuerti.

* *Epiſt. LXXXX.*

LIII. Hinc aliqui Democritum pro ſummo anatomico & chemico incomparabili habent, contenduntque eum de his omnibus ſcripſiſſe: ſeorſim librum περὶ τῆς λίθου, qui forte de magnete egit, intelligunt fuiſſe de lapide philoſophorum. Feruntur etiam ſub nomine ipſius libri manu ſcripti chemici, quibus multi multum tribuunt, quum cordatiores vno ore agnoſcant eſſe ſuppoſititia recentioris Græculi commenta: quod non ægre perſuaſerint hinc inde exhibita eius ſcripti fragmenta. Vide præter alios, CL. D. D. FABRICIVM.*

* *bibliothec. Græcæ tomo XII. p.* 757. *tomo. I. pag.* 809.

LIIII. Ex eiusmodi auctoribus ſine dubio profluxit, quod recentiores multi ſecure perhibent, Democritum poſſediſſe diuinam aquam ſeu Scythicum laticem, aliquando πνεῦμα dictum, cuius beneficio aurum potulentum & ſabulum philoſophorum conficeret. Fallor, an Scythicus hic latex, quem alii ὕδωρ χρυσοῦλκον vocant, vnus idemque eſt cum ſic dicta aqua vitæ ſeu ſpiritu aduſto, quem Sclauonica lingua Korſolki appellari accepimus,

cepimus, nomine quod ſimilitudinem Græci pulcre oſtendit.

LV. Si horum omnium nomine non mereretur Democritus, vt meminiſſemus eius in hiſtoria medicinæ, vel ſolum ſyſtema philoſophiæ corpuſcularis, quod inueniſſe, ſaltem magnopere excoluiſſe & commendaſſe videtur, quodque in Epicuri ſchola ſubtilius tornatum ad medicinam a variis, præſertim methodicis olim, noſtra vero ætate a Carteſianis accommodatum eſt, mentionem huius viri poſtularet.

LVI. Dicitur Democritus vitam diu protraxiſſe, quumque mortem inſtantem ex virium notabili defectu ſentiret, illam, in ſororis gratiam, per tres integros dies diſtuliſſe. Quo remedio id fecerit, videatur apud DIOGENEM LAERTIVM,* qui ſimul plura de vita & ſcriptis viri ſuppeditat, cui addatur ſæpe laudatus FABRICIVS** & PETRVS BAELIVS.*** Vtinam exſtent viri huius, quem CELSVS** noſter *virum iure magni nominis* vocat, monumenta vera, quæ minime obſcura, CICERONIS* teſtimonio, fuerunt: liceret ſane de multis, quæ iam expedire non datur, certius iudicare.

* *Libro IX. p. m. 650.*
** *Bibl. Gr. Lib. II. cap. 22. §. 5. pag. 802. ſeqq.*
*** *Dictionair. critiq.* ** *Libr. II. cap. 6.*
* *de diuination. Lib. II.*

LVII. Democrito ſtatim ſubiicimus Heraclitum Epheſium, quem ætatis gratia præmittere licuiſſet, quum floruiſſe dicatur circa Olympiadem LXIX. quæ conuenit cum Anno Mundi 3480. adeoque ad Pythagoræ ætatem proxime acceſſerit.

LVIII. Valde eum fuiſſe moroſum & μισάνθρωπον perhibent: cumque ipſi omnia in hominum conſuetudine moleſta viderentur, reliquiſſe vrbes, & in montibus

 herbis

herbis victitaſſe: qua diæta quum tandem hydropem ſibi contraxiſſet, mira machinatum eſſe vt ex pluuia ſiccitatem faceret: de cuius curationis ſucceſſu auctores non conueniunt.* Atque hactenus dicta talia ſunt, vt propter hæc parum mereretur hiſtoriæ medicinæ inſeri. Meretur autem potius propter ſententiam de igneo principio omnia peruadente, omnisque motus, adeoque rerum principio, quod Hippocrates, vt ſuo loco dicam, adſumſit, & quod videtur eſſe origo tantopere in ſcholis medicis decantati calidi innati. Si vero Hippocrates noſter propterea viſus eſt meruiſſe vt atheorum catalogo inſcriberetur: quanto magis Heraclitus præceptor & dogmatis inuentor?

* conf. DIOGEN. LAERT. *libr. IX.*

LVIIII. Scripta fuere viri ingenio ſimilia, plerisque locis abrupta obſcura & inuoluta, quæ, ne quem vlterius torqueant, iam diu ſunt deperdita.

LX. Medicorum ſui temporis honori parum fauiſſe videtur, ſi quidem verum eſt quod ſit primus auctor dicterii, quod apud ATHENAEVM * exſtat, *ſolos medicos obeſſe, quo minus primum inter ſtultos locum meritiſſimo iure aſſignemus grammaticis.* cuius quidem dicterii verum ſenſum eruere laborat CONRADVS GESNERVS.** Sed forte, ſi conditionem medicorum Aſclepiadarum illius temporis penſitamus, non nimis dura videbitur ſententia.

* *Deiphoſophiſt. XV. cap. I.*

** in ſuis *de medicinæ chirurgicæ præſtantia & antiquitate obſeruationibus*, in *corpore chirurg.* quod *Tiguri* 1555. *fol.* edidit *pag.* 393.

LXI. Medicis horum temporum etiam accenſetur Diagoras Melius, quem Democriti philoſophi fuiſſe ſeruum ex SVIDA accepimus: vnde vero eſt ſimile ipſum ab eo aliqua vidiſſe & audiuiſſe, quibus ad medicinæ ſtudium iuuaretur. Citatur ſubinde a PLINIO, DIOSCO-

RIDE,

RIDE, ac AETIO, ſed quod ſine patriæ temporisue nota adducitur, vno argumento illo putatur hic noſter eſſe Melius, quia DIOSCORIDES* ex Eraſiſtrati ſcriptis refert, a Diagora opium in inflammationibus oculorum & aurium fuiſſe damnatum: ex quo apparet eum fuiſſe ſatis antiquum, & accedere ad tempora noſtra.

* *libro IV. capite de papauere ſatiuo.*

LXII. Apud AETIVM* legitur deſcriptio collyrii ad Diagoram relati, quod magnum inſcribitur, ex roſis potiſſimum parati: cui accedit ſtibium, ærugo & ſquama æris, ſed admodum exigua quantitate opium, vt inter drachmas CXXXXIIII. tantum tres ſint opii. Id vero collyrium tantum chronicis oculorum morbis deſtinatum eſt, adeoque non peccat contra principium, quod ipſi apud Dioſcoridem tribuitur.

* *Libr. VII. cap.* 108.

LXIII. Eſt de reliquo hic ille Diagoras, quem perhibent religionem omnem deſpexiſſe, & prouidentiam diuinam ſuſtuliſſe, idque ex ea calamitate, quam incurrerat alicuius auari & iniuſti hominis malitia, qui depoſitum iure ad ipſum pertinens detinuerat, & peierando abſolutoriam iudicis ſententiam conſequutus erat. Videatur multis de ipſo agens BAELIVS.*

* *dictionair. critiq.*

LXIIII. Poſſent ex antiquioribus Græciæ philoſophis plures laudari, qui ſcientiæ naturalis ſtudium commendando & perficiendo medicinæ profuerunt: ſed ſufficiat nunc hiſtoriæ huius cupidos ad philoſophicam hiſtoriam ſedulo colendam excitaſſe. Præterire tamen nequeo decus antiquæ philoſophiæ *Socratem*, de quo XENOPHON,* grauis profecto auctor, hæc pulcerrima reliquit: *Monebat ſuos auditores, vt magnam haberent valetudinis curam, tum a peritis diſcendo, quæ commoda ſint,*

ſint, tum & totam per vitam de ſe obſeruando, quis potus, quis cibus, quisue labor conferat, quoque modo illis vtendo ſaluberrime viuant. Qui enim ipſum ſe ita obſeruaret, difficile medicum quempiam reperturum, cui ea ſint magis cognita. Platonem, Hippocrati coæuum, illi ſtatim ſubiungemus.

* *de factis & dict. Socrat. libr. IIII. p. m.* 513. Corporis etiam curam vel animi cauſa habendam eſſe grauiter monuit, eodem teſte *libro III. p.* 494. *Quæ quidem ad ingenium ſpectant, etſi minime putas commercium habere cum corpore, ſit tamen vt a corporis imbecillitate impediantur. Nam obliuio, mœror, furor, duritiesque animi nonnumquam a mala corporis valetudine oboriuntur. Quibus vero corpora recte valent, nullum inde ad mentem periculum redundat. Itaque valetudinem integram ad omne, quod ab imbecillitate manat, tollendum incommodum valere conſtat.*

LXV. Ex philoſopho-medicis ſuperſunt aliqui barbari ad Græcos peregrinati. Ex his clarus eſt Xamolxis, Thracum ſiue Getarum philoſophus. Aliqui ſeruum & diſcipulum Pythagoræ, alii eiusdem præceptorem fuiſſe perhibent, eumque docuiſſe metempſychoſin, ſeu doctrinam de animarum migratione. ZWINGERVS * ita de eo: *Xamolxis rex & deus Thracum, medicinæ auctor ſuis, e cuius ſchola qui prodibant, medici Zamolxidis dicebantur, in tanta auctoritate, vt homines quoque* ἀπαθανατίζειν *dicerentur*, h. e. immortalitate donare. Eius dictum PLATO** affert tale: *Quemadmodum non eſt conandum oculos ſanare ſine capite, neque caput ſine corpore: ita neque corpus ſine animo. Et illam eſſe cauſam cur Græcorum plurimi morborum curationem ignorarent, quod totum ipſum, cuius maxima cura erat habenda, negligerent. Curari autem animum incantationibus, h. e. præceptis ad temperantiam animique tranquillitatem facientibus.*

* *theatr. vit. human. Vol. V. pag.* 1231.

** *in Charmide pag.* 244.

LXVI.

LXVI. Dignus eſt locus qui apud Platonem ipſum legatur fuſius hæc exponens: ſed obſcurum tamen eſt an non ſub incantationis nomine lateat aliqua concepta formula, quæ recitata vim in animum habere credita ſit. Dicit enim, qui in dialogo hæc exponit, ſibi a medico Zamolxideo, quem in exercitu alicubi conuenerit, datam fuiſſe medicinam & eundem docuiſſe τὰς ἐπῳδὰς, hac conditione ne vmquam medicinam ſine illis adhiberet.

LXVII. Hunc virum ex Suecorum gente fuiſſe CAROLVS LVNDIVS* Profeſſor Vpſalienſis, peculiari ſcripto oſtendere laborauit, neſcio quibus argumentis, ſed, MOLLERO iudice, infeliciter.

* conf. CL. FABRICII *bibl. Gr. Lib. II. cap. XIV. p. 539.*

LXVIII. Abaris, Scytha hyperboreus, Apollinis hyperborei ſacerdos, inter Græcos magnam famam gloriamque conſequutus, quaſi ambulans oraculum cenſebatur. De ipſo refertur quod taliſmanica remedia parauerit, vrbes a peſtilentia liberas in perpetuum præſtantia: palladiumque Troianis fecerit ex oſſibus humanis, ipſisque vendiderit. Mire fabuloſa, & maxime temporum ratione pugnantia ſunt, quæ de ipſo ſcribuntur; quum alii ante Troianum bellum vixiſſe perhibeant, alii Pythagoræ temporibus adſignent, & alterum ab altero didiciſſe perhibeant. Videantur de hoc viro BAELIVS* & ZAPFIVS.**

* *in dictionario hiſtorico-critico.*

** *in erudita diſſertatione Ienæ habita de hoc Abari.*

PLATO* eiusdem meminit, & paria fere illis, quæ de Zamolxide dicta ſunt, Abaridi tribuit, ſcilicet ἐπαοιδὰς ſeu incantamenta certa.

* *loco mox citato.*

Cap. VIII.

De medicis Hippocrate Coo ſuperioribus aut ipſi coæuis, non Aſclepiadis: vt & de inſtituto athletico.

CONSPECTVS.

De Acrone Agrigentino. I.
Peſtilentiam curare auſus eſt. II.
De magna illa Athenarum peſtilentia. III.
Quam Thucydides optime deſcripſit. IIII.
De Herodico ſ. Prodico, inuentore medicinæ gymnaſticæ. V.
De inſtituto gymnaſtico. VI. VII.
Eius antiquitas & variæ conſtitutiones. VIII.
Vnde athletæ, gymnaſtæque dicti. VIIII.
Qualia exercitia fuerint. X.
De curſu eiusque ſpeciebus. XI.
De ſaltu. XII.
De diſci iactu, & iaculo. XIII.
Quæ leuia dicebantur exercitia. XIIII.
De lucta, ceromate, puluere, acrochiriſmo. XV.
De pugilatu & cæſtibus. XVI.
De pancratio. XVII.
De habitu athletarum. XVIII.
De diæta. XVIIII. XX.
Clyſteribus & vomitibus crebro vtebantur. XXI. XXII.
Circulus vitæ athleticæ. XXIII. XXIIII.
Ipſum inſtitutum ſæpe mutationes habuit. XXV.
De gymnaſte, ſeu hygieno. XXVI.
De reunctoribus mediaſtinis gymnaſtarum. XXVII.
Balneatorum origo. XXVIII.
Inſtituti athletici ad medicinam accommodatio. XXVIIII - XXXI.
De Aegimio. XXXII.
De Icco Tarentino. XXXIII.
Ἀνακεφαλαίωσις *totius hiſtoriæ ante Hippocratem.* XXXIIII.

I.

Miſſis nunc philoſophis, redimus ad medicos ætate Hippocratis ſuperiores. Iam ſupra meminimus Acronis Agrigentini, Empedoclis æmuli. Hunc virum PLINIVS * facit auctorem ſectæ empiricæ. Et forte ipſi illi, qui inſequutis temporibus empiricorum nomen acceperunt, vt ſuam ſectam rationali antiquiorem facerent, ab hoc ſe auctore deductos perhibuerunt, quum

quum illi, qui rationales dici volebant, ſe ab Hippocrate deriuatos gloriarentur. Nam ille, qui ſollemni diuortio philoſophicam ſpeculationem a medicina ſeiunxit, magno conſenſu perhibetur fuiſſe Serapion Alexandrinus, de quo ſequenti periodo nobis agendum eſt. Quod vero idem Plinius adiicit, Acronem Empedoclis Phyſici auctoritate commendatum fuiſſe: id ſine dubio profectum eſt ex male intellecto epigrammate apud DIOGENEM LAERTIVM ** conſeruato, quod Empedocles, vt adiectæ circumſtantiæ edocent, ad deridendum & cauillandum compoſuit.

* *Hiſt. natur. Lib. XXVIII. cap.* 1.
** *Vitis philoſoph. libr. VIII. vita Empedoclis.*

II. Hic tantum notamus, quod PLVTARCHVS * perhibeat, Acronem etiam Athenis aliquando vixiſſe, & in celebri peſtilentia operæ pretium feciſſe, dum conſilium dedit, vt prope decumbentes ignis ſuccenderetur. Idem ab aliis Hippocrati tribuitur, qui tamen illo tempore forte nimis fuit iuuenis, quam vt in auctoritate esſet. AETIVS ** vtrique tribuit, ſed rogos ingentes exſtructos & incenſos memorat: PAVLVS AEGINETA *** de rogis conſentit, ſed ſoli Acroni tribuit, nec Athenarum meminit.

* *de Iſide & Oſiride*, circa finem. ** *medic. contract. lib. V, cap.* 94.
*** *de re medic. II. cap.* 35.

III. Hæc peſtilentia Athenis tam fatalis, tantopereque inter Græcos decantata, vrbem hanc primum invaſit anno mundi 3554. ante C.N. 430, quum iam Romæ tribus annis ante hunc ſævierit, Romanosque coegerit Apollini ædem, eius auertendæ cauſa, vouere, vt LIVIVS * prodidit.

* *Libr. IIII.*

IIII. Notatu autem digniſſima eſt, quod prima eſt omnium, quarum accurata deſcriptio habetur a THV-

CYDIDE * celebri hiſtorico, qui ipſe eadem correptus fuit, diligenter tradita. Certe apud nullum medicum ex vetuſtis tam claram deſcriptionem inuenies; ex qua ſimul diſcas, quam inepti ſint, qui vel Hippocrati magnas in curanda illa partes adſignant, vel in ſcriptis eius peſtilentiam Atticam quærunt: cuius ne verbulo quidem vmquam meminit.

* *Libro II.* En vero totam narrationem, quam, etſi paulo longiorem, apponere placuit, ne ſtudioſi medicinæ, quibus forte Thucydides non ad manus ſit, eius fructu carere debeant: *Atque non multis abhinc diebus, cum in Attica eſſent, morbus primum Athenienſes cœpit inuadere. Et quanquam fama eſt antea quoque morbum late vagatum eſſe, tum in Lemno, tum in aliis regionibus: nondum tamen memoriæ proditum eſt tantum peſtilentiæ, atque internecionis mortalibus contigiſſe. Neque enim ſat opis afferebant medici, qui principio ſeſe ad medendum applicuerunt ob imprudentiam, ſed hi maxime interibant, quippe qui proxime accedebant; neque alia humana ratio, aut ars vlla. Tum quæcunque a ſacerdotibus ſupplices petebant, aut vatibus, & quæ ab his reſponſa dabantur, omnia in caſſum erant: atque occumbentes ab his deſiſtebant, a malo ſuperati. Porro hoc primum (vt aiunt) ſumpſit initium ex Aethiopia, quæ ſupra Aegyptum eſt, mox in Aegyptum, & Libyam deuenit, & in Regis oram magna ex parte: in Athenienſium vero ciuitatem repente irruit: ac primum in Piræeo homines attigit ex quo etiam dicebant Peloponneſios venena puteis inieciſſe (nam fontes ibi nondum erant) deinde vero & ad ſuperiorem ciuitatem peruenit: ac iam multo magis moriebantur. Diſſerat igitur de hoc, vt quisque ſentit, tum medicus, tum idiota, vnde veriſimile fuit illud originem duxiſſe, & cauſas referat tantæ mutationis, quas idoneas fuiſſe putet: quæ vim ad res ita immutandas ſortitæ fuerint. Ego vero quod factum eſt narrabo; & quibus animaduerſis, ſi quando rurſus incidat, poſſit aliquis prouiſum quippiam non ignorare, hæc monſtrabo, qui tum ipſe morbo laboraui tum alios laborantes vidi. Itaque annus ille (vt in confeſſo eſt) inter omnes maxime aliorum morborum immunis fuit: quod ſi quis alio prius morbo laboraſſet, in hunc omnes decumbebant; Alios vero ex nulla occaſione, ſed continuo cum ſani eſſent, primum capitis calores inuadebant vehementes, & oculornm rubores, & inflammationes: atque internæ partes, & fauces, & lingua ſanguinolentæ ſtatim erant: ſpiritus difficilis, & fœtens exibat: deinde ex his ſternutatio, & raucedo*

cedo ſuccedebant: ac non multo poſt tempore labor in pectus deſcendebat cum tuſſi vehementi: Quod ſi quando ad cor inhæſit, tum id ſubuertit, tum purgationes bilis, quæcunque a medicis recenſentur, ſubierunt, atque hæ magna cum defatigatione. Pleriſque ſingultus incidit inanis, conuulſionem afferens vehementem: quæ nonnullis ſub hæc ceſſabat, aliis vero multo poſt. Porro corpus extrinſecus tangenti non erat admodum calidum, neque pallidum, ſed ſubrubrum, liuidum, puſtulis paruis, & vlceribus ſcatens: internæ vero partes vſque adeo flagrabant, vt ne tenuiſſimum quidem ſtragulum, aut linteum impoſitum, neque aliud quidpiam præter nuditatem ferrent. Ac iucundiſſimum plane erat in aquam frigidam ſe ipſos coniicere; quod multi fecerunt ex iis, quibus cura non fuit adhibita, qui in puteos ſe dederunt inexhauſta ſiti vexati: & perinde erat plus, ac minus bibere. Atque impotentia quædam, qua iis quieſcere non licebat, & vigiliæ perpetuo comitabantur. Corpus, quandiu morbus vigebat, non contabeſcebat, ſed præter ſpem labori obſiſtebat. Quamobrem vel interierunt plurimi nouem, & ſeptem diebus ex interno æſtu, cum aliquid roboris adhuc haberent, vel ſi effugiſſent, morbo in ventrem irruente, & exulceratione in eodem facta, & diarrhœa ſimul immodica ſubeunte, plerique mox præ imbecillitate perierunt. Etenim initio ſurſum facto malum, quod in capite primum conſederat, vniuerſum corpus peruadebat. Quod ſi quis maxima hæc ſuperaſſet, huic extremarum partium noxa ſuperueniebat: malum enim ad pudenda, & ad ſummas manus, & pedes decumbebat: & complures his amiſſis euaſerunt, nonnulli & amiſſis oculis. Nonnullos etiam, quum primum exurgerent, cœpit obliuio rerum æque omnium, ac tum ſe ipſos, tum amicos ignorabant. Etenim hoc morbi genus, quod certe maius fuit, quam vt oratione comprehendi poſſit, tum alioqui grauius vnicuique quam humana ferret natura, tum hac in re declarauit ſe aliud quidpiam eſſe portentoſum, & extra ordinem, quoniam aues, & quadrupedes, quæcunque humana carne veſcuntur, cum plurima iacerent inſepulta cadauera, aut non accedebant, aut ſi accederent, ac deguſtaſſent, interibant. Huiusce rei indicium fuit, quod manifeſte huiusmodi aues deficerent, quæ nec alias viſebantur, neque circa aliquod ex his. Sed canes magis huius euentus ſenſum præbuerunt, propterea quod vna degunt. Morbus igitur (vt alia multa prætermittamus inſolita, quæ cuique ſeorſum euenerunt, aliis alia) talem vniuerſum ideam habuit: alius præterea nullus eo tempore infeſtauit ex iis, qui conſueti habentur: ſi quis autem accidiſſet, in hunc deſinebat. Ac perierunt nonnulli quidem ob negligentiam, alii vero diligenter etiam

curati. Neque vllum (prope dixerim) compertum eſt remedium, cuius vſu homines adiutos eſſe conſtaret; nam quod vni opem tulerat, id ipſum officiebat alteri. Iam vero corpus nullum viſum eſt aduerſus morbum ſufficere, quod ad robur, & debilitatem attinet, ſed ſublata ſunt omnia, quauis etiam viuendi ratione ad curationem vterentur. Porro res miſerrima in vniuerſo morbo fuit, tum animi deiectio, cum quis ſe ægrotare intelligeret; nam mente protinus ad deſperationem conuerſa, multo ſe ipſos magis conſternebant, neque reluctabantur: tum vero quoniam alter ab altero, dum curationis officio fungerentur, inſtar ouium occidebant, atque hoc maximam cladis partem attulit, Siue enim præ metu recuſarent alter alterum adire, deſerti peribant; domusque non paucæ vacuæ ſunt redditæ ob medentis defectum: ſiue adirent, commoriebantur: atque ii potiſſimum, qui virtutis aliquid ſibi vendicabant: nam præ pudore non parcentes ſibi ipſis, amicos conueniebant: & cum luctus defunctorum perficerent, ipſi quoque familiares ſuccumbebant a mali vehementia ſuperati. Magis tamen tam morientem, quàm laborantem ii miſerabantur, qui iam euaſerant, propterea quod intelligerent ſe iam in ſecuro verſari: bis enim eundem morbus non corripuit, ita vt interficeret. Atque hi tum ab aliis beati cenſebantur, tum ipſi præter præſentem lætitiam, in poſterum quoque ſpe aliqua ſubleuabantur, ne ab alio quidem morbo aliquando fore vt extinguerentur. Iam vero proprio labori aliud quoque acceſſit incommodum ex importatione ab agris in vrbem: quod nihilominus inuaſit hoſtes: cum enim domos non haberent, ſed in tuguriis ſuffocantibus æſtiua tempeſtate degerent, corruptio acceſſit nulla ſeruata dignitate: ſed mortui, morientesque mutuo adiacebant, ac ſemianimes in biuiis volutabantur, & circa fontes præ aquæ deſiderio. Tum ædes ſacræ, in quas conuenerant, cadauerum plenæ erant, eorum (inquam) qui illic peribant: nam vrgente malo, cum quid facerent, homines non haberent, omnes pariter ad negligentiam, & ad aras, & focos ſe conuerterunt. Præterea leges omnes perturbatæ ſunt, quibus antea de ſepulcrorum ratione vtebantur: ac ſepeliebant, vt quisque poterat: tum etiam multi in aliena loca deiecti ſunt, ob amicorum penuriam, cum hi plerique ſuos morte præuertiſſent. Nonnulli ægrotantibus præuenientes, cadauer alieno rogo impoſitum ſuccendebant: alii vero, dum aliud combureretur, eo, quod ipſi portabant, ſuperiniecto, abibant.

V. Ante Hippocratem & cum ipſo vixit Herodicus * Selymbrienſis, quem & Prodicum vocant: quamvis

vis PLINIVS ** ipſum e diſcipulis Hippocratis fuiſſe tradidit. Hunc facit PLATO *** inuentorem medicinæ gymnaſticæ, ſcilicet eius, quæ per varii generis exercitationes corporis bonum habitum quærere & conſeruare, ſed & a morbis vindicare docet. Plato de eo ſic ſcribit, quod cum ludimagiſter & corpore imbecilli, inſanabili morbo iam affecto, eſſet, in ſe ipſo primum expertus fuerit, quantum exercitationes facerent ad morborum incrementa præoccupanda, indeque progreſſum eſſe ad medicinæ totius gymnaſticæ inſtitutum inueniendum ac docendum, quo pacto motus corporis, & qui ſeorſim, valeant ad liberandos homines in huius vel illius morbi periculo conſtitutos: in quo quidem ipſius Hippocratis præceptorem eum fuiſſe a quibusdam adſeritur: de quo ſuo loco diſpiciemus.

* Non ſolum in ſcribendo nomine magna obſeruatur diſcrepantia, quæ facile oriri potuit, quum literæ Η & Π, quæ nomen alterutro modo recte ſcribendum incipiunt, vtpote valde ſimiles, facile potuerint permutari: verum etiam diverſitas maior enaſcitur, vt plane duo viri homonymi eiusdem inſtituti vixiſſe videantur, quorum alter Selymbrianus, adeoque Thrax, fuit: alter Leontinus, Gorgiæ, clari oratoris, frater, adeoque Siculus. conf. GALENVS *comment. in Epidem. VI. text.* 54. *p.* 488. *tom. V. Baſil.* vbi ſe de ea differentia alio loco fuſius dictum promittit. Illum autem, de quo hic ex Platone referimus, *Plutarchus c. l.* expreſſe vocat Selymbrianum & Herodicum: eundemque *Plinius* Prodicum Selymbriæ natum. Sed & Plato in eodem *Protagora p.* 286. Selymbrianum dicit, &, ne de alio ſermonem eſſe ſuſpicemur, addit, eſſe eundem nulli inferiorem ſophiſtam, ſed qui artem inuidioſam tegat gymnaſticæ obtutu: quin eodem auctore in *Gorgia p.* 303. diſcimus, fratrem ipſi fuiſſe Gorgiam Leontinum, quo loco Herodico dignitas medici claris verbis tribuitur. Quæ quidem teſtimonia collata fere perſuadent vnum eundemque eſſe virum Selymbrianum & Leontinum, eundemque ciuitatem vtramque habuiſſe. Alibi autem Plato eundem Chium dicit, *in Theage*,

** *hiſt. natur. libr. XXIIII. cap.* 1.

*** *Po-*

*** *Politicor. III. pag.* 399. adde PLVTARCHVM *de ſera numinis vindicta pag.* 359. μίξας πρῶτος ἀνθρώπων γυμναστικὴν ἰατρικῇ, *qui primus mortalium gymnaſticam & medicinam coniunxit.* Laudatus Plato non diſſimulat diſplicere ſibi eiusmodi medicinam, Aeſculapii æuo nec auditam neque neceſſariam, quum corpora diætæ vitio nondum eſſent corrupta, nec flatulentiæ & catarrhorum nomina cognita eſſent. Vocat illam παιδαγωγικὴν τῶν νοσημάτων ἰατρικὴν, *medicinam, quæ morbos potius foueat, quam auferat*, longamque mortem efficiat: quemadmodum ipſum Herodicum ad ſenectutem ab arte ſua perductum non diſſimulat.

VI. Huius nunc viri occaſione oportet illuſtre hoc antiquitatis medicæ momentum, inſtitutum nimirum gymnaſticum ſeu athleticum, ex quo medicina gymnaſtica enata eſt, paulo curatius intueri, quantum ſcilicet noſtro ſcopo conueniet. Plura volentes ipſo hoc initio ad fontes pleniores remittimus, HIERONYMVM MERCVRIALEM *, PETRVM FABRVM **, OCTAVIVM FALCONERIVM ***, & ANTONIVM van DALE. ** Ipſi ante hos decem annos de eodem argumento aliquid edidimus. *

* qui *de arte gymnaſtica* ſex pulcerrimos libros reliquit, ſæpius excuſos, & collectioni antiquitatum Romanarum Græuianæ etiam inſertos.

** cuius *agoniſticῶν tres libri* Mercurialem pulcre ſupplent, theſauro antiquitatum Græcarum Gronouiano nouiſſime adiuncti ſunt.

*** huius *notæ ad inſcriptiones athleticas*, pereruditum opus, exſtant in modo laudato theſauro Gronouiano tom. VIII.

** *diſſertationum antiquitatibus marmoribusque illuſtrandis inſeruientium* octaua, quæ *de gymnaſiarchis* inſcribitur.

* diſſert. inauguralis *de athletis veterum, eorum diæta & habitu, Halæ Magdeb.* 1717. ſub præſidio Illuſtris medici D. FR. HOFFMANNI, præceptoris & patroni perpetuo obſequio colendi, habita. Huius quidem pars altera, de habitu athletarum, ob argumenti amplitudinem, omitti tunc debuit: ſed præparo partem editam, multis locis auctiorem & emendatiorem futuram, prælo, vna cum altera, de habitu, prodituram.

VII. Gy-

VII. Gymnaſticum inſtitutum, Græciæ antiquæ commendatiſſimum, longe vetuſtius eſt medicina illa gymnaſtica, ſiue ab Herodico ſiue a quocunque alio introducta. Ad minimum inde ab Olympiadum initio viguit: quarum, vsque ad Hippocratis ætatem, non certe pauciores centum integris effluxerunt, quæ quadringentos annos complent.

VIII. Heroas, interque hos maxime Herculem, inſtituti laudant auctorem, ſed poſt ipſum intermiſſam rem publico conſenſu Iphitus, IↃCCLXXVI. ante Chriſtum natum annis, renouauit, & vt Olympia ſingulis quinti anni initiis agerentur, inſtituit. Celeberrimi autem erant per omnem Græciam ludi olympici, hisque paulo minus ſollemnes Pythici, ambo penteterici: tum vero etiam Nemei Iſthmiique, qui tertio quoque anno agitabantur. Hi ludi ſacri erant, *ἱεροὶ ἀγῶνες*, certorum numinum honoribus conſecrati; quorum victores, præter gloriæ fructum, gloriæque inſigne coronam, nihil reportabant: a quibus diuerſi erant *περίχωροι*, qui paſſim in vrbibus inſtituebantur; &, quod præmia lucratiua victoribus in illis proponebantur, *δωρῖται*, *ἀργυρῖται* vel *χρηματῖται* vocabantur. Confluebant autem ad certamina, maxime illa prioris generis, nobiliſſimi totius Græciæ ciues, apud quos minime indecorum putabatur corpore prorſus nudo decertare.

VIIII. Quoniam præmia cuiuis certamini propoſita vocabantur *ἆθλα*: hinc athletæ vocati ſunt, qui illorum cauſa decertabant, aut, vt decertare aliquando poſſent, exercebantur. Quia vero, vt dictum eſt, nudi certamina ſubibant, vocabantur illi, qui ſe exercebant, *γυμναζόμενοι*; locus vbi nudi exercebantur, *γυμνάσιον*, qui vero artem præmonſtrabant, *γυμνασταὶ* dicebantur. Et quoniam certamina etiam *ἀγῶνες* vocabantur: inde totum inſtitutum agoniſticum ſubinde appellatur. Notandum

dum tamen vltimum vocabulum longius patere prioribus, & ſub ſe etiam muſica & theatralia certamina complecti.

X. Exercitia non fuere eadem initio, quæ progreſſu temporis: ſed nec omni tempore eadem omnia manſerunt. Legimus enim aliqua nuper introducta mox iterum abrogata, deinde reuocata in vſum fuiſſe: ſed quæ recenſentur familiariſſima fuiſſe, ordine indicabo.

XI. Curſus certamen antiquiſſimum & ſemper retentum fuit. Decurrebant autem *ſtadium*, quod erat ſexcentorum pedum: ſed ab Hercule, ordinaria hominum ſtatura grandiori, dimenſio hæc facta erat. Idem ſpacium ſi quis, nulla interpoſita mora, ter decurriſſet, *diaulon* abſoluerat. Qui pluries, aliqui duodecies alii vicies & quater ſcribunt, vno continuo motu eadem ſpacia, inde a carcere ad metas, emenſus fuerat, *dolichodromum* abſoluiſſe, & pleniſſimum curſus certamen peregiſſe, cenſebatur. Mature etiam cœptum eſt equos aut mulas agitando eadem ſpacia decurrere.

XII. Poſt curſum etiam exercebantur *ſaltu*, quo corpus cum celeritate ad certum aliquod ſpacium mouere, vel in ſublime extollere, diſcebant. In quo mirum eſt quantum aliqui profecerint: quippe leguntur qui ſpacium plus quam quinquaginta pedum ſuperarunt. Nihil commune cum ſaltatione huic exercitio erat.

XIII. *Tertium* exercitium erat *diſci iactus.* Vocabatur autem diſcus lapis formæ fere molaris, ponderis determinati, quem qui longiſſime proiicere valebant, victores habebantur. Aliquando ex ferro fiebant hæc pondera, proprioque nomine talia vocabantur σόλοι. Vtraque nonnumquam in medio perforata fuiſſe leguntur, vt poſſet lignum intrudi, & ab hoc excuſſa pondera proiici. Nec multum a diſco receſſit ἄκων ſeu ἀκόντιον, *iaculum*,

lum, ſeu miſſile quoddam inſtrumentum, quo, tamquam certaminis *quarto* genere, ſolebant exerceri, ad certas leges proiiciendo.

XIIII. Atque hæc quatuor modo dicta vocabantur leuia exercitia, quia leuitate & agilitate corporis præcipue opus habere videbantur. Grauia vocabantur *lucta* & *pugilatus*.

XVI. *Luctam* obeuntes toto corpore inuncti ceromate, deinde puluere inſpergebantur, tunc ſeſe mutuo aggrediebantur, mutuoque complexu & inuicem miſcendis conſtringendisque corporibus tamdiu nitebantur, donec vnus procidebat, quod τραχηλίζεσθαι vocabatur. Ab hac lucta deiectoria diuerſa erat ſpecies, quæ ἀκροχειρισμὸς vocabatur, vbi ſine complexu ſtantes manum manui componebant, vel fronte fronti admota inuicem premebant, donec alteruter loco eſſet pulſus.

XVI. Luctam ſuperabat periculo *pugilatus*, horrendum cruentumque ſpectaculum præbens. Scilicet ſolis pugnis res peragebatur, vt, quocunque aduerſarius vellet loco, pugni ictum perferret vnus, deinde eadem patientia reciperet, tamdiu donec alteruter victum ſe manu, geſtu, ſæpe morte ſua, teſtaretur. Pugnis antiquiſſimi nudis vtebantur: recentiores cæſtus inuenerunt, vel coriaceos nodos implicitos, vel laminis æreis communitos. Sæpe proſcriptum legibus fuit hoc exercitium.

XVII. Denique ex lucta & pugilatu compoſitum erat genus, quod vocabant *pancratium*, quo & complecti ſe & proſternere & volutare & cædere permiſſum erat, adeo vt nec vnguibus nec dentibus abuti quicquam prohiberet.

XVIII. His exercitiis vt fungi poſſent, duobus maxime opus erat, magnitudine virium & celeritate:

 adeo-

adeoque vtramque comparare arte quadam curabant. Magnitudini igitur virium quærebant molem corporis, non ex pinguedine inerti compoſitam, ſed toroſis muſculis præcipue inſidentem: agilitatem autem ſimul conſeruare omni niſu ſtudebant, huncque in finem crebri motus, a leuioribus ad grauiores procedentes & augendi, comparati erant.

XVIII. Vt molem corporis viresque neceſſarias acquirerent, diæta ipſis inſtituta erat conuenientiſſima ſcopo, quæ cibos boni ſucci, non facile transſpirabiles, præbebat, magna copia & ex præſcripto ſumendos, quod vocabatur *ἀναγκοφαγία*, coacta voracitas, in formam artis redacta.

XX. Antiquiſſimis temporibus caſeo recens preſſo & ficubus ſaginabantur: ſed Pythagoras ille alipta, de quo ſupra, carnium introduxit vſum, non promiſcue omnis generis, ſed præcipue ſuillæ, eiusque aſſatæ, quam non calidam ſed refrigeratam aſſumebant, cum pane ex tritico *συγκομιςῷ*, id eſt a furfuribus non accurate liberato, nec multum fermentato. Potum alio tempore aquam, in cœna vinum, ad proportionem cibi, ſatis multum, aſſumebant.

XXI. Hæc ciborum potusque adſumtio ſera nocte fiebat, ſatisque diu protrahebatur. Dehinc ſomno ſe dabant ſatis longo: a quo ſerius excitati ante omnia debebant aluo expurgandæ operam dare: quod ſi non ſponte ſuccederet, clyſtere infuſo ducebatur. Et, ne heſterni cibi reliquiæ in ventriculo ſupereſſent, vomitu arte procurato impetrabant.

XXII. In hunc finem copioſe bibebant, tum digito vel pinna faucibus intruſis euomebant. Quibus talia non ſufficiebant ad promte ſatisque vomendum, adhibebant

bebant lorum vomitorium, vel digitale, idque genus alia commenta, nuper reſuſcitatis ventriculi excutiis non diſſimilia.

XXIII. Euacuatum ventriculum prandio ſatis moderato reficiebant, tum poſt aliquanti temporis quietem leuiter obambulabant, donec tempeſtiuum erat venire ad exercitationes, vbi, ſigno diſci pulſati ſonitu dato, primo exuebantur, inde vngebantur, mox puluere inſpergebantur, ne ſub motu ſuſcipiendo, ſatisque diu continuando, nimis ſudarent. Ita parati exercitationes ordine ſubibant, primo leues, gradatimque ad grauiores progrediebantur, donec deluſum eſſet.

XXIIII. Tunc ad apotherapiam veniebatur, id eſt corporis debitam curam, quæ prohiberet ne a tot tantisque laboribus artuum grauitas conſequeretur, quæque corporis ſordes auferret. Fiebat hoc in balneo, vbi ſordes ſtrigili remouebantur, mox frictiones certa arte & lege curioſe inſtituebantur, deinde lauabantur, rurſusque vngebantur. Quo facto ad cœnam ibatur, hinc ad ſomnum. En circulum vitæ athleticæ.

XXV. Iſtud inſtitutum athleticum quo pacto varie mutatum, interpolatumque ſit, quoque modo diuerſa fuerint puerorum, adoleſcentum virorumque ſtudia & exercitia in gymnaſiis: qualia quantaque priuilegia collegiis athletarum conceſſa fuerint, quibus legibus, qua religione, conſtricti fuerint, longum eſſet hic deducere & ampliſſime exponere. Sufficit mihi ad fontes iam antea ablegaſſe, & quæ medicinæ domeſtica ſunt paucis adhuc ſubiungere.

XXVI. Medicinam proxime hoc attinet, quod inſtitutum illud gymnaſticorum, quum initio a medicis directum fuerit, habueritque in felicioribus vrbibus & frequentioribus gymnaſiis ſuum præfectum aliquando

ὑγιεινὸν vocatum, vt *van* DALEN docet, alias gymnaſten vel epiſtaten dictum: mox eo proceſſit, vt quiuis ex longo vſu edoctus hanc artis particulam, non ſolum non ſalutata medicina reliqua de arte gymnaſtica ſcriberet, ſed & in gymnaſiis fieri ſolita, frictiones, ſudationes, vnctiones, balnea, porroque huc pertinentia, diſtorſorum repoſitiones, fractorum vulnerumque curationes, ſuſciperent & adminiſtrarent.

XXVII. Hi erant illi homines, qui primo medicorum iuſſu & præſcripto hæc peragebant, vtpote viliora medicique perſona indigna: vocabanturque reunctores, aliptæ, quorum conditio ſeruilis erat, vt PLINIVS teſtatur Prodicum Selymbrienſem mediaſtinis reunctoribus vectigal inueniſſe. Sed poſtquam in viliſſima artis particula habitum aliquem acquiſiuerant, cum tempore eo res deuenit, vt ſuis auſpiciis talia peragerent, nec contenti hoc ſpolio, medicorum nomen aſſumerent, mox iatroaliptæ, mox abſolute medici dicti.

XXVIII. Quæ res tandem in contumeliam medicorum abiit, quum multi ſerui, hanc artem edocti, in domeſticum vſum magnatum, præſertim Romanorum, pretio vili compararentur: vnde factum eſt vt hodieque medicis a male periergis obiiciatur, quod ſeruitutem Romæ ſeruiuerint: quod tamen non de aliis probari poteſt, quam de talibus, qui hodie apud nos balneatorum nomen gerunt, & ipſiſſima ſunt propago veterum aliptarum, qui, vigente adhuc inſtituto athletico, balneorum, frictionum, reunctionum negotium adminiſtrabant.

XXVIIII. Sed de hoc alio loco, nimirum circa Conſtantini M. ætatem, iterum diſquiremus, in cuius tempora incidit inſtituti athletici fatalis terminus. Nunc vbi totum negotium gymnaſticum contemplati ſumus, idque

idque tamdiu ante Prodicum Selymbrienſem floruiſſe intelleximus; adeoque iure colligamus, diu ante hunc virum fuiſſe, qui aliqua ad medicinam pertinentia dirigerent & adminiſtrarent: videtur non immerito quæri poſſe: quid nouus hic homo noui attulerit, quo vectigal reunctoribus, medicorum mediaſtinis, pararet?

XXX. Rem itaque, ex PLATONE ſupra laudato, ita intelligendam exiſtimo. Quum antea non niſi ſani vegetique exercitiis operam darent, habereturque gymnaſtice ars boni habitus comparatrix & conſeruatrix: Prodicum primum fuiſſe, quem ſimul vitæ genus, & morbis carioſum corpus, cogerent vt rationem quæreret, qua ſibi, exercitationum perita inſtitutione, morbos ingruentes propulſare & qualemcunque valetudinem reddere poſſet. Id vero quum ſæpe tentando inueniſſet, experiendoque confirmaſſet: videtur etiam ad alios, cum valetudine aduerſa confligtantes, transtuliſſe, hisque, vt exercitia varia ſibi commoda inſtituerent, auctor fuiſſe: cumque paucis horum per valetudinem licuiſſe videatur, vt in publicis gymnaſiis cum aliis vegetis exercitarentur: cogitandum fuiſſe, vt vel domi quisque ſuæ cum eiusmodi iatroalipta ſolus exerceretur: vel in iatroaliptæ propriis ædibus operam illis daret.

XXXI. Quicquid horum factum ſit, apparet facile, vectigal iatroaliptarum magnum ex eo tempore fuiſſe: præſertim ſi apud Hippocratem noſtrum attente recognoſcamus, quam is curioſe omnis generis exercitationes, earumque gradus & modos, diuerſis morborum generibus commendet: prorſus vt fieri apud Græcos non potuerit, vt medicus quisquam pluribus ægrotis, ex diætetico fonte, ſuccurreret deinceps, niſi mediaſtinis pluribus vteretur. Sed nunc reliqua addenda ſunt.

XXXII.

XXXII. Nimirum ſupereſt Aegimius quidam, qui περὶ παλμῶν, *de palpitationibus*, ſcripſit. Supra aliquod ſcriptum, ad Melampodem auctorem relatum, indicauimus, quod eodem titulo inſignitur. Sed hic auctor illo vocabulo id deſignauit, quod nos pulſum vocamus: videturque GALENO * primus omnium, qui de hoc argumento ſcripſerunt. Aetas & patria incerta ſunt. Ante Hippocratem vixiſſe neceſſe eſt, quum Galenus non ignorauerit hunc virum de pulſibus crebro dicere: antiquitatis etiam ſuſpicionem facit, quod nondum nouit illud Græcum nomen, quo poſteri pulſum denotarunt. Ceterum laudatur Aegimius quidam Velienſis, quem PLINIVS ** vltra ducentos annos vixiſſe teſtatur: qui vtrum ſit noſter, an ab eo diuerſus, non eſt ſatis liquidum.

* *de differentiis pulſuum I. cap.* 2.
** *hiſt. natur. VII.* 48.

XXXIII. Adiicimus denique Iccum Tarentinum, quem medicum * fuiſſe & athleticæ rei ſtudioſiſſimum, ex variis veterum teſtimoniis intelligimus, Prodico Selymbrienſi paullo antiquiorem. Sed in hoc non modice differt ab aliis idem inſtitutum ſequutis, quod temperantiam & ſobrietatem magis, quam illi ſolebant, coluit: vnde Icci quoad cibum & potum temperantia in prouerbium abiit. Præcipue autem cœlibatum conſtanter tenuiſſe legitur, ne vires diſſiparet: eoque auctor aliis athletis fuiſſe, vt venerem tempore illo, quo ſe ad certamina præparabant, vitarent. Dicere tamen non auſim, omnes athletas idem inſtitutum tam accurate tenuiſſe: quum alibi legerim, quosdam athletas torpentes veneris moderato vſu excitatos fuiſſe.

* Confert hunc virum Herodico, & ſophiſtam ſalutat *Plato in Protagora, p.* 285. *lin. vlt. &* 286.

XXXIIII.

XXXIIII. Nunc ante quam ad Hippocratem, qui periodi huius finem faciet, progrediamur, breuem quaſi conſpectum totius tam longi temporis, quod emenſi ſumus, ante oculum ponemus. Duci enim ex rerum expoſitarum ſerie ſequentes poſſe videntur obſeruationes hiſtoricæ:

I. Originem medicinæ eſſe obſcuram & fabulis inuolutam: eam maxime ob rationem, quod genuina vetuſtatis monumenta non exſtant: & quod fuerunt homines, qui ſua intereſſe putabant, ſi hiſtoriarum fidem fabulis monſtroſis corrumperent.

II. Non eſſe improbabile, quod Græcorum medicina iunior ſit illa Aegypti, & aliarum gentium orientalium: quodque ab his multa acceperint, tum per commercia cum Phœnicia gente, tum immediata conuerſatione cum Aegyptiis aliisque orientis populis: ita tamen, vt non excludendæ videantur nationes ſeptentrionales, quas Scytharum nomine paſſim laudant.

III. Quod prima Græcorum medicina fuerit paucarum herbarum, aliorumque ad vulnerum, morborumque medelam promtorum auxiliorum notitia: chirurgia etiam, vt maxime neceſſaria, ſic præcipue culta fuerit.

IIII. Quod curationes illæ paucæ internæ, quas moliti ſunt, aliquibus purgantibus, vt elleboro, elaterio, & forte emmenagogorum quorundam, vt & opii, vſu fuerint plerumque abſolutæ.

V. Quod venæſectionem iam illo tempore nouerint & adhibuerint.

VI. Quod morborum epidemicorum, præſertim maligniorum, curationes parum nouerint: peſtes autem ad iram deorum retulerint, ab iisque ſolis opem flagitauerint.

VII. Quod non diu libera medicina manſerit, ſed mox ſuperſtitioni idololatriæque vinculis conſtricta fuerit: quodque μαντικὴ ſeu vaticinatoria paſſim ei fuerit coniuncta.

VIII. Quod libertatem ſuam medicina debeat philoſophiæ, & quod philoſophorum diligentia non ſolum ſuperſtitioni erepta, ſed & valde amplificata & ad rationes reuocata fuerit.

VIIII. Quod philoſophi, ex omnibus, de quibus certo conſtat, primi fuerint exſectionem, ſeu anatomen, aggredi auſi, maximumque in eo ſtudio operæ pretium fecerint Pythagorei.

X. Quod Græci, quum ſemel medicinam libere agitare cœpiſſent, Aegyptiorum, aliorumque ad præſcriptum vnice medentium, circumſcripta ſtudia facile ſuperauerint.

XI. Quod æque fallantur, qui Aeſculapium primum auctorem faciunt medicinæ rationalis, & qui Hippocratem ea laude inuitum onerant.

XII. Quod medicina diætetica, eiusque non vltima pars gymnaſtica, apud veteres floruerit, diu quidem ante quam in artis formam redigeretur.

XIII. Quod gymnaſtica ab initio fuerit purior minusque inculpanda: ſed temporis progreſſu valde vituperatione digna euaſerit.


HISTO-

HISTORIAE
MEDICINAE
PERIODI PRIMAE
SECTIO TERTIA
DE
HIPPOCRATE COO
EIVSQVE VITA ET DOCTRINIS
DEQVE
MEDICIS COAEVIS.

Capitibus ſex

agitur

I. De Hippocratis vita, fatis & ſcriptis.
II. De dogmatibus eius phyſiologicis.
III. De pathologia & prognoſi eiusdem.
IIII. De praxi Hippocratis.
V. De Hippocratis familia.
VI. De medicis & philoſophis coaeuis.



CAPVT I.

De Hippocratis vita, fatis & ſcriptis.

CONSPECTVS.

Hiſtoria Hippocratis valde eſt dubia & obſcura. I.
De patria. II.
Quomodo ad medicinam inſtitutus ſit. III.
De præceptoribus Herodico & Gorgia. IIII. V.
Quid Hippocrates de Herodico ſenſerit. VI.
Quo pacto a Democrito profecerit. VII.
Heracliti dogmata etiã arripuit. VIII.
Ex libris multum profeciſſe veroſimile eſt. VIIII.
Patriam mature reliquit. X.
Athenienſibus peſte laborantibus præſidio fuiſſe dicitur. XI.
quod tamen valde dubium videtur. XII.
De honoribus, quos Athenis conſequutus dicitur. XIII. XIIII.
An Artaxerxi operam ſuam denegauerit. XV. XVI.
Quam certa ſit Democriti curatio. XVII.
De tempore, quo mortuus eſt Hippocrates. XVIII.
De libris ipſius. XVIIII. XX.
Mercurialis cenſura librorum Hippocratis. XXI.
quæ tamen non omnibus ſatisfacit. XXII - XXIIII.
De moribus & ingenuitate Hippocratis. XXV.
Quomodo intelligendum ſit, quod primus a philoſophia medicinam ſeparauerit. XXVI. XXX.

I.

HIPPOCRATIS COI hiſtoriam intimus conſideranti plura ſe offerunt, quæ quis confidenter aſſerat falſo perhiberi de eo, quam quæ pro certis adſumat. Adeo raram facere mentionem eius veteres videas & mireris, ſi coæuos de factis, quæ ipſis optime cognita eſſe debebant, conſulas. Vitam a SORANO* vt titulus præ ſe fert, in calce operum videmus: ſed in ea multa ſunt, quæ firmiori auctoritate confirmata optemus. Quæ SVIDAS habet, ſunt auctoritatis incompertæ & pauca: & IO. TZETZES ea verſibus politicis exhibet, quæ Soranus ſoluta oratione ſcripſerat. Vsque adeo fere nihil habemus vbi pedem ſatis tuto figamus. Sed vtcunque fieri poterit exhibebimus, quæ de hoc viro vel comperta ſunt vel perhibentur.

* Sorani plures ſunt qui apud veteres laudantur, videndi apud D. D. FABRICIVM *in bibl. Græc. Volum. XII. p.* 684. ſed duo in primis *Epheſii*, quorum antiquior temporibus Traiani & Hadriani Romæ vixit. Opus *de vitis & ſectis medicorum* iuniori Sorano Epheſio tribuitur de quo non ſatis certo ſcimus quando vixerit. Ad minimum tamen ſexcentis annis poſt Hippocratem fuit. Niti videtur ſat firmis documentis: prouocat enim ad *Soranum Coum*, qui tabularium (γραμματοφυλακεῖον) Coorum ſcrutatus ſit: at vero non clarum eſt an præter annum & diem natiuitatis alia ex iisdem hauſerit hic Cous, aut haurire potuerit, quum Hippocrates patriam mature videatur deſeruiſſe.

II. Natum fuiſſe in inſula Co, PLINII* elogio *in primis clara ac valida, & Aeſculapio dicata*, a nemine video dubitari. Annus natiuitati, ex Sorani fide, adſignatur primus Olympiadis octogeſimæ, qui fuit ante Chriſti natalem ſexageſimus ſupra quadrigenteſimum. Patrem Heraclidem vocant, qui longa ſucceſſionis ſerie ab Aeſculapio genus deducebat, vt maternum genus ab Her-

Hercule adſignatur. Sicubi igitur Theſſalus apud veteres nominatur, ita intelligendum eſt, quod apud Theſſalos magnam vitæ partem conſumſit, ibidemque diem ſupremum obiit.

* *hiſtor. natur. XXIX. cap.* 1.

III. Vnde ad medicinam profecerit, de eo paucula hæc accepimus. Scilicet inſtitutum fuiſſe, more Aſclepiadarum, a parente Heraclide: aliquid etiam debuiſſe Herodico Selymbrienſi: plurimum tabulis votiuis in templo ſiue Coo ſiue Cnidio ſuſpenſis, quas deſcripſerit, crematoque deinceps templo pro ſuis exhibuerit, quæ inde ſumſerat, & clinicem inſtituerit, vt VARRO apud Romanos credidit, teſte PLINIO.*

* l. c.

IIII. Quo tempore, ab Herodico Hippocrates profecerit, equidem curioſe requiſiui, ſed certum, quod referam, nondum inueni. Adeoque in medio relinquo etiam modum, quo inſtitutus ab ipſo fuit. Vel enim potuit adoleſcente ætate, mercede pro ſe data, ipſius inſtitutione vſus fuiſſe: quem modum medicinam apud claros profeſſores addiſcendi, ſaltem Galeni tempore, clare obſeruamus, non autem inauditum fuiſſe Socratis, adeoque etiam Hippocratis tempore, ex PLATONE* non obſcure colligimus: vel virili ætate potuit, ex conſuetudine cum hoc viro, addidiciſſe, quæ ipſe præter ceteros excogitauerat & vſu confirmauerat.

* in *Protagora* ab initio. Introducitur ibi Socrates Hippocratem quendam Athenienſem hunc in modum rogans: *Dic mihi, o Hippocrates, ſi ad Hippocratem, tibi cognominem, Coum illum Aſclepiadem, conſtituiſſes proficiſci, ipſique pro te mercedem erogare, & aliquis ex te quæreret: Dic mihi, o Hippocrates, mercedem Hippocrati dabis: vt cui viro? quid reſponderes?* HIPPOCR. *vt medico.* SOCR. *qualis & ipſe futurus?* HIPPOC. *vt medicus euaſurus.* Sed longe clarior eſt locus in *Menone p. m.* 341. *Si vellemus Menonem hunc bonum euadere medicum, ad quos doctores ipſum*

ipſum mitteremus? nonne ad medicos? -- Quando autem dicimus ad medicos eſſe mittendum, quo medicus fiat, annon ſapientiores ſimus, ſi ad illos mittamus, qui præ ceteris arti ſuæ induſtriam impendunt, quam ad iſtos, qui minus? ad illos, inquam, qui mercedem pro eo ab diſcipulis accipiunt, eodemque palam comprobant ſe artem in cuiusuis diſcere cupientis gratiam profiteri.

V. Ex iis, quæ ſupra de Herodico retulimus, ſatis intelligitur hunc virum Athenis maxime floruiſſe, famamque noua medicina conſequutum fuiſſe: ex quo colligere liceat Hippocratem Athenis aliquandiu vixiſſe, ibique cum Herodico eſſe verſatum. Eodemque tempore videtur etiam operam dediſſe fratri ipſius, Gorgiæ Leontino, rhetori celeberrimo, a quo Hippocratem profeciſſe, quamuis timide & aliorum fide, Soranus aſſerit. Dicere etiam liceret conuerſationem illam cum Gorgia viguiſſe maxime in Theſſalia, vbi, CICERONE* teſte, Gorgias conſenuit, ipſeque Hippocrates noſter ſedem fortunarum poſuit.

* *in Oratore cap. 52. edit. Schreuel.* Idem non obſcure teſtatur PLATO in *Menone,* mox ab initio.

VI. Ceterum Hippocratem non omnia Herodici approbaſſe & retinuiſſe, docere nos poteſt illuſtris locus*, vbi, quæ ſibi in praxi eius diſpliceant, aperte prodit his verbis: *Herodicus febricitantes interficiebat ambulationibus, luctis, & fomentis. Peſſime ſane. Nam febrilis conſtitutio inimica eſt luctis, ambulationibus, curſibus, frictioni.*

* *Epidem. VI, ſect. III. num. 54. edit. Linden.* quæ nomen, vt exhibui, ſcribit. Sed apud Galenum, tam in textu quam commentario, conſtanter ſcribitur *Prodicus.* Sed & alios iam reprehendiſſe in Herodico, quod nimium tribuere ambulationibus videretur, docere nos poterit Plato, vbi, per iocum, vt videtur, de Herodico, quod Athenis vsque Megara deambulare, & vbi quis vrbis mœnia attigiſſet, reuerti ſuaſerit: quod ſpacium eſt certe longius, quam quisquam ſerio, ambulaturo cuidam, commendare poſſit.

VII. Quos-

VII. Quoſdam etiam credidiſſe Hippocratem Democriti fuiſſe diſcipulum, præter Soranum teſtatur CELSVS * noſter, nosque ſupra attigimus qua occaſione vtrumque vna viuere acciderit. Hæc narratio ſi vera eſt, de quo tamen valde dubito, omnis profectus, qui in Hippocratem redundauit a Democrito, tribuendus eſt amicæ conuerſationi quæ inter ambos viros, hunc quidem iam valde ſenem, illum ætate florentem, viguit.

* *libr. I. præfat.*

VIII. Sed merito quis miretur Hippocratem, ſi Democrito præceptore vſus fuit, & tamen potius Heracliti dogmata ſe amplecti in ſcriptis ſuis manifeſtum fecit. Iam pridem veſtigia huius philoſophiæ apud Hippocratem notauerunt viri celeberrimi & doctiſſimi, quos indicat Celeb. D. D. FABRICIVS.*

* *biblioth. Græc. lib. II. cap. XXIV.* quod totum Hippocrati conſecratum eſt. Adde *Volum. XIII. pag.* 191. *ſeqq.*

VIIII. Sed nec dubium eſt Hippocratem noſtrum, præter Heraclitea ſcripta, etiam euoluiſſe quicquid ad medicinam pertinens ante ſe ſcriptum fuerat: cuius generis librorum non exiguum fuiſſe numerum ex ſupra dictis colligi poteſt, & SOCRATES apud XENOPHONTEM * teſtatur, *multa medicorum ſcripta exſtare:* quod adſertum omnino de ſcriptis Hippocrate antiquioribus intelligendum eſſe temporum ratio ſuadet. Quin nec philoſophorum, præter modo nominatos, quæ tunc exſtabant, monumenta ipſum ſegniter tractaſſe facile credemus, modo fidem GALENO ** adiungere placeat, qui Hippocratem non minus ſummum philoſophum fuiſſe, quam medicum, ſine hæſitatione aſſerit, nec dubitat contendere Ariſtotelis ſcripta non niſi commentarios in philoſophiam Hippocratis exiſtimari debere.

* *de fact. & dict. Socr. IIII. pag. m.* 499.

** *de facult. natur, lib. I.* initio. *Method. med. I. cap. II.* aliisque pluribus locis.

X. Hippocratem patria ſua relicta, functis vita parentibus, multum peregrinatum eſſe, & tandem extra patriam apud Theſſalos obiiſſe, conſtans eſt veterum traditio. Sed minus honorifica eſt ratio, quam aliqui reddunt, ſuſceptæ peregrinationis. Scilicet Soranus ait Andream maligne de eo ſcripſiſſe, quod publicam Cnidiorum bibliothecam igne concremauerit, hæcque fugæ capeſſendæ cauſa fuerit. IO. TZETZES* in crimine conuenit, ſed combuſtam Coorum bibliothecam tradit. PLINIVS denique non bibliothecas ſed tabulas votiuas, quibus, quid auxiliatum eſſet, inſcriptum fuerit, vna cum templo, vt apparet, Coo, crematas eſſe innuit. Facile, credo, diſpaleſcit abſonæ narrationis futilitas ex ipſa accuſatorum inconſtantia. Et quis credet tanti criminis reo ciues ſuos anniuerſarium ſacrum celebraſſe, quod ad ſuam vsque ætatem factum fuiſſe apud Soranum legimus? aut quis credet ſacrilego homini apud Athenienſes, aut vllibi apud Græcos quoscunque, perfugium fuiſſe, quos bella grauiſſima in eos mouiſſe conſtat, qui in huius generis hominibus facinoroſis puniendis ſegniores fuerant.

* *Chiliad. VII. hiſtor. 155. v. 20. ſeqq.*

XI. In hac peregrinatione maximum Athenienſibus beneficium contuliſſe dicitur, quum, flagrante iam bello Peloponneſiaco, vrbs ipſorum, ab hoſtibus grauiter preſſa, inſuper peſtilentiæ morbo adfligeretur, tam graui, vt nulla vetuſtatis monumenta maiores ab hac lue ſtrages vllibi editas commemorent. Dicit enim auctor vitæ Soranus, Hippocratem prudenti ratiocinatione peſtem graſſaturam in Atticam præuidiſſe, futurum id prædixiſſe & tum ciuitatum tum diſcipulorum curam geſſiſſe. Id porro in decreto Athenienſium, quod Hippocratis operibus ſubiungitur,* ſic declaratur, *diſcipulos ipſum ad vrbes miſiſſe, qui indicarent quibus medelis vti oporteat, & accedentem peſtem ſecure effugere: quo ars medica Græ-*

cis

cis data ipſorum ægrotos tuto ſeruaret. Quin ACTVARIVS,** Græcorum nouiſſimus, antidotum illam Hippocratis, aduerſus peſtilentiæ morbum tam efficacem, deſcribit; cuius præſtantia effectum eſſe, vt ab Athenienbus corona aurea donaretur, tamquam de eo certiſſimus, teſtatur.

* *Tom. II. pag. 936. edit. Linden.*

** *Meth. med. lib. V. cap. 6. pag.* 264. ſed longe differt ab ea, quam Helmontius *tr. de peſte*, ex neſcio cuius genii reuelatione, deſcribit.

XII. Sed mirari merito ſubit THVCYDIDEM,* qui durante illa peſtilentia in vrbe fuit, & ipſemet illam perpeſſus eſt, cur adeo nulla commemoratione tantum beneficium dignatus ſit, quod integra tamen ciuitas tantis, vt poſtea audiemus, præmiis compenſauit. Et cur de re nuper geſta, Hippocrate certe adhuc ſuperſtite, ſuperſtitibusque diſcipulis, malignitatis vindicibus futuris, aut ſaltem indicibus, ſcribere auſus ſit: *Neque enim ſatis opis afferebant medici, qui principio ſeſe ad medendum applicuerunt ob imprudentiam. Sed hi maxime interibant, quippe qui proxime accedebant. Neque alia humana ratio, aut ars vlla proficiebat. -- -- Ac perierunt nonnulli quidem ob negligentiam, alii vero diligenter etiam curati. Neque vllum, prope dixerim, compertum eſt remedium, cuius vſu homines adiutos eſſe conſtaret. Nam quod vni opem tulerat, id ipſum officiebat alteri.*

* *de bello Peloponneſ. lib. II.* Neque vero ſilentio Thucydidis ſolum detineor, quo minus Hippocrati tribuere in hac curanda peſtilentia aliquid poſſim: verum eo etiam quod ab aliis Acroni Agrigentino, de quo ſupra egimus, id beneficium adſcribi video: planeque apud LVCIANVM, in libello qui *Scytha*, ſeu Πρόξενος inſcribitur, inuenio apud Athenienſes, ſua adhuc ætate, tamquam heroem cultum fuiſſe Toxarin quendam Scytham, Athenis Solonis iam tempore commoratum ibidemque mortuum, cui tribuebatur quod in magna illa peſtilentia apparuerit Architelis, Areopagitici viri,

 vxori,

vxori, ipſique ſuggeſſerit, fore vt Athenienſes a peſtilentia liberarentur, ſi angiportus vino conſpergerent: quo facto quum ſanitas reddita eſſet, *vaporibus quibusdam noxiis vini odore exſtinctis, ſiue aliud quiddam maioris efficaciæ norit heros Toxaris* (verba ſunt Luciani) *curationis mercedem reportauit vt heroum honoribus afficeretur, annuum ipſi ſacrificium inſtitueretur, columnæque ipſi poſitæ incideretur:* ξένῳ ἰατρῷ, *medico peregrino.* Conferatur ipſe Lucianus: ex quo ſaltem illud ſatis clare elucet, publica Athenienſis populi confeſſione beneficium illud exſtinctæ peſtilentiæ non notiſſimo Hippocrati, ſed heroi diu ante defuncto & poſt mortem viſo, fuiſſe in acceptis relatum. Ceterum ſi cui fabulæ in honorem Hippocratis excogitatæ placent, legat HELMONTII *tumuli peſtis C. XIX.* quod inſcripſit *Hippocratem rediuiuum*, & quantum ſatis eſt miretur enthuſiaſmum viri: ſic forte dubitabit vtrum ſupra *Section. II. Cap. III. §. XI.* laudatus vinitor, Proteſilai genio, vt iactabat, familiaris, in hiſtoria ſupplenda impudentior, an Helmontius magis temerarius dici meruerit.

XIII. Quæ quum ita ſint, magnopere vereor vt *Decretum ſenatus populique Athenienſium*, ſine temporis nota proditum, examen ſuſtineat, genuinitatisque teſtimonium reportet. Illo autem Hippocrati decernitur, vt publice magnis myſteriis, quemadmodum Hercules quondam, initietur: ipſis feriis panathenaicis corona aurea, publica præconis voce, ornetur: Coorum liberi, vt Athenienſium, in vrbe educentur: ipſi vero Hippocrati per omnem vitam victus in prytaneo præbeatur.

XIIII. Non minus ſuſpecta eſſe debet, quæ decretum excipit, *Oratio Theſſali, filii Hippocratis, ad Athenienſes*, qua & patris & ſua merita in Græciam & Athenienſes exponit, tandemque pro Cois deprecatur, vt bello eos proſequi deſiſtant. Nulla re opus videtur, niſi vt temporum notas attente conſideremus: ſic fictitio ſermoni fucus abſtergetur. Differit Theſſalus de beneficiis occaſione peſtilentiæ vrbi exhibitis. Commemorat tunc ſe a patre Athenas, fratrem Draconem in Helleſpontum, atque

atque Polybum, Hippocratis generum, cum aliis diſcipulis, aliorſum fuiſſe miſſum. En Hippocratem, tunc XXXI. annos natum, duorum filiorum, arti exercendæ aptorum, patrem, & generum iam habentem.

XV. Nec maior eſt certitudo de veritate illius narrationis tralatitiæ, quod operam ſuam regi Artaxerxi roganti ſuperba epiſtola denegauerit: quamuis famam hanc, ipſasque ſuppoſititias litteras, quæ in confirmationem eius adducuntur, ſatis antiquas eſſe colligamus ex Catonis maioris in Græcos medicos acerba ſententia, apud PLINIVM* relata.

* *Lib. XXIX. cap. 1.*

XVI. Dubitauit iam de genuinitate illarum Illuſtr. EZECHIEL SPANHEMIVS:* quin PLVTARCHVS** ſignificauit ſuſpectas ſibi haberi eiusmodi plures epiſtolas magnis viris tributas. Sed vt hic etiam in ſenſus facile incurrens νοθείας ſignum indicem, attendendum commendo quod a Cois expetatur Hippocrates, a Pæto commendatus, eo præcipue argumento, quod Athenis in peſtilentia multum profuerit, & propterea populi Senatusque decreto honoratus ſit: quum Hippocrates tunc patriam iam diu deſeruiſſet & in Theſſalia conſediſſet.

* *in not. ad* ARISTOPHANIS *Plutum v. 638.*
** *in vita Lycurgi.*

XVII. Quam certa ſint quæ de expeditione Abderitana, ad ſanandum Democritum, referuntur, iam ſuperius attigimus. Certe epiſtolæ illæ decem, quæ Hippocratis operibus annectuntur, & ad argumentum hoc pertinent, quantumuis antiquæ videntur, ita tamen comparatæ ſunt vt lectorem attentum vbique fere offendant, & mille dubia de genuinitate ſua moueant. Nolo multum inhærere huic loco, præſertim quum tot eruditi

viri, quam parum illis tribuendum ſit, expoſuerint: & doctiſſimus D. D. CLERICVS* copioſe de iis egerit, ad quem cupidum lectorem remittere nunc ſufficiat.

* *Hiſtor. medic. part. I. Lib. III. cap. 31.* Addo nunc illuſtris quondam viri IOSEPHI SCALIGERI iudicium, a CL. FABRICIO *bibl. Gr. Lib. II. cap. X. p. 422.* allatum: *de epiſtolis Hippocratis quod ex me quaeris, antiquas eas eſſe ſcio, vt Democriti, Solonis, Pittaci Mitylenaei, quae apud Laertium leguntur. Sed quia omnes illas, quae illis philoſophis a Laertio attribuuntur, multis argumentis confictas a Graecis, quibus numquam mentiendi voluntas aut facultas defuit, probare poſſum, ideo cur & de his Hippocrateis dubitem iuſtiſſima cauſa eſt. Et certe, ſi animi neruos intendere velim, facile non eſſe Hippocratis vincam. Vnicuique iudicium ſuum relinquimus, tutius tamen eſt de eo dubitare, quod facilius eſt confutare, quam aſſerere.*

XVIII. Neque ſatis certum eſt quo anno mortalibus intereſſe, quotque annos natus, deſierit. Qui pauciſſimos ipſi vitae annos adſignant, ſcribunt LXXXV. & deceſſiſſe Lariſſae, Olympiadis CI. anno primo: ſed alii vsque ad CVIIII. annos vixiſſe eum perhibent. Vnicum itaque, quod de Hippocrate Coo certum habemus, eſt illud, fuiſſe eum temporibus belli Peloponneſiaci, & libros de medicina Graece, dialecto Ionica, ſcripſiſſe, quibus meritus eſt vt ab omni poſteritate antiquorum medicinae auctorum princeps haberetur.

XVIIII. De Hippocratis liberis deinde dicemus: nunc de libris diſpiciemus, quorum ſat multi ad nos peruenerunt, vtinam ſalui & non pluribus locis interpolati: de quo ſuo iam tempore acerbas querelas Galenus ſat multis locis protulit. Non dubitandum eſt ex tanto illorum librorum numero aliquos eſſe genuinos Hippocratis foetus: illud modo dolendum eſt, quod non ſatis certi ſimus, quinam ſint illi, & quibus characteribus a veris diſiungi debeant ſpurii.

XX. Satis recte peruidit hanc fundi noſtri calamitatem vitæ ſcriptor Soranus, ſed et cauſas, cur difficile hic ſit verum iudicare, non male expreſſit his verbis: *De ſcriptis ipſius multa diſſenſio eſt: quare fit vt quum alii alia opinentur, non facile ſit de ipſis certum quid pronunciare, ob multas præſertim cauſas, quæ iudicii certitudinem offuſcant. Velut eſt primum quidem cognomen: ſecundo, quod dictionis characterem poſſibile ſit ſeruare: tertio, quod vnus & idem modo robuſtiore, modo remiſſiore dictione per ætatem vtatur.*

XXI. Olim quidem videas de genuinitate librorum Hippocratis iudicium ex eo fuiſſe latum, ſi EROTIANVS* aliquem recenſuit, aut Galeno admittere illum viſum fuit: ſed poſt renatas litteras vir doctiſſimus & diligentiſſimus, HIERONYMVS MERCVRIALIS,** auſus fuit nouam cenſuram librorum Hippocrati tributorum inſtituere & in vulgus edere, ſecundum quam viſum ipſi fuit in quatuor claſſes eos digerere, quarum *prima* Hippocraticos genuinos: *ſecunda*, ab ipſo quidem memoriæ cauſa in chartam coniectos, ſed non elaboratos, deinceps forte perfectos & interpolatos a Polybo, Theſſalo, aliisque ex Hippocratica familia: *tertia* nec incoatos nec elaboratos ab Hippocrate, ſed omnino vel a filiis vel a diſcipulis profectos, ſecundum eius tamen dogmata: *quarta* demum continet ab Hippocratica eruditione alienos & aperte ſpurios, ſub ipſius tamen nomine publicatos. En titulos librorum ad ſingulas claſſes relatorum.

CLASSIS I.

1. De natura humana.
2. De aeribus, aquis & locis.
3. Aphoriſmi.
4. Prognoſtica.
5. De morbis popularibus.
6. De morbis acutis.

7. De

7. De vulneribus capitis.
8. De fracturis.
9. De articulis.
10. De officina medici.
11. Mochlicum.
12. De alimento.
13. De humoribus.
14. De vlceribus.

CLASSIS II.

1. De locis in homine.
2. De flatibus.
3. De ſeptimeſtri partu.
4. De octimeſtri partu.
5. De oſſibus.

CLASSIS III.

1. De carnibus ſ. principiis.
2. De genitura.
3. De natura pueri.
4. De affectionibus.
5. De affectionibus internis.
6. De morbis.
7. De natura muliebri.
8. De morbis muliebribus.
9. De ſterilibus.
10. De fœtatione & ſuperfœtatione.
11. De virginum morbis.
12. De ſacro morbo.
13. De hæmorrhoidibus.
14. De fiſtulis.
15. De ſalubri diæta.
16. De diæta tres libri.
17. De vſu liquidorum.
18. De Iudicationibus.
19. De diebus iudicatoriis.

20. Prædictionum libri III. priores.
21. Coacæ prænotiones.
22. De inſomniis.

Classis IIII.

1. Iusiurandum.
2. Præceptiones
3. De lege.
4. De arte.
5. De arte vetere.
6. De medico.
7. De decenti ornatu.
8. De exſectione fœtus.
9. De reſectione corporum.
10. De corde.
11. De glandulis.
12. De dentitione.
13. De viſu.
14. Epiſtolæ.
15. De medicamentis purgantibus. } Latine tantum.
16. De hominis ſtructura. }

* in prooemio *dictionum Hippocratis.*
** præmiſſa editioni Opp. Hippocratis ab ipſo paratæ.

XXII. Neque tamen Hieronymus hic, vir doctiſſimus, omnium calculos promeruit: quippe v. g. librum de fracturis, quem pro genuino habet, & in claſſe prima exhibet, alii, Galeno & Palladio ſubnixi, referunt ad Hippocratem Gnoſidici F. noſtri auum, & ex epidemiorum libris ſoli primus & tertius tamquam genuini a Galeno multisque aliis admittuntur. Porroque ſecundæ claſſi adiudicat librum de locis in homine, quem D. D. CLERICVS * maxime genuinis accenſum eſſe agnoſcit.

* *Hiſtor. medic. I. p.* 120. *not.* 43. *Ce livre eſt un de ceux, dont tous les anciens ont convenu, comme d'un ouvrage légitime, & non ſuppoſé, d'Hippocrate.*

XXIII. Non patitur inſtituti noſtri modulus, de ſingulis libris referre hoc loco copioſius: aut cenſuras veterum recentiorumque exponere, quibus modo integer liber, modo libri particula, νοθείας poſtulatur. Sed hæc cognituros merito remittimus ad MERCVRIALEM, FOESIVM, FABRICIVM, aliosque, qui de eo ampliſſime egerunt. Vtinam doctus aliquis vir ad examen ſeuere reuocatis omnibus, quæ iam paſſim de hoc argumento dicta ſunt, aut dici vlterius poſſunt, planum medicinæ Hippocraticæ ſtudioſis faciat, ex quibus potiſſimum libris genuinam eius mentem aſſequi poſſint. Quod niſi fiat, de Hippocrate omnia incerta manebunt, nec ratio patebit, qua debeant manifeſte inter ſe pugnantia conciliari, aut vera Hippocratis ſententia diſcerni poſſit.

XXIIII. Non contemdenda eſt D. D. CLERICI * obſeruatio: illos libros, qui plurimum ratiocinii adferunt, maxime eſſe debere ſuſpectos: & merito, quum non ſolum antiquitatis certiſſimus character ſit maxima ſimplicitas, & potius experientiæ robur quam ratiociniorum fucus, verum etiam Hippocrati ſeorſim tribuatur, quod medicinam a philoſophia ſeiunxerit.

* *hiſtor. medic. Lib. III. pag.* 229.

XXV. De moribus & virtutibus Hippocratis noſtri non niſi præclariſſima quæque afferri poſſunt: nec memini me quicquam legere apud veteres auctores, quo vitiorum inſimularetur. Optime etiam format medicum ſuum, quod apparet ex libellis vetuſtiſſimis Hippocrati tributis, *Iureiurando*, *lege*, *præceptionibus*, *de decenti ornatu*: quos tamen certo ad Hippocratem Coum noſtrum pertinere minime inter omnes conſentitur. Modeſtiam eius & veracitatem, characteres certe fidelis doctoris, ex eo æſtimes, quod apud ipſum plures fere caſus hominum a morbo non liberatorum, ſed mortuorum,

tuorum, legas, quam ſanatorum. Nec immerito ipſum CELSVS * noſter laudat, quod errorem ſuum, in aliorum admonitionem, non reticuerit. *A ſuturis ſe deceptum eſſe* HIPPOCRATES ** *memoriæ tradidit, more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, conuenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, præcipueque in eo miniſterio, quod vtilitatis cauſa poſteris traditur; ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt. Sed hæc quidem alioquin memoria magni profeſſoris, vti interponeremus, effecit.*

* *Libr. VIII. cap.* 4.

** *Epidem. V.* §. 14. adde *de vulneribus capitis* §. *XVI.* Hæc vero Hippocratis laudatiſſima ingenuitas fraudi ipſi fuit apud Illuſtrem virum ROBERTVM BOYLE, *qui exercit. V. de vtilitate philoſophiæ experim. p.* 192. ita ſcribit: *Reuera penes me non parum Hippocratis auctoritati decedit, quod in ſcriptis ſuis tot ægrotorum epiphonema* ipſos mortuos eſſe, *legerim.* Sed alius Britannus, vir non mediocris, MART. LISTERVS, *Exercit. de hydrope p.* 41. videtur ſatis recte ipſi reſpondere: *A me ſane abſit illa quorundam nuperorum ſcriptorum iactantia, qui nihil exhibent, niſi quod bonum euentum habuit: errores & infortunia caute abſcondunt. Aliter autem nobis profuit magnus Hippocrates, apud quem fere non niſi caſus funeſti occurrunt, ac ſi iidem potioris doctrinæ eſſent.*

XXVI. Ante quam ad conſiderationem doctrinarum Hippocratis progrediamur, diſpiciendum nobis eſt, quid ſibi velit CELSVS *, quando ſcribit: *Hippocrates Cous primus quidem ex omnibus memoria dignis ab ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc ſeparauit, vir & arte & facundia inſignis.* Videtur autem mihi CELSVS de Hippocrate ſic iudicans, reſpexiſſe ad illum locum **: *Non cenſeo medicinam vana ſuppoſitione indigere* (κενῆς ὑποθέσιος δεῖται) *velut obſcura & imperueſtigabilia, de quibus ſi quis dicere conetur, neceſſe eſt hypotheſin aliquam aſſumere.* Id quo pacto intelligat, ipſemet exponit ***: *Ad*

eos nunc ſermonem dirigam, qui nouo quodam more artem ex fundamentis ſuppoſitis (ἐξ ὑποθέσιος) *quærunt. Si enim calidum eſt aut frigidum, aut ſiccum aut humidum, quod hominem lædit, & oportet recte medentem auxiliari, calido quidem in frigidum mutato, frigido autem in calidum, ſicco in humidum, humido in ſiccum.* Ex quo apparet, auctorem huius libri parum magnifice ſenſiſſe de illis, qui medicinam phyſicæ ſpeculationi innexuerunt, & ex illis a priori, vt ſcholæ loquuntur, artem intelligi poſſe aut debere ſibi aliisque perſuaſerunt.

* *præfat. lib.* I. ** *de priſca medicin.* §. 2. *** *ibid.* §. 22.

XXVII. Nimirum quum medicina Græcanica ante Hippocratis tempora, quoad maximam ſui partem, fuiſſet ars religioſe decipiendi, quod ipſe palam declarat libro *de morbo ſacro*: deinde vero philoſophi, in Græcia potiſſimum maiori, cœpiſſent illam pſeudodoxiam epidemicam arguere, & medicinam in libertatem adſerere: videntur iidem philoſopho-medici in alterum extremum fuiſſe delapſi, vt artem, experientia & ratione conſtantem, ſoliis ratiociniis implicarent, & experientiam illi poſtponerent.

XXVIII. Quum autem fieri non poſſet, vt philoſophiæ naturalis tunc naſcens ſtudium ſatis ſolida principia diſcentibus adferret, plerisque ſanitatis conſeruandæ aut reparandæ indicationibus ſufficientia: animaduertit Hippocrates illas ſuppoſitiones fallere debere, quum veram experientiam falſitatis arguere nefas ſit. Puto id elucere ex modo laudati libelli* his verbis: *Medici quidam, itemque ſophiſtæ, dicunt, quod impoſſibile ſit medicinam cognoſcere eum, qui non nouit, quid ſit homo, & quomodo primum factus & compactus ſit. Ego vero ea, quæ ab aliquo ſophiſta aut medico de natura dicta aut ſcri-*

pta

pta ſunt, minus cenſeo medicæ arti conuenire, quam pictoriæ. Iudico autem de natura aliquid manifeſtum ac euidens cognoſcere ex nulla parte aliunde contingere, quam ex medicina. Atque hoc tunc condiſcere poſſibile eſt, vbi quis ipſam medicinam totam recte comprehenderit. — Atqui mihi neceſſarium eſſe videtur, vt omnis medicus de natura ſciat, & omni ſtudio annitatur, vt cognoſcat, qualis ſit homo ad ea, quæ comeduntur ac bibuntur, comparatus, & quid cuique ab vnoquoque contingat ac accidat.

* *de priſc. medic.* §. 36.

XXVIIII. Apparet, ni fallor, quo ſenſu Hippocrates naturæ cognitionem, & qualem, in medico requirat, ſcilicet eam, quæ per experientiam ſeu collectionem effectuum, quos ſingula extra nos poſita in corpus noſtrum edunt, comparatur. Et hoc pacto ſimul intelligitur, quo iure veteres Hippocratem rationalis medicinæ principem laudare potuerint: ſcilicet quoniam primus fuit ex iis longe clariſſimis auctoribus, illius medicinæ partis, quæ victu morbos curat, qui, vt CELSVS * perite ſcribit, *etiam altius quædam agitare conati, rerum quoque naturæ ſibi cognitionem vendicauerunt, tamquam ſine ea trunca & debilis medicina eſſet.* Dico autem, præeunte Celſo, rationes a medico requiſitas fuiſſe olim tantum in parte illa, quæ victu morbos curat, ſeu diætetica, easque tantum ab effectu ſingulorum, quæ vel intra corpus aſſumuntur, vel corpus exterius afficiunt, petitas.

* *præfat. libr.* 1.

XXX. Adeoque Hippocrates a philoſophia medicinam ſeparauit hoc ſenſu, vt nihil voluerit ex philoſophia ad medicinam a priori diſcendam adferri: ratio-

 nalis

nalis autem medicinæ diæteticæ auctor illo dicitur intuitu, quod ex ipſis phænomenis, quæ praxis quotidiana ſuppeditat, colligendam eſſe philoſophiam naturalem medico vtilem & neceſſariam ſuos admonuerit, & exemplo optimo in hoc ſtudio præiuerit. Atque adeo phyſica Hippocratis doctrina nihil fuit præter collectionem obſeruationum, per experientiam cognitarum, de effectibus rerum extra nos poſitarum, corpus noſtrum, ſi vel intro ſumta ſunt, vel quocunque modo nos affecerunt, iuuandi vel lædendi viribus inſtructarum. Omnem autem ſpeculationem, hos fines excedentem, inutilem medicinæ cenſuit, & ad ſophiſtas amandauit.

CAP. II.

De dogmatibus Hippocratis phyſiologicis.

CONSPECTVS.

Hippocratem faciunt magnum anatomicum, circulique ſanguinis probe gnarum. I.

Quibus argumentis hoc contendant. II. III.

Sed multis difficultatibus premitur hoc aſſertum. IIII.

An hominum cadauera ſecuerit. V-VIII.

Vrget naturæ cognitionem. VIIII.

Quid vero naturam dixerit obſcuriſſimum eſt. X. XI.

Obiter de atheiſmo Hippocrati imputato. XII-XIIII.

An naturam Hippocrates intelligat animam rationalem. XV.

Quid de generationis negotio docuerit. XVI.

Feminis æque ac viris ſemen tribuit. XVII.

Quomodo formationem fœtus propoſuerit fieri. XVIII.

Originem hominis ex ouo intellexit. XIX. XX.

Quid de nutritione & articulatione fœtus docuerit. XXI-XXIII.

Quando fœtus articulari incipiat. XXIIII.

Quam partus tempeſtiui cauſam dederit. XXV.

De partus tempore. XXVI.

An vterum humanum Hippocrates probe cognouerit. XXVII.

Speci-

Specimen dubium medicinæ forenſis. XXVIII.
De arteriis, venis neruis aliisque parum diſtincte loquitur. XXVIIII.
Pulſus arteriarum cauſam non aſſequutus eſt. XXX.
Quid ſpiritus nomine intellexerit. XXXI.

I.

Quo vero melius cognoſcamus qualis & quantus Hippocrates fuerit, iuuabit ipſum, ſecundum medicinæ ſingulas partes, conſiderare. Faciamus ab anatomes doctrina initium, in qua quidem diſciplina perhibetur adeo omnia ad vnguem perquiſiuiſſe, vt & ſanguinis circulationem eum probe cognouiſſe LINDENIVS,* aliique, operoſe contenderint.

* qui nouem ſupra viginti diſputationibus publicis id demonſtrare conatus eſt, teſte *Almelouenio in inuent. nouantiq.* §. 28. *p. m.* 226. Rariſſime eas venales exponi idem teſtatur. Mihi videre illas nondum licuit.

II. Maxime vrgent quod Hippocrates, vbi de ſanguine ſermonem habet, ſæpe meminerit alicuius περιόδου: quo eum manifeſte deſignare circulum ſanguinis contendunt, quoniam iugem ſanguinis motum ab internis ad externa, & e diuerſo, hoc eſt a centro ad circumferentiam, inculcat. At vero nemini Hippocratem ſine præiudicio legenti obſcurum eſſe poteſt, quod ſtatuerit quidem dari fluxum & refluxum ſanguinis: non autem illum a corde per arterias in venas, perque has ad cor reditum, ſed per easdem ſemper venas, euripi in morem, fieri illum circulum intellexit: vt iam olim docuit ARCHIBALDVS PITCARNIVS.*

* Apud MANGETVM *in theatr. anatom.*

III. Eodem fine adducunt quod obſeruauerit Hippocrates arterias a corde deduci, earum, vt & venarum truncos ad cor eſſe maximos, &, vt accuratum virum agnoſcas, valuularum ad cor poſitarum cognitionem ipſum commendaſſe. At vero vt de valuulis obiici poſ-ſet

ſet earum mentionem non niſi in libro manifeſte ſpurio fieri: ſic reliqua ita comparata ſunt, vt ab eorum cognitione aut profeſſione ad cognitionem circuli ſaguinis quicquam concludere nequeamus; quum manifeſtum ſit etiam illos, qui circulationi ab Harueo propoſitæ acerrime contradixerunt, hæc omnia nouiſſe & docuiſſe.

IIII. Concipi autem mente nequit, qui fieri potuerit vt tam nobile dogma Hippocratis, ſi omnino tam notum ſcholæ eius fuit, quemadmodum contenditur, adeo cito aboleretur vt Polybus, diſcipulus, gener & ſucceſſor Hippocratis, vt GALENVS* teſtatur, maxime genuinus, quique in nulla re ab ipſo diſceſſit, propalauerit a vero alieniſſimam doctrinam, de quatuor venarum paribus a capite ortis, atque per totum corpus diſſeminatis, quam ARISTOTELES** benignius excuſare non poteſt, quam ea coniectura, quod veteres venarum vias non niſi in extenuatis corporibus, vbi per cutem transparent, obſeruauerint. Eadem vero doctrina totidem omnino verbis in Hippocrateis monumentis hodieque bis *** legitur: ætate vero Galeni etiam ter omnino exſtabat: quo eodem teſte diſcimus fuiſſe ſua adhuc ætate medicos, qui ſe tum demum genuinos Hippocrateos exiſtimarent, ſi inani & falſo iſti dogmati pertinaciter adhærerent.

* *procœm. comment. I. in de natur. hum.* ** *hiſtor. animal. III. cap. III.*
*** *de natur. hum.* §. *XX. pag.* 275. *de venis* §. *XI. pag.* 300. edit. Linden. tertium locum in ſecundo de diæta libro exſtitiſſe Galenus indicat.

V. Poſſemus certo adſerere Hippocratem hominum cadauera diſſecuiſſe, ſi probari poſſet *librum de venis* eſſe genuinum. In eius enim principio hæc leguntur: *ſemen velut fauus ab vtraque veſicæ parte eſt*. Sed iam dudum GALENVS* illum catalogo τῶν προφανῶς νόθων, *manifeſte*

ſpurio-

ſpuriorum non obſcure inſeruit: & Galeno antiquior Erotianus plane ignorauit.

* *de placitis Hippocr. & Platon. lib. V. pag.* 300.

VI. Videtur clare colligi ex fine libelli *de oſſium natura* Hippocratem oſſa hominum tractaſſe, & forte ſceleton, vt hodie paſſim fit, vel ipſum poſſediſſe vel ſaltem alicubi vidiſſe. Sed ſi recte conſideremus libellum incertiſſimæ auctoritatis, apparet totam illam particulam a recentiori quodam auctore eſſe appoſitam, vt corrigeret quod breui ante de ſpinæ viginti oſſibus male fuerat traditum.

VII. Nec ſolus hic locus eſt qui, obiter inſpectus, ad ſceleta apud Hippocratem quærenda nos inducere queat; ſed conantur aliqui eadem, in ſubſidium vocato PAVSANIA,* ipſi vindicare. Sed omnino apud Pauſaniam nihil dici, quod ad ſceleton referri debeat; alio loco fuſius diſputaui.**

* *Libr. X. cap. II. pag.* 803.

** *hiſtor. anatom. Specim. I. §. XXVI.* vbi & alius Hippocratis locus expenditur.

VIII. Nihil itaque vereor profiteri de Hippocrate me nondum conuictum & certum eſſe quod homines diſſecuerit: quum nec in ſcriptis certa ac indubia argumenta occurrant, nec videam qui potuerit Hippocrates ſuperare illa impedimenta, quæ omnibus Græcis, humana corpora ſecturis, obiecta erant, quæque ſupra attigimus.

VIIII. Plura de Hippocratis anatome non addo & commode progredior ad phyſiologiam eius. Vrget ſcilicet quam multis locis, principium in medicina addiſcenda eſſe debere cognitionem naturæ: ſed oppido obſcurum eſt quid naturam dicat. Videtur autem commu-

niſſima acceptio eſſe illa, quæ conformationem & conſtitutionem corporis, quoad ſingulas partes, denotat. Sic quando Hippocrates libelli de locis in homine prooemium abſoluit & nunc tractationem inſtituere vult; ita ſermonem orditur: *Ceterum natura corporis, principium ſermonis in arte medica.* Hanc expoſiturus ſtatim incipit, initio a capite ducto, naturalem ſtructuram & conformationem partium exponere. Eodem modo procedit, vbi de articulis ſpinæ * conſtitutum eſt agere. *Oportet autem*, inquit, *ſpinæ naturam, qualis eſt, noſcere.* Et deinceps ſtructuram eius anatomice exponit.

* *lib. de articul.* §. 41.

X. Atque his quidem locis apparet Hippocratem ad naturam maxime referre corporis ſtructuram, adeoque eam diſciplinam, quæ hanc ſcrutatur, impenſe commendare: veruntamen non vlterius, quam ad practicam vtilitatem pertineat: quod quidem clarius innoteſcit ex libro *de vetere medicina*,* vbi philoſophos quosdam ac medicos longius euagatos coarguit, diſtinctionemque inter phyſiologiam medicam & philoſophicam ſatis clare vrget. Sed illum locum iam ſupra ** vidimus, vbi quærebamus quomodo intelligendum ſit quod Hippocrates medicam diſciplinam a philoſophia primus ſeparauerit.

* *textu XXXVI.* Et quoniam hic liber eſt ex illis, quos aperte ſpuriis annumerauit Mercurialis, conferri meretur libri *de natura humana* initium, vbi in eundem ſenſum Hippocrates loquitur: de huius autem libri genuinitate, nemo, quod ſciam, dubitauit.

** *Sect. III. cap. I.* §. 28.

XI. Naturis Hippocrates paſſim tribuit, quod ſint morborum medicatrices. Hoc adſertum variis, vt quisque hypotheſi ſuæ conuenire arbitratus eſt, expoſitionibus varii tentauerunt & ad ſua placita rapuerunt. Ego vero

vero ingenue fateor me nondum clare intelligere quænam fuerint notiones illæ, quas Hippocrates de naturis medicatricibus habuerit: præſertim quum ad hanc rem elucidandam longiori diſputatione opus ſit, qua quæri & declarari debet quid Hippocrates de anima humana ſenſerit, quidque ſit calidum illud innatum, quod ab ipſo ſcholæ medicæ acceperunt. Quo minus vero ad illam deſcendam, quæque olim de hoc argumento meditatus & commentatus ſum, nunc proferam, deterret me tum ipſius argumenti huius, prolixum ſermonem poſtulantis, amplitudo, tum illa incertitudo de genuinis monumentis Hippocraticis, de qua antea conqueſtus ſum.

XII. Multo minus immorari placet illi quæſtioni, vtrum Hippocrates de DEO recte ſenſerit? quum ad medicinæ hiſtoriam parum faciat. Præcipuus certe locus ex quo vir Illuſtris D. NICOL. HIERONYMVS GVNDLING oſtendit cum Heraclito communem errorem animo fouiſſe Hippocratem, deſumtus eſt ex libro qui *de principiis*, vel, ſecundum alios, **de carnibus* inſcribitur, quem Mercurialis tertiæ claſſi, illorum ſcilicet qui Hippocratem auctorem non habent, adiudicauit. Et quum ipſo principio libri auctor profiteatur ſe communem hypotheſin aliquam nunc ſtabilitum ire: in eo repugnat ſane alii adſerto Hippocratis quaſi characteriſtico, quo medicinam hypotheſi non indigere contendit; illique communi veterum de Hippocrate traditioni, quod philoſophiam a medicina ſeiunxerit.

XIII. Sunt quidem alia in ſcriptis Hippocrateis, præter modo indicatum, loca, quæ trahi in hunc ſenſum poſſe videntur, ſed non æque clara: quibus excuſationem meliorem non inuenimus, quam, quod ingenue fatendum eſt, Hippocratem, vt hominem paganum, eximi non poſſe communi illo elogio, quo omnes

philoſophi veteres comprehenduntur, ſcilicet Paulino, quo vixiſſe dicuntur ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ. Nam quum oppido pauci, ſi modo quiſquam illorum, effugerint illum ſcopulum, ad quem hærentes Deum materiæ confundebant, ipſumque animam mundi ſtatuebant: apparet quam late illud falſæ philoſophiæ venenum fuerit diſperſum.

XIIII. Ceterum abſit vt Hippocratem profeſſis atheis annumerari ſinamus. Tot inſunt ſcriptis eius documenta, quæ pietatem, quanta in hominem paganum cadere poteſt, ſummam ſpirant, vt iniuſtiſſimi ſimus oporteat, ſi ipſum alio ſenſu, quam qui calamitoſam conditionem inuoluit, id eſt homini ſine concurſu reuelationis nullo pacto diſcutiendam caliginem, hac accuſatione onerari vellemus.

XV. Sæpius mirari ſubit aliquos noſtri æui ſcriptores, qui Hippocrati tam ſollicite vindicare ſtudent illam hypotheſin, quæ animam hominis rationalem & naturam idem eſſe ſtatuit. Si clariſſime demonſtratum id dederint, nihil aliud, opinor, conſequentur, quam vt ſe impietatum Spinoziſmi ſuſpectos ſpontanea confeſſione reddant. Sed & difficillimum puto illum conſenſum Hippocratis euincere: ſupponit enim hæc demonſtratio vt prius Hippocrati vindicetur eadem idea animæ rationalis, quam nos habemus: quod quidem non facillimum factu exiſtimo.

XVI. Sed iuuabit dogmata quædam Hippocratis phyſiologica propius intueri, ſumto ab iis, quæ de hominis generatione tradita leguntur, exordio. Et quoniam longum eſſet ſingulorum aſſertorum genuinitatem hic examinare, teſtimonia vbi exſtent accurate indicaſſe mihi nunc ſufficiet. Semen* viri docuit prouenire ab omnibus corporis partibus, tam ſolidis quam mollioribus & humi-

humidis: ita vt id quod robuſtiſſimum eſt ſecernatur. Illud vero ſecretum ab omnibus partibus, præcipue vero a capite, ad medullam ſpinalem confluere, hinc ad renes, viis ab vrinariis quidem diuerſis, ſed contiguis, per venas deferri; per ipſos teſtes autem, beneficio neruorum tenuium ac crebrorum, in pudendum deduci. Hos neruos, dum aliquantulum teruntur, caleſcere ac impleri: hinc humidum in corpore caleſcere, diffundi, a motu conquaſſari ac ſpumeſcere.

* *de genitura*, §is quinque prioribus *ed. Linden.*

XVII. Feminas* non minus viris ſemen emittere: quod ſi cum virili mixtum in matrice retineatur, conceptionem fieri docet: ſi effluxerit, irritum eſſe coitum. Ceterum in maſculo & femina genituram eſſe femineam & maſculam: quod ſi igitur ab vtrisque fortius ſemen emittatur, maſculum concipi: ſi debilius femininum.

* *ibidem* §is quatuor poſterioribus.

XVIII. Vtraque vero genitura* vtero retenta ibidem miſcetur, coaceruatur & craſſa per calorem redditur: deinde ſpiritum concipit, vtpote in calido exiſtens, & matre reſpirante. Vbi vero ſpiritu repleta eſt, viam hic ipſe ſibi foras facit, & per mediam genituram erumpit. Quum autem ſpiritui calido via foras facta eſt, rurſus alius frigidus a matre inſpiratus ſubit: atque ſic per vices ſpiritus omni tempore emittitur, nouusque attrahitur per fiſſuram, vnde nutritur. A ſpiritu hoc inflata genitura pelliculam acquirit: circumtenditur enim quod forinſecus circum ipſum eſt, continuumque euadit, vtpote viſcoſum exiſtens, quemadmodum panis caleſcens & inflatus eleuatur: qua parte vero inflatur, iſthic pelliculæ ſpecies excitatur & conſiſtit. Per illam tamen pelliculam, quæ ad paucitatem & rotunditatem redactam genituram includit, ſpiritui tranſitus extra introque permittitur.

* *de natura pueri* §is quatuor prioribus.

XVIIII. Vnde hoc didicerit non diſſimulat.* Obtigiſſe enim ſibi conſpiciendam genituram ſex dierum, a matrice feminæ cantricis eliſam, quam conſpexit *velut ſi quis ouo crudo externam teſtam circumcirca adimat, in interna vero pellicula incluſus liquor pelluceſcat -- ruber erat liquor & rotundus. In pelliculis vero fibræ quædam albæ ac craſſæ ineſſe videbantur -- iuxta medium vero tenue qui eminebat, quod mihi vmbilicus eſſe videbatur, & per illum ſane ſpirationem extra & intro primum facere apparebat.*

* *Ibidem* §. 4.

XX. Atque hæc ſunt verba, quibus doctiſſimus ALMELOVEENIVS* putat probari poſſe veteribus veſiculas illas ſeminales, quæ oua ab hodiernis medicis vocitantur, deſcripta & cognita fuiſſe, etſi tam exactam, qualem nos habemus, fuiſſe cognitionem minime contendit. Quod eo libentius concedimus, quum ipſemet Hippocrates deinceps** ad experimenta, in ouis a gallina incubatis inſtituenda, diſerte prouocet.

* *Inuent. nou-antiq.* §. *XV.*

** *Ibidem.* §. 35. 36.

XXI. Quomodo conceptus fœtus nutriatur, ex his eius verbis colligetur:* *Sanguis a toto corpore mulieris deſcendens in orbem forinſecus pelliculam circumſtat, ſimulque cum ſpiritu ſanguis intra per pelliculam trahitur qua parte perforata eſt, congelaturque & futuro animali augmentum præbet. Cum tempore autem aliæ pelliculæ intra primam pelliculam tenues & multæ circumtenduntur, eo modo quo prima pellicula facta fuit. Sunt autem & hæ ab vmbilico protenſæ & inter ſe mutua ligamenta habent. Quum vero iam hoc factum eſt, ex deſcendente a matre ſanguine & congelato* (πηγνυμένου) *caro fit.*

Iuxta

Iuxta mediam autem carnem vmbilicus exit, per quem ſpirat ac alimentum & incrementum capit.

* *Ibidem* §. 5.

XXII. Dictam modo carnem, id eſt prima fœtus rudimenta, temporis progreſſu augeſcentem, a ſpiritu articulari docet, & abire in hac vnum quodque ſimile ad ſimile, denſum ad denſum, rarum ad rarum, humidum ad humidum, & vnum quodque in propriam regionem, iuxta cognationem ad id a quo genitum eſt, ita vt quæcunque a denſis genita ſunt denſa euadant, quæcunque ab humidis, humida fiant: & reliqua iuxta eandem rationem procedant. Hæc vero vt eueniant omniaque inter ſe coarticulentur, ſpiritum (πνοὴν) efficere. *Nam inflata diſparantur omnia*, inquit, *iuxta cognationem.* Quod oraculum vt melius intelligamus, experimentum inſtituere iubet, quo inflationis effectus a ſpiritu in oculos incurrat. Scilicet veſicæ iubet fiſtulam alligare, & per hanc imittere in veſicam terram & arenam & plumbi tenuia ramenta, inſuperque infuſa aqua in fiſtulam inflare: quo futurum pollicetur primum quidem vt illa aquæ permiſceantur, deinde vero temporis progreſſu inflata ſecedant, abeatque plumbum ad plumbum, arena ad arenam & terra ad terram.

* *ibid.* §. *octauo & nono.*

XXIII. Quod ſi cum his ex vnô libro adductis alia Hippocrati tributorum librorum loca * contuleris, facile colliges ſpiritus efficaciam ad articulationem illam peragendam latius patere: neque ſolum aerem, quatenus miſcet & quaſi conturbat humorum maſſam, conſiderari debere: verum etiam quatenus eſt ignis & aquæ vehiculum, & cum ipſo anima irrepit, & in corpore ſenſim augeſcit.

* vide locum inſignem *de diæta I.* §. 18. 19. qui liber, ex *Mercurialis* cenſura, ad illos pertinet, qui non ab ipſo quidem Hippocrate

pocrate profecti, ſed ad ſenſum & dogmata eius a filiis vel diſcipulis elaborati ſunt: vt & ipſe ille *de natura pueri*, ex quo ſuperiora retuli, nuncque referre pergam.

XXIIII. Hanc coagmentationem * & coarticulationem incipere ſtatuit in femella quidem, vt longiſſime, quadraginta duobus a conceptione diebus: in maſculis vero, vt longiſſime, triginta: atque pro eo etiam purgationes a partu tardius aut citius perfici, vt puerpera vel filium vel filiam enixa fuit.

* *de nat. puer.* §. *X.* & *XIII. XIIII.* Conf. *de diæt. I.* §. 19. vbi aliqua differentia notatur, forte librariorum culpa in codices introducta. Cauſa, cur non omnes fœtus æque cito exornentur & diſcriminentur, hoc loco adiicitur: *prout ſinguli & ignem & alimentum fuerint nacti.*

XXV. Cur fœtus decem menſibus exactis in lucem edatur *, cauſam adſignat defectui nutrimenti: quem ſentiens fœtus calcitret membranasque disrumpat: quod iterum exemplo pullorum volatilium ex ouis excluſorum comprobat.

* *de nat. puer.* §. 40. 41.

XXVI. Vt partus legitimus beneque vitalis fiat, requirit *, vt fœtus periodum XXXX. dierum in vtero ſepties exegerit: quo tempore nati ſatis cenſentur robuſti, vt plerique eorum poſſint ſuperuiuere. Sed & tolerabilem eſſe partum ſeptimeſtrem, ſcilicet qui diebus CLXXXII & paulo plus dimidio diei exactis, in lucem editur: quorum aliqui durare obſeruantur. Scilicet ſeptem menſibus exactis ad perfectionis principium fœtus peruenit, & pelliculæ, in quibus ab initio nutritus fuit, quemadmodum in frugibus ſpicarum membranæ, laxari incipiunt. Quod ſi vero contingat, vt illo tempore fœtus validius ſe mouere & exitum quærere incipiat: neque tamen ſeparandis & perrumpendis membranis ſufficiat, delaſſatum illum ægrotare & quiete per quadraginta dies indi-

indigere. Quod ſi vero contingat ante exactum hoc refectionis tempus partum fieri octimeſtrem; talem negat poſſe eſſe vitalem. Optime autem cum fœtu agi, ſi nec nono menſe prodeat, ſed iterum xxxx diebus deliteſcat.

* libris *de partu ſeptimeſtri & octimeſtri.* Quisquis accuratius hæc & ad calculos reuocata noſcere cupit, adeat PROSPERI MARTIANI in hos libros annotationes, vel aliorum, qui de hoc argumento ex inſtituto ſcripſerunt, lucubrationes. Valde autem multas calamitates & rixas inter homines hoc nudum, nullaque idonea ratione ſuffultum, Hippocratis placitum attulit, poſtquam veteres ICti illud ſatis inconſulte arripuerunt, ipſique legis auctoritatem addiderunt. Sed hodie forte nemo ſupereſt, qui tam male fundatæ ſententiæ amplius adhæreat.

XXVII. Quando rationem dare nititur, qui fiat, vt ab vno coitu gemelli naſcantur, hanc adducit*: *Vteri ſinus frequentes & curuos habent, alios remotiores, alios propinquiores pudendo:* quod quidem anatomici conſiderent, quam recte ſit dictum de humano vtero: nobis iam non licet eſſe prolixioribus.

* *de nat. pueri §. XXXXIIII.*

XXVIII. Quærit etiam, qui fiat, vt nati modo huic modo alteri parenti ſimiles ſint: cur quidam coniuges plerumque filios generent, alii filias: de quo referre magis forte curioſum eſſet quam vtile. Non poſſum tamen, quin occaſione hac ex diuo HIERONYMO* adducam Hippocrateum quid, de quo iam non memini me in ſcriptis eius quicquam legere. Sic autem habet: *Scriptum reperitur in libris Hippocratis, quod quædam ſuſpicione adulterii fuerat punienda, quum pulcerrimum peperiſſet vtrique parenti generique diſſimilem, niſi medicus memoratus quæſtionem ſoluiſſet, monens quærere, ne forte talis pictura eſſet in cubiculo: qua inuenta mulier a ſuſpicione liberata eſt.* Memorabilis videtur locus, quoniam, mihi ſaltem, nondum occurrit antiquius veſti-

 gium

gium medicinæ forenſis, quam quod in hac narratione ſatis clarum conſpici exiſtimo.

* *Quæſt. Ebraic. in Geneſin pag. 222. edit. Froben.* Hiſtoriam haud multum diſſimilem legimus apud GALENVM *de theriac. ad Piſonem.* Is vero antiquam vocat hiſtoriam, ſed Hippocratem auctorem non nominat. Confer, ſi placet, IOAN. BAPTIST. SYLVATICI *hiſtor. medicin. VI.* qui ex Galeno eandem repetit, ſed nec ipſe ſe apud Hippocratem legiſſe aliquid de eo memorat.

XXVIIII. Hæc paulo latius ediſſerere viſum fuit, vt ſpecimen phyſiologiæ Hippocraticæ darem: nunc brevius ſtrictiusque nonnulla attingam. Ante omnia notandum eſt, ſæpe apud Hippocratem vno generali nomine diuerſas res deſignari: cuiusmodi ſunt vocabulum φλέψ, quod non ſolum *venam*, verum etiam *arteriam*, quin omnino *neruum* denotat; quemadmodum nobis plene perſuadent multa exempla, quæ quidem deſideranti ſuppeditabit doctiſſimus & Hippocratis omniumque antiquorum medicorum ſtudioſiſſimus IO. ANTONID. VAN DER LINDEN.* Non minus late patet ſignificatus vocabuli νεῦρον, quod *neruum* exponimus, quo deſignantur aliquando nerui illi, quos nos hodie vocamus, verum ſæpiſſime ligamenta & tendines. Quin ipſum vocabulum αἷμα non idem vbique valet, ſed aliquando etiam pro pituita, ſeu ſero, quam nos hodie lympham vocamus, accipitur.**

* *Medicin. phyſiolog. cap. XVI. pag. 819. ſeqq.*

** docet hoc exemplum, quod *de glandulis* §. 1. legitur, vbi in deſcriptione earum commemorat quod φλέβας, vaſa crebra habeant, *ſi vero diſſeces, ſanguis largus erumpit*, αἱμοῤῥαγίη λάβρος, *ſpecie albus & velut pituita*, οἷον φλέγμα. Qua occaſione notamus veteribus aliquem ſubinde ſermonem eſſe de ſanguine albo. HOMERVS *Iliad.* ε *v.* 340. & 416. diis immortalibus talem tribuit. Apud PHILOSTRATVM *de vita Apollon. Tyan. Lib. III.* 27. adducuntur Indi ſapientes, qui Apollonium docent margaritas oriri ex ſanguine albo oſtrearum erythræi maris.

Et forte pretium, quod hominum æſtimatio margaritis impoſuit, non minima ex parte debetur perſuaſioni iſti, quod originem immortali naturæ non diſſimliem nactæ ſunt. Forte etiam antiquiores Aegyptii de ſanguine albo aliquam doctrinam habuerunt. Docet enim CHAEREMON *Stoicus*, a D. HIERONYMO *aduerſ. Iouinianum II. pag.* 78. 79. citatus, credidiſſe Aegyptios ſacerdotes lac eſſe ſanguinem colore mutato. Præſens vero Hippocratis locus perſuadet vel ductum quemdam excretorium, forte pancreatis, vel vas lymphaticum diſciſſum auctori libri obſeruationem illam ſuppeditaſſe.

XXX. Quid de arteriis cognitum habuerit, docere poteſt ſequens locus: *Aliæ duæ venæ iuxta tempora feruntur, in medio temporum & aurium, quæ premunt oculos & ſemper pulſant. Solæ enim hæ ex venis ſanguine non rigantur: ſed auertitur ex ipſis ſanguis. Qui autem auertitur influenti occurrit, & qui auertitur, volens diſcedere, qui vero ſuperne influit volens infra procedere, hic impelluntur ac diffunduntur, ac mutuo circumagitantur & pulſum venis exhibent.*

* *de locis in homin. §. 6.*

XXXI. Nihil frequentius eſt apud Hippocratem mentione ſpirituum, vt partim ex antecedentibus patebit. Sed obſcuriſſimum eſt quid ſpirituum nomine denotare velit. Certe fluidum illud nerueum, cui noſtro æuo id nominis tribuitur, non poſſumus Hippocrati ſecure tribuere, quum de cerebro parum vero conſentanea apud ipſum legamus. Vtitur autem diuerſis vocabulis ad ſpiritus deſignandos. Modo enim πνεῦμα, modo πνοὴν, alio tempore φῦσαν vocat ſpiritum, & ſingulis in negotio tam ſanitatis quam morborum partes ſuas tribuit. Ex plurium locorum conſideratione videor mihi intelligere, ſpiritus Hippocrati deſignare frequentiſſime aeream quandam ſubſtantiam, reſpirando in corpus attractam, eiusque omnem ſubſtantiam intime ſubeuntem, ipſique ſe permiſcentem: de quo plura cu-

pientem remitto ad doctiſſimos viros ANVTIVM FOESIVM,* IOAN. GORRAEVM** & FR. VALLERIOLAM:*** vt & Hippocratis commentatores.

* *in Oeconom. Hippocr.* vocibus πνεῦμα, φύσα.

** *in definit. medic.* voce πνεῦμα.

*** *in locis medicin. communibus libr. I. cap.* 16. quo loca Hippocratis vno intuitu conſiderare licebit.

CAP. III.

De pathologia & prognoſi Hippocratis.

CONSPECTVS.

Hippocrates alicubi videtur omnes morbos a flatibus deducere. §. I.
Exempli loco datur pathologia febrium intermittentium. II - V.
Sed alibi febres ad humores, ſeorſim bilem, refert. VI.
Apoplexiæ & hydropis generatio ſecundum Hippocratem. VII.
Nec non morbi ſacri. VIII. VIIII.
A quo Hippocrates cauſam diuinam excludit. X.
An omnino Hippocrates negauerit Deos inducere homini morbos. XI. XII.
Quid τὸ θεῖον *in morbis dixerit.* XIII. XIIII.
An aſtris aliquid in hoc negotio tribuerit. XV.
Aeri, aquis, locis plurimum adſcripſit. XVI.
Nec minus quotidiano victui. XVII.
In cauſis morborum proximis detegendis parum profecit. XVIII.
Quid veterum diligentia in pathologia præſtiterit. XVIIII.
Hiſtoriam morborum recte condere allaborarunt. XX.
Exitus ſingulorum adnotarunt. XXI.
Hinc orta eſt doctrina de criſibus. XXII.
Et diebus criticis. XXIII.
Quorum rationes ſcrutari Hippocrates ſuperſedit. XXIIII.
Origo huius dogmatis ad Pythagoram & Aegyptios refertur. XXV.
Cur nobis criſium obſeruatio in pleriſque non reſpondeat. XXVI.
Criſium doctrina aliorumque ſignorum obſeruatio inſeruiebat prognoſi formandæ. XXVII.
Pulſuum ſigna Hippocrates parum attendit. XXVIII.
Plura ex vrina aliiſque excretis obſeruauit. XXVIIII.
Denique nihil quæ in ægroto ſunt, vel ab eo fiunt, neglexit. XXX.

Neque

Neque tamen nimium his tribuit. XXXI.
Quamquam non deerant Hippocrati in hoc valde diſſimiles. XXXII.
Vnde factum videtur vt ſignorum doctrina ex eo magis coleretur. XXXIII.

I.

Atque, vt hinc ad pathologiam tranſeamus, flatibus, φύσαις, tantum tribuiſſe videtur vt plerorumque, ſi non omnium, morborum cauſas inde deducere auſus ſit, peculiari libro* de hoc argumento conſcripto. Ex quo clariſſime patet id quod extra corpus aer vocatur, idem intra corpus delatum flatus & ſpiritus auctori vocari.

* videatur libri *de flatibus* concluſio, quæ hunc in modum ſcripta eſt: *hactenus morborum omnium cauſas flatus eſſe demonſtraui: id enim a principio facturum me receperam.*

II. Quo vero facilius intelligatur pathologia Hippocratis flatulenta, videbimus quo pacto febrium intermittentium generationem deſcribat.* Supponit has euenire hominibus mala diæta vtentibus, id eſt, vt ipſe explicat, cibos potusque iuſto plures & varios adſumentibus. *Cum multorum autem*, inquit, *ciborum ingeſtione neceſſe eſt & multum ſpiritum ingredi. Omnia enim quæ eduntur & bibuntur ſpiritus corpori inferunt, aliquando plures, aliquando etiam pauciores. Id autem inde manifeſtum ſit, quod plurimis poſt cibos & potus eructationes euenire ſolent, ſurſum excurrente nimirum aere incluſo, vbi bullas, quibus incluſus fuerat, perruperit.* Ventriculo adſumtorum & ſpirituum copia ſic extento, ipſa multitudine exitum remorante, cibi potusque diutius reſtitant & aluus inde clauditur: quo facto *per vniuerſum corpus permeant flatus, ſanguineque plenas corporis partes maxime petentes, eas frigefaciunt: frigefactis autem his locis, vnde fontes & radices ſanguinis prodeunt, per vniuerſum corpus horror conſequitur: quantoque maiori*

iori impetu multitudinis & frigiditatis ipſi flatus præcelluerint, tanto maior ſit & horror. Cum horroribus autem & tremores corporis accidunt, ſanguis enim præſentis horroris timore perculſus concurrit, ac penetrat per omne corpus ad locos maxime calidos: decedente itaque ab extremis corporis partibus ſanguine viſcera & carnes contremiſcunt -- -- & inflammantur.

* *de flatibus* §. 9. 10. 11.

III. Quo autem pacto poſt horrorem & frigus calor inſurgat, tandemque corpus in ſudores exſoluatur, ex eodem fundamento deducit.* *Quando autem*, inquit, *congregatus fuerit cumulatim plurimus ſanguis, caleſit rurſus ipſe aer, qui antea ſanguinem infrigidauit. Nimirum a calore multo victus accenſusque ac velut igneus factus, per omne corpus calorem ſpargit, cooperante ei in hoc etiam ipſo ſanguine. Liqueſit ergo quicquid ignea vis illa attigerit, ſitque inde ſpiritus. Qui cum ad corporis meatus irruerit, ſudores ſiunt; ſiquidem ſpiritus compactus in aquam tranſmutatur, & per meatus penetrans extra prorumpit, eodem plane modo, quo a feruentibus aquis vapor eleuatur, ſi obſtaculum habeat, ad quod impingere oportet, condenſatur, guttæque deſtillant ab his corporibus, quibus vapor ipſe fuit impactus.*

* c. l. §. 12. 13.

IIII. Ne vero aliquid deſit pathologiæ huic, etiam pandiculationum & oſcitationum in paroxyſmi initiis, vt & capitis doloris rationes ex ſuppoſita flatulentia reddit.* *Oſcitationes*, inquit, *præcedere ſolent febres: ſiquidem multus aer coaceruatus, cumulatim ſuperna petens, commouet ac diducit os, quum per hoc facillimus ei exitus pateat. Quemadmodum enim ab aquis in lebete feruentibus vapor multus eleuatur: ſic & corpore calefacto penetrat per os aer conuolutus & quadam vi erumpens.* Cephalalgiæ vero rationem ita reddit: *Sanguinis tranſitus in capite magna anguſtia coarctantur: repleti enim ſunt multo aere:*

aere: cuius abundantia & concluſio dolorem excitant in capite. Sanguis enim ipſe natura calidus exiſtens, vi coactus per anguſtam viam tranſire celerrime non poteſt, quum multa impedimento ſint obſtacula & oppilationes, quapropter etiam pulſus fiunt circa tempora.

* *ibidem* §. 12. & 13.

V. Vidimus theoriam febrium ex libro Hippocrati tributo, ſi non iuſte, tamen antiquiſſimo: & forte tam bene cohærentem, vt cum multis, hoc ſæculo, μετὰ πολλῆς φαντασίας, proditis, de prærogatiua certare poſſe videatur: præſertim cum Britannos & Batauos quarundam aſſertionum patronos acerrimos, viros doctiſſimos & orbi notiſſimos, habeat: vt de nouitatis etiam gratia, poſt tot medici dogmatis μεταμορφώσεις, gloriari poſſe videatur forte non paucis. Sed ingenuum hiſtoricum non decebit diſſimulare quod liber *de flatibus*, ex quo iam retulimus, Mercurialis quidem iudicio, ſit ex illorum numero, quos ipſemet Hippocrates non perfecit: doctiſſimi autem & optimo iudicio cuncta proferentis D. D. CLERICI ſententia pariter reponatur in illorum cenſum, qui ad Hippocratem minus ſecure referri poſſunt.

VI. Accedit huc quod Hippocrates aliis in libris, de quorum genuinitate minus dubitatur, febrium generationem potiſſimum in humores, & ſeorſim in bilem, reiiciat. Inſtar omnium videatur liber *de natura humana*,* vbi ſic ſcribit: *febres plurimæ a bile fiunt. Species ipſarum quatuor ſunt, continens, quotidiana, tertiana, quartana.* Quo pacto autem hæc generatio intelligenda ſit, &, quod hæc maxima ſit germana Hippocratis doctrina, legatur, ſi placet, apud PROSPERVM MARTIANVM.**

* §. *XXVII. ſeqq.*

** *in Hippocrate explicato* ad *l. c. p. m.* 18. *ſeqq.* Adde locis ibi citatis *de affect.* §. *XI. de victu acut.* §. *XXXIIII.*

VII. Vno

VII. Vno vel altero ſpecimine pathologiam Hippocratis porro illuſtrabimus. Apoplexiæ generationem in nullo genuinorum ſcripto inuenio traditam, ſed in libro *de glandulis*,* quem claſſi quartæ Mercurialis tribuit, hanc inuenimus doctrinam: *Cerebrum ſi rodatur, multam turbationem ſuſtinet, mens deſipit* (ἀφρονέει, *non intelligit*,) *& cerebrum conuellitur, totumque hominem trahit, qui in ſe ipſo vocem non edit, ac ſuffocatur: atque huic affectioni apoplexiæ nomen eſt.* Hydropis generationem ſequentem in modum ** exponit: *Procedit potus in ventriculum, & vbi expletus eſt, ſplen de ipſo ſuſcipit, & diſtribuit ad venas & ad omentum & in decliue deorſum, & in ſcrotum & ad crura pedesque. Si vero ex aqua multa morbus obortus fuerit, procedit de ventriculo, & ſemper ad ſplenem venit de potu, vbi homo biberit. Contingit autem in hoc morbo -- -- vt veſica & ventriculus non iuſto modo excolent, neque conueniente diæta homo vtatur. At ſplen ſubægrotans a ventre de potu trahit. Morbo autem ſuborto ſcrotum pellucidum ſit, clauiculæ vero & collum & pectora attenuantur: colliquantur enim ab hoc morbo, & humor ad ventriculum defluit, & infernæ partes aqua plenæ ſunt.*

* *§. XI. p. 419. ed. Lind.* ** *de morbis IV. §. 32. 33.*

VIII. Morbi ſacri cauſam cerebro adſcripſit,* quod idem aliorum maximorum morborum cauſam eſſe aſſerit. Cerebrum membranæ interpoſitu in dextram & ſiniſtram partem diuidi: illudque ſubire duas venas, alteram ab hepate, alteram a liene. In hanc a liene venam ſpiritus attracti copiam deferri, ſicque cerebro ſuppeditari: ex quo clarum eſt Hippocratem arteriam intelligere; etſi obſcurum manet, cur a liene arteriam deriuarit. Habere autem cerebrum ſuas expurgationes, quæ pro eo, ac vel nimis parce vel copioſe, in hanc vel illam partem fiunt, ibique decumbunt, morbos ingenerant. Optimum eſſe

ſi pi-

ſi pituita ſuperflua ad ſuperficiem corporis deponatur: *quibuscunque enim pueris erumpunt vlcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui ſaliuoſi fiunt ac mucoſi, hi ipſi progreſſu ætatis facillime degunt. — Qui vero mundi ſunt & neque vlcus vllum, neque mucus, neque ſaliua vlla prodit, neque in vteris purgationem fecerunt, talibus periculum imminet, vt ab hoc morbo corripiantur.* Si igitur pituita frigida deſcendat ad dictas venas, *homo mutus fit & ſuffocatur, & ſpuma ex ore effluit, & dentes conſtringuntur & manus conuelluntur & oculi diſtorquentur, & nihil ſapiunt. Aliquibus etiam ſtercus inferne ſecedit.*

* *Libro de morbo ſacro §. VII.*

VIIII. Quomodo vero ſingula hæc perpetiantur, deinceps enarrat.* *Mutus quidem fit, quum pituita derepente in venas illapſa aerem excluſerit. Quum enim accipit homo per os & nares ſpiritum, primum quidem ad cerebrum venit, deinde vero in ventriculum magna ex parte, pars etiam ad pulmonem, & pars ad venas. Ex his vero ad reliquas partes in venas diſpergitur, & quantum quidem eius ad ventriculum venit, perfrigerat, & nihil aliud confert: idem & præſtat, qui ad pulmonem venit. Qui vero ad venas peruenit aer, confert ad ventriculos ingreſſus & ad cerebrum; atque ſic ſapientiam & motum membris exhibet. Quare vbi fuerit excluſus a venis præ pituita, eumque non ſuſceperint, mutum ac deſipientem* (ἄφρονα, ſenſu & intellectu priuatum, vt ſupra,) *hominem reddunt. At vero manus impotentes fiunt ac conuelluntur ſanguine quieſcente, &, dum non diffunditur velut ſolebat. Oculi quoque diſtorquentur aere a venis excluſo, & conſtringuntur. Spuma vero ex ore, prodit ex pulmone. Quum enim ſpiritus non ingrediatur in ipſum ſpumeſcit & ebullit, velut emoriens. Stercus vero ſubit, dum violenter ſuffocatur. Suffocatur autem hepate &*

 ventre

ventre ſurſum ad ſeptum transuerſum irruentibus, ſtomacho ventris concluſo. Irruunt autem, quum tantum ſpiritus in os non ingreditur, quantum ſolebat. Calcitrat autem pedibus, quum aer in membris concluſus fuerit, & foras penetrare non poterit præ pituita, verum exſiliens per ſanguinem ſurſum ac deorſum, conuulſionem ac dolorem inducit, & propterea ſane calcitrat. Porro omnia hæc patitur, quum pituita frigida defluxerit in ſanguinem calidum exiſtentem; perfrigerat enim & ſiſtit ſanguinem. -- Deinde temporis progreſſu, quum pituitæ fluxus diſperſus fuerit per venas, & admixtus ſanguini, multo exiſtenti ac calido, ſi ſic ſuperatus fuerit, venæ aerem ſuſcipiunt, atque ita ægri reſipiſcunt.

* *Ibidem*, §. 8. Studio autem tam multa adſcripſi, quia ſimul phyſiologiam Hippocratis hic locus non parum illuſtrat.

X. Dum igitur has in corpore ſubſiſtentes cauſas inueniſſe ſe putat Hippocrates, ſerio & grauiter illos reprehendit, qui, hunc morbum aliis diuiniorem rati, ſacrum illum adpellauerunt, & incantationibus magicis, certisque expiationibus, eradicare aggreſſi ſunt. Apparet ex illo ſermone ab aliquibus ad Apollinis Nomii iram relatum eum fuiſſe: alios matrem deorum cauſam eius perhibuiſſe: fuiſſe qui Neptuno aut Marti iraſcentibus illius cauſam adſcriberent: alios denique qui Proſerpinæ inſidias, vel heroum inſultus, accuſarent. Tandem ſubiungit:* *Non tamen ego puto hominis corpus a Deo inquinari, ſordidiſſimum ſcilicet a puriſſimo. Verum etiam ſi contingat ab alio inquinari aut quid perpeti, cupierit vtique a Deo purgari ac purificari magis quam inquinari. Deus itaque eſt, qui maxima ac ſceleratiſſima peccata purgat ac purificat & liberatio noſtra exiſtit.*

* *l. c.* §. *IV.* Non reticere hic poſſum vnde Hippocrates theoriæ ſuæ tantum confidat. Nimirum §. 13. ita ſcribit: *Cognouerit autem hoc ipſum quis maxime ex ouibus & præſertim capris hoc morbo correptis: capræ autem frequentiſſime corripiuntur. Si enim*

caput

caput ipſarum diſſecueris, reperies cerebrum humidum eſſe & ſudore refertum, ac male olens. Et in hoc nimirum cognoſces, quod non Deus corpus affligat, ſed morbus. Sic vero ſe res habet etiam in homine. En anatomiæ, quæ hodie practica vocatur, rudimentum in ſchola Hippocratis.

XI. Commode progredimur ad indicandum quid in morborum cauſis deſignandis Hippocrates notatu dignum offerat. Et quoniam vidimus ipſum aperte negantem, quod DEVS morbum ſacrum faciat: non iniuſte quærere licebit an omnino nullum morbum a DEO excitari docuerit? Certe in libello, qui *de virginum morbis* inſcriptus eſt, ridet illos, qui affectus earum hyſterico-melancholicos Dianæ vel dæmonibus tribuunt, vatumque monitu donaria & ſacrificia templis inferunt; potiusque ſuadet menſtruum negotium expedire, & quantocyus nubere: ita enim fore vt grauiditas omnibus his malis finem afferat.

XII. Non alium in morem ratiocinatur, vbi de Scythis dicit* effœminatis, quod in gente ſua tales magnopere colantur & obſeruentur, quoniam perſuaſi ſint Scythæ, cauſam illius affectus ad Deos eſſe referendam. Hippocrates autem profitetur: *mihi vero hi affectus diuini quidem videntur, ſicut & reliqui omnes, neque vllum aliquem alio eſſe diuinorem aut humaniorem, ſed diuinos omnes: verum vnusquisque eorum ſuam propriam habet naturam: neque aliquis citra naturam accidit.*

* *de aeribus, aquis, locis* §. 49. *ſeqq.* Agit de iisdem effœminatis ſ. eunuchis Scytharum, HERODOTVS *lib. I. p. m.* 23. *ed. Camer.* Vocari eos ἐναρέας, habitosque fuiſſe ἀνδρογύνους, (conf. lib. IV. p. m. 126.) teſtatur. Cauſam autem referri in iram Veneris Vraniæ, cuius templum Aſcalone in Syria quidam ex Scytharum exercitu ſpoliauerint, quare non ſolum his, verum etiam horum poſteris, ἐνέσκηψε ὁ θεὸς θήλειαν νοῦσον *morbum effœminatum inflixit.* Interim omnes Scythas eiusmodi

quid paſſos valde reuereri, vatumque eos loco habere, eodem teſte confirmatur.

XIII. Quum hæc loca clarum faciant, quam alienus ſit Hippocrates ab illa ſententia, quæ morbos ad deum auctorem refert: contrarium perſuadere videntur duo alii textus, vbi τὸ θεῖον obſeruandum medico inculcat. Horum primo* inquit: *de muliebri natura ac morbis hæc dico: maxime quidem numen*, τὸ θεῖον, *in hominibus cauſam eſſe. -- -- Oportet igitur eum, qui hæc recte tractare velit, primum quidem ex diis ordiri.* (ἀπὸ τῶν θείων ἄρχεσθαι) Parum me moueret hic textus, vtpote ex libro dubiæ auctoritatis, & in tertiam claſſem a Mercuriali reiecto; præſertim quum in toto libro deinceps ne verbulum quidem de hoc diuino ſequatur; vt videri poſſit ab aliena manu inſertum: ſed magis ſuſpenſum tenet alter, ** vbi hunc in modum ſcribit: *ſimul vero & ſi quid diuini in morbis ineſt, etiam huius prænotionem ediſcere medicus debet.* Hic enim textus, quum in libro legatur, quem Hippocratis eſſe nemo dubitauit; paucis de eo oportebit diſpicere.

* *de natur. muliebri* §. 1. ** *Prænotion.* §. 1.

XIIII. Dicere autem licebit vel Hippocratem prænotiones illas iuuenem ſcripſiſſe, deinceps autem mentem mutaſſe: vel cum GALENO* intelligere debemus τὸ θεῖον denotare peculiarem aeris nobis circumfuſi conſtitutionem morboſam. Conferat, qui plura volet, IO. FERNELIVM** & HIERON. IORDANVM:*** quorum ille, Galeno accedens, τὸ θεῖον exponit, *aeris conditionem, non eam ſane quæ in primis eſt qualitatibus, ſed multo præſtantiorem occultioremque, quam morbidam excretionem Hippocrates appellauit:* hic, præceptorem CONRINGIVM, qui & operi præfatus eſt, ſequutus, aliquid naturæ vires excedens.

* *Comment.*

* *Comment. in hunc librum.* Vtitur autem Galenus illo potiſſimum argumento, ad fidem, in quæſtione facti, vt opinor, ſufficienti, quod Hippocrates, nullo ſuo libro, vllius cauſam ægrotationis in deos refundat. Quin *libro de victu acutor.* §. *VIII.* de ſideratis agens, quos Græci βλητοὺς, tamquam a ſidere tactos & percuſſos, vocauerunt, cauſas morbi naturales indicauit: & in libro *de morbo ſacro* multis hanc ſententiam improbauit. Quod vero merito videtur deridiculum iudicari debere ſcriptorem, commendantem rei cognitionem, quam nullo pacto docuerit: Galenus ſuam ſententiam ex eo firmat, quod Hippocrates circa finem libelli pauca de aeris conditione, tamquam in genere, loquutus, reliqua ex amplis Epidemiorum commentariis peti voluerit: quos propterea veteres interpretes huic prognoſticῶν libro ſtatim ſubiunxerunt: quod & ſe imitari ex eadem ratione Galenus profitetur.

* *de abditis rerum cauſis cap. X.*

*** peculiari tractatu *de eo, quod diuinum aut ſupernaturale eſt in morbis humani corporis.*

XV. Videri poſſet Hippocrates aſtris, eorumque influxui, aliquid ſingulare hic tribuere voluiſſe, adeoque aſtrologiam, aut ſaltem aſtronomiam, commendare; præſertim quum paſſim pleiadum, vel caniculæ, ortum commemoret, morborumque ſimul ingruentium cateruam enarret: ſed nullus mihi obtigit locus, quo horum alio, quam temporis deſignandi, ſimulque tempeſtatum tunc ſollemnium, fine meminerit.

XVI. Sed aeri, eiusque per anni tempora diuerſæ viciſſitudini, vt & variæ eiusdem conſtitutioni, ſecundum locorum ad diuerſos ventos poſitum, ipſorumque ventorum diuerſitati, nec non humanorum corporum ſecundum ætates variæ diſpoſitioni, Hippocratem plurimum tribuiſſe, omnibus, qui vel aphoriſmos eius legerunt, notiſſimum eſſe puto: quare his nihil immorabor. Teſtes huius obſeruationis Hippocraticæ, præ reliquis eius monumentis, erunt libri pulcerrimi, *de aeribus*

bus, aquis & locis, vt & illi, qui inſcribuntur *de popularibus morbis:* quos ſi quis cum fructu legere, in ſua quisque patria, velit, geographiæ phyſicæ rationem habeat neceſſe eſt, vt intelligere poſſit, quantum diuerſa climata obſeruationes hasce varient. Neque minus reſpicere debet ad viuendi genus, quo illi populi, inter quos Hippocrates degebat, vſi fuerunt, a noſtro in multis valde diverſum. Hoc ſi diligenter fecerimus, plus nos hæc induſtria, ad intelligendum Hippocratem, fructumque ex eo capiendum, iuuabit, quam multorum commentatorum lectio potuerit.

XVII. Neque ceterorum, quæ ad victum pertinent, rationes habere in morborum cauſis deſignandis, Hippocrates neglexit: quod maxime ex eo elucet, quoniam curandorum morborum, vt infra eluceſcet, primaria ſpes reponebatur in emendatiſſima victus obſeruatione: de quo plerisque locis admodum copioſe diſſeritur.

XVIII. Cauſas autem morborum proximas ſignificare quidem Hippocrates ſtuduit potius, quam in plerisque valuit. Nam, quum neſciret ætas ipſius plurima, quæ poſt ipſum anatomes diligentior cultura detexit; adeoque phyſiologiam admodum mancam & imperfectam haberet: præcipue autem careret incomparabili illa cognitione circularis ſanguinis motus, qui ante hos centum annos demum publice innotuit: fieri non potuit, vt ſe extricaret multis & incredibilibus difficultatibus, quæ ſummam diligentiam meritiſſimorum virorum remoratæ ſunt. Quod propterea adiunxi, ne quis abripiatur recentiorum quorundam inconſultis commendationibus ſcriptorum Hippocratis, qui, dum nobis pollicentur, morborum eſſentias nos ab hoc optimo viro diſcere poſſe, nimis clare comprobant, quam parum familiariter Hippocrate vtantur. Puto certe ea, quæ ſupra

pra de apoplexiæ & epilepſiæ, vt & hydropis, ætiologia pathologica adduximus, ſatis clare indicatura eſſe, quantum in hoc genere exſpectare ab optimo ſene liceat.

XVIIII. Quam modo laudauimus ſummam veterum diligentiam, ea hoc maxime comprobatur, quod morborum hiſtoriam ſtudioſe conſignauerunt, ſingulorumque euentus accurata induſtria obſeruauerunt, & ſigna ſiue ad ſalutem ſiue ad deterius exiturorum, qualia regionis & victus, quin curationis etiam, rationes ſecum tulerunt, curioſiſſime adnotauerunt. Quod primum attinet, iam ſupra indicauimus Coorum & Cnidiorum honeſtam æmulationem, quæ animos vtriusque ſcholæ virorum exacuit, ad hoc ſtudium perficiendum: nihilque hic addere ſtudui, præſertim quum laudatiſſimi D. D. CLERICI * induſtria ferias nobis hic parauerit, qui accurate exponit de morbis, quorum Hippocrates mentionem fecit, eosque in quinque claſſes partitur: quarum prima continet eos, qui ſub eodem nomine per Græcos inſequutos, Latinos & Arabes, nobis innotuerunt: ſecunda illos, qui hodie aliis nominibus veniunt: tertia iſtos, quos Hippocrates ſine nomine deſcripſit, nosque nouis nominibus deſignamus: quarta morbos complectitur ab Hippocrate nominatos quidem, & ſignis ſuis denotatos, quos tamen hodie non licet facile agnoſcere: quinta denique illos comprehendit, qui nude nominati ſunt, non adiectis ſufficientibus & claris ſignis, vnde pariter hodie, non niſi per coniecturas, de illis ſentire poſſumus.

* *hiſtor. medic. Part. I. Lib. III. cap. VIII ad XII.*

XX. Porro Hippocrates ſagaciter animaduertit, non omni ætati omnes morbos æque ingruere, ſed aliis infantes crebro corripi, alios pueritiæ familiares eſſe, alios aliis ætatibus ſæpius euenire. Nec omiſit docere quosdam ſparſim hunc illumue adoriri: alio tempore copioſe inque plurimos graſſari: alios denique regioni-

bus

bus certis proprios eſſe. Bene etiam admonuit, quinam celeriter iugulent, qui ſimpliciter acuti ſint, quique tempora ſua non niſi tardo gradu decurrant. Quæ ſingula tam recte apud Hippocratem poſita ſunt, vt poſterior ætas nihil, quod adderet, vel parum certe, inuenerit.

XXI. Quod ad morborum exitum ſpectat, obſeruauit aliquos celeriter ad ſalutem mutari: quod iudicari morbum dixit: alios ſucceſſiue ſolui. Tam multa apud Hippocratem de criſi, diebusque criticis ſeu decretoriis diſputantur, vt dicere poſſimus hanc doctrinam Hippocraticæ medicinæ magnam partem continere.

XXII. Et quamquam ipſemet Hippocrates ideam ſuam de criſi ſeu iudicatione morborum nullibi clariſſime propoſuit: omnium tamen veroſimillima videtur expoſitio, quæ vocabulum hoc continere metaphoram, a contentionibus forenſibus deſumtam, ſtatuit: vt criſis ſit quaſi abſolutio ægrotantis a mortis reatu & poena. Deſignat enim notabilem & ſubitam aliquam morbi in melius mutationem, cum ſufficienti aliqua euacuatione vel ſinceri ſanguinis, vel per aluum, vomitum, vrinam, ſudores; vel per abſceſſum, metaſtaſin materiæ noxiæ ad partes ignobiliores, exanthematumue varia genera.

XXIII. Hanc criſin certis diebus fieri, deque illorum obſeruatione multa docuit. Aliquos enim acutiſſimos morbos quarto iudicari, alios ſeptimo, tardius alios. Præuideri autem poſſe, quid ſeptimo exſpectandum ſit, quarto die: & ſi criſis decimo quarto futura ſit, vndecimum præbere indicium: quare illos dies præcipue obſeruandos medicis paſſim valde commendat. De his plura cupientem amandamus ad FRANC. VALLERIOLAM*, qui omnes Hippocratis textus ad hanc rem facientes diligenter collectos exhibet.

* *Locor. medic. commun. Libr. III. cap. VI. & VII.* Simul ibidem perſpicere licebit Galeni loca, indeque intelligere, quid ille in hac doctrina mutauerit.

XXIIII.

XXIIII. Nuſquam quidem Hippocrates cauſas decretoriorum dierum indicare auſus eſt: forte quod hæc inquiſitio ad medicum minus pertinere ipſi viſa fuit, ſimplicemque facti obſeruationem ſufficere arbitrabatur. Elucere hoc poteſt ex hoc effato *: *Medicum, qui ægrotorum ſalutem recte coniectare volet, animaduertere quidem oportet & contemplari omnes dies: ex paribus vero decimum & vigeſimum octauum & quadrageſimum ſecundum. Hic enim terminus ponitur a quibusdam pro harmoniæ ratione, & integer ac perfectus numerus habetur: verum ob quam cauſam, longius fuerit in præſenti exſequi.* Nimirum duo hinc elicio, Hippocratem prudenter declinaſſe expoſitionem τῦ διότι: & alios, qui dare hic rationes moliti fuerunt, harmoniam aliquam ſuppoſuiſſe, & numerorum myſteria ſcrutatos fuiſſe.

* *de part. ſeptimeſtri §. VIII.*

XXV. Fidem hoc CELSO * facit, qui doctrinam de diebus decretoriis ad originem ſuam prudenter reuocat: *Verum in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt.* Scilicet notum eſt, quam occupatus Pythagoras numerorum myſteriis fuerit: quodque a Pythagora hæc res ad Græcos reliquos propagata ſit, Platonis Timæus docere nos poteſt. Enimvero nec Pythagoras forte auctor eſt huius dogmatis, videturque illud ex Aegypto emanaſſe, apud quos lege prohibebantur medici ante diem quartum quicquam in morbis mouere. Cur autem quartum exſpectandum iuſſerint, niſi voluerint medicum die quarto, quippe indicatorio, cognoſcere quo natura vergat, vt per vias conuenientiſſimas ducere eam poſſit?

* *Libr. III. cap. IIII.*

XXVI. Non parum iuuerit nos originis huius conſideratio ad peruidendum, cur nobis hæc obſeruatio criſium in plerisque haud æque ac veteribus illis, reſpon-

deat: quod tot practicorum confeſſione certum eſſe puto. Non ſine ratione climatum diuerſitatem hic allegari equidem exiſtimo. Sed merito attendendum hic quoque puto ad viuendi apud nos genus, ab illo, quo Hippocratis æuo vtebantur homines, diuerſum, ipſarumque curationum magnam ſane diuerſitatem. Illis enim corpora erant denſiora & exercitationibus crebris indurata, ſudores non tam facile, quam nobis fluebant: alui clyſteribus ſæpe eluebantur, corpora balneis & inunctionibus frictionibusque tantum non quotidie curabantur: quorum pleraque apud nos vel omnino a multis omittuntur, vel rariſſime fiunt. In curatione, Hippocratis certe æuo, vix niſi diætetica adhibebantur, ſicque natura ſibi magis ſub tali medico, quam apud nos, relinquebatur, qui in acutis pharmacis præcipue pugnamus, alexipharmacis ſanguinem incendimus, vomitoriis & purgantibus motus inuertimus, ſanguinis miſſione ſæpe etiam non parum turbamus: prorſus vt miraculo proximum videri deberet ſi nobis non eadem agitantibus eadem euenirent.

XXVII. Obſeruatio illa criſium, & præcipue dierum indicatoriorum, non parum iuuabat veterum tam decantatam illam in præſagiendis ac prædicendis morborum euentibus certitudinem: ſed præterea in ſubſidium alia etiam ſigna vocabant. Pleni ſunt horum ſignorum doctrina Hippocratis libri, omninoque huc pertinent libri *prænotionum, prædictorum*, *Coacæ prænotiones* & *aphoriſmorum* pars non minima: quemadmodum in reliquis etiam eius libris, præſertim *Epidemiorum*, non pauca continentur, quæ huc pertinent. Quum vero amplis voluminibus hæc res pertractata ſit a medicis, nos de aliquibus pauca quædam decerpemus.

XXVIII. Hippocratis temporibus a pulſibus deſumenda ſigna non omnino neglecta fuiſſe certum eſt: deditque

ditque loca huc pertinentia BELLINVS.* At vero nec illud obſcurum eſt, hanc partem minus illo tempore, quam inſequutis, excultam fuiſſe. Pulſuum loco, ad febrem cognoſcendam, eum attendiſſe caloris intenſioni & ſpirationis crebram & celerem repetitionem diligenter conſideraſſe, a doctis viris obſeruatum eſt, & ex lectione Hippocratis facile animaduertitur.

* *de pulſibus & vrinis.* Addatur D. D. CLERICVS *hiſtor. med. Part. I. libr. III. cap. VI.*

XXVIIII. Sed vrinæ conſiderationi pluſculum tribuit, inque ea ad quantitatem, colorem, conſiſtentiam, ſedimentum, innatantia, bullulas ſuperſtantes, atque id genus alia, cum cura reſpexit. Neque minus ex deiectionibus, iisque quæ euomuntur & exſpuuntur, ſigna cepit. Quæ ſi quis compendio cognoſcere cupiat, adeat ſæpe laudatum VALLERIOLAM.*

* *Locor. commun. Lib. III. cap. X. XI. & XII.*

XXX. Quin faciei etiam & vniuerſi habitus obſeruationem cum reliquorum ſignorum conſideratione coniunxit: ægri quoque decubitum, linguam, geſtus, mores & actiones diligenter notauit, hincque ſigna, cum reliquis coniungenda, deſumſit.

XXXI. Tot igitur ſignorum conſideratione exercitatus & probe ſubactus Hippocrates, admodum tamen modeſte de arte præſagiendi ſenſit, ſponteque profeſſus eſt,* *acutorum morborum non omnino infallibiles* (ἀσφαλέας) *eſſe prædictiones, neque mortis neque ſanitatis.* Quin grauiter in aliquos ſcribit,** qui magis vaticinati quam prædixiſſe videntur: quorum aliqua ſpecimina, non ſine indignatione, adfert, vbi non ſolum futura prænunciare auſi fuerunt: verum etiam ad lectum ægroti præterita recitauerunt, decumbentiumque peccata, aduerſus diætæ leges commiſſa, arguerunt. Ab his omnibus ſe

 alienis-

alieniſſimum profitetur: *ego vero*, inquit, *talia quidem non vaticinabor; verum ſigna ſcribam, ex quibus & ſanos futuros homines, & morituros coniectare oporteat.*

* *Aphoriſm.* 19. *Sect. II.*

** *Prædict. II.* §. 1. & 2. Mereri ſane indicatus hic locus, cum aliquot ſequentibus paragraphis, vsque ad XI. probam conſiderationem ſemper mihi viſus eſt. Quod enim tam ſpecialia exempla de gymnaſticis hominibus, eisque factis prædictionibus, admirabilibus viſis, adferuntur, & modi, quibus, non omnibus ſentientibus, animaduerti talia potuerint, indicantur: ſuſpicio mihi enata eſt Hippocratem, aut quisquis auctor eſt voluminum prædictorum, pungere ibi præcipue Prodicum, aut Herodicum, quem callidum ſophiſtam fuiſſe PLATO reliquit: adeoque non improbabile videtur, quum ſe ex ludi magiſtro repente medicum, hominum ſaltem opinione, factum videret, circumſpexiſſe quibus ſe artibus admirabilem potiſſimum redderet. Confirmant me verba §. X: *Ceterum ex his, qui exactam ac certam prædictionum rationem prædicant, cum aliquibus ipſe verſatus ſum, cum aliquorum vero filiis ac diſcipulis rem contuli, quorundam vero ſcripta accepi. Quare quum probe ſciam qualiter quisque eorum ſentiat, & exactas certitudines nusquam compererim, hæc ſcribere agreſſus ſum.*

XXXII. Ex quibus apparet nec Hippocratis æuo defuiſſe homines callidos, qui plus quam arti licet de ſe perhibere pollicerique populo, falli cupienti, ſemel iterumque feliciter auſi, ipſoque ſucceſſu audaciores redditi, fortunæ ſecunda aura longe prouecti fuerunt, & forte multos ſe multo doctiores præteruecti. Veroque ſimile eſt, illius ætatis homines, falli a ſuis vatibus, oraculis, ſacrificulisque continuo adſuetos, agyrtis præſtigatoribusque talibus libentius auſcultaſſe, quam honeſto viro, quid ars præſtare poſſit vel non poſſit libere profitenti. Vnde intelligitur plerosque, ne deterioris eſſent fortunæ, ſtuduiſſe vt vel ipſa re, quicquid arte conſequi licet, perfecte conſequerentur: vel apud populum conſequuti viderentur.

XXXIII. Nec male coniicimus, quod doctiſſimo D. D. CLERICO * in mentem iam venit, ipſius Hippocratis, eiusque ſimilium, in præſagiendo dexteritatem, ſine præſtigiis admirabilem, alios coegiſſe vt præcipue huic medicinæ parti, quæ prognoſin format, ſtuderent: vnde factum eſt vt mox ab Hippocratis exceſſu multum illa incrementum caperet, pulſuum præcipue doctrina ſubtiliſſime exculta: vtque propudioſa vromantia ab eo tempore eſſet atque maneret malum neceſſarium.

* loco citato *pag.* 164. 165.

CAP. IIII.

De Praxi Hippocratis.

CONSPECTVS.

Hippocrates diæta, medicamentis & manu medebatur. I.
Quam legem ſanis præſcripſerit tenendam. II.
Vnde ipſius ſententia de cibis & exercitationibus peti debeat. III.
Quid ad ſuperflua eliminanda ſanis præſcripſerit. IIII.
Ægrotos quomodo tractauerit. V.
Generales regulæ praxeos Hippocraticæ. VI -- XIII.
De alui expurgatione leniſſima. XIIII.
De modo vomitum blandiſſime concitandi. XV.
De enematibus & ſuppoſitoriis. XVI.
Hippocrates non credebat draſtica ventriculum lædere. XVII.
Electiue purgantia dari docebat. XVIII.
De elleboro albo & ſeſamoide. XVIIII. XX.
de nigro & peplio. XXI. XXII.
de Cocco Gnidio, hippophae & lapide magneſio. XXIII.
de Cneoro. XXIIII.
de colocynthide, thapſia, cyclamino & mineralibus venereis. XXV.
de ſcammonia & elaterio. XXVI.
de cnico. XXVII.

Generalia quædam de purgantibus. XXVIII. XXVIIII.

Diuretica Hippocratis. XXX. XXXI.

de caput expurgantibus. XXXII.

de modo pulmones ſuppuratos expurgandi. XXXIII.

de vteris expurgandis. XXXIIII.

de Sudoriferis. XXXV.

de euacuatione ſanguinis ſinceri. XXXVI.

Quæ fiebat vario ſcopo. XXXVII.

Cum locorum delectu. XXXVIII.

de venæ ſectione in acutis. XXXVIIII.

de ſcarificatione. XXXX.

de therapia Hippocratis alterante. XXXXI.

de ſomniferis, ſeorſim opio. XXXXII.

de mandragora. XXXXIII. XXXXIIII.

de quibusdam alimentis medicamentoſis vt ptiſana, alica. XXXXV.

de cyceone. XXXXVI.

de balneis, fotibus medicatis, aliisque externis. XXXXVII.

de vnguentis. XXXXVIII.

de cataplaſmatibus. XXXXVIIII.

de collyriis & paſtillis. L.

de linctibus. LI.

de chemia Hippocratis LII -- LVIII.

de chirurgia Hippocratis. LVIIII.

Quomodo tractauerit vulnera recentia. LX.

Quomodo certis circumſtantiis comitata. LXI. - LXIII.

de œdemate & varicibus. LXIIII.

de deligationibus Hippocraticis. LXV.

Quid in fiſtulis egerit. LXVI.

de cranio perterebrando. LXVII. LXVIII.

Vt fracta curauerit. LXVIIII. LXX.

de luxatorum curatione. LXXI.

Quomodo in oculis curandis ſe geſſerit. LXXII.

de chirurgia Hippocratis in renibus & pectore ſuppuratis. LXXIII.

de vſtione. LXXIIII.

de foetus mortui extractione. LXXV.

Specimina praxeos Hippocraticæ: quartana febris. LXXVI -- -- LXXVIII.

de icteri curatione. LXXVIIII. LXXX.

de hydrope pectoris & pulmonum. LXXXI.

Et quo pacto aquam emiſerit. LXXXII.

de voluuli curatione. LXXXIII - LXXXV.

Specimina acutiorum morborum: pleuritidis & peripneumoniæ. LXXXVI. LXXXVII.

Dyſenteriæ curatio. LXXXVIII. LXXXVIIII.

Anginæ curatio. LXXXX. LXXXXI.

Leuioris anginæ, ſeu paracynanches curatio. LXXXXII.

de apoplexiæ curatione. LXXXXIII.

de ſpaſmi curatione. LXXXXIIII.

I. Expo-

I.

Expoſiturus igitur de Hippocrate artis operibus edendis occupato, bene video, quam multa paucis dicere debeam: adeoque intelligo breuitatis mihi rationem in primis eſſe habendam. Ante omnia notari debet, Hippocratem vixiſſe illis temporibus, vbi medicina nondum diducta in tres partes erat, gliſcere tamen iam illa diuiſio, quæ breui poſt facta eſt, cœpit, quum vna ſibi curationes per victum, altera per medicamenta, tribueret, tertia manu mederi profiteretur. Hippocratem itaque videmus ſanitatis conſeruandæ præſidia ex fonte diætetico deſumſiſſe: labefactatam ſtabilire & inſtaurare iisdem vtplurimum ſtuduiſſe, ſubinde tamen etiam pharmaca adhibuiſſe, &, vbi res poſtulabat, chirurgiam maſcule & intrepide exercuiſſe.

II. Sano homini, quique ſuæ ſpontis * eſt, diætam præſcribit elegans libellus *de ſalubri victus ratione:* quem plurimi quidem Polybo, Hippocratis genero, tribuunt: & in quem vtiles Galeni commentarii exſtant: ſed & aliis multis libris multa huc pertinentia inſeruit. Generalis regula, pro valetudine huius generis hominum tuenda, videtur illa **: *Valetudinem præſtant, cibis citra ſatietatem veſci, & ad labores impigrum eſſe.* Quin ciborum & laborum neceſſariam coniunctionem pulcre alibi innuit ***: *fieri non poteſt, vt is, qui cibos aſſumit, ſanus ſit, niſi etiam laboret. Contrarias enim inter ſe rationes habent cibi & labores: temperati tamen inter ſe, conferunt ſanitati. Quippe labores ea, quæ inſunt, conſumunt, cibi autem & potus ea, quæ euacuata ſunt, explent.* Ceterum *in labore, cibo, potu, ſomno, rebus venereis, modum adhibendum* ſuadet. ****

* Ita Celſus noſter *lib. I. cap.* 1. vocat illos, quos Hippocrates paſſim dixit τὺς ἰδιώτας. Galenus exponit ἰδιοπραγοῦντας, illisque opponit vitam περιςατικὸν degentes, vt iter facientes, milites,

lites, athletas, qui ſeſe multum ad circumſtantias loci ac temporis accommodare coguntur, quin multa ſecundum leges facere debebant, vt athletæ, qui debebant ἀναγκοφαγεῖν, coacti vorare, & potare præſcriptam quantitatem.

** *Epidem. VI. ſect. IV.* *** *de diæta I. §. I. & II.*

**** *Epidem. VI. ſect. VI.*

III. Ne autem ciborum ac potuum qualitates quemquam laterent, de ſingulis fere ſeorſim copioſe, multisque in locis, expoſuit: quemadmodum etiam de laboribus, præcipue vero exercitationum generibus, accurate præcepit: quæ ſingula ex tribus libris *de diæta* inſcriptis potiſſimum peti poſſunt: ex quibus ſimul intelligetur, multa apud veteres in cibum apponi ſolita fuiſſe, quæ a noſtris moribus abhorrent. Sic carnes caninas coctas aſſatasque *, equinas, aſininas, vulpinas, quin erinacei etiam terreſtris, commemorat, & quibusdam ſeorſim commendat. Ceterum in medio hic relinquo illam quæſtionem iam olim quidem agitatam, cui auctori tribui hi libri debeant, id enim iam olim controuerſum eſſe D. D. CLERICVS ** indicat, qui ipſemet coniicit, hos libros eſſe Herodici, Hippocratis præceptoris. Certe res, quæ ibi tractatur, quantum nos de illa quærimus, indoli doctrinæ Hippocraticæ & reliquis eius ſcriptis, ſatis bene in plerisque conuenit.

* *de diæta II. §. 16. III. §. 20. 24.*

** *Hiſtor. medic. P. I. lib. III. cap. XIII.*

IIII. Vt vero ſuperflua & inutilia conſumantur & expellantur, non ſolum a laboribus, etſi ab his potiſſimum, exſpectabatur, verum etiam tempeſtiue interpoſitis vomitibus diæteticis, enematibus infuſis, frictionibus, balneisque ad hunc ſcopum tendebant veteres, quæ in laudato libello *de ſalubri victus ratione* legenda commendo. Ipſiſſima autem ſunt illa, quæ athletæ faciebant, ſolaque hæc differentia erat, quod ea ab hominibus

nibus athletico inſtituto non addictis liberius & remiſſius, nec ad artis regulas exactiſſime fiebant.

V. Vbi vero Hippocrates hominem a morbo liberandum acceperat, qui adhuc ſub latitudine ſanitatis comprehendebatur, orthoſtadiamque vtcunque ſeruabat: vt & in morbis chronicis, qui ægrotum lecto nondum mancipauerant, diætæ pariter potiſſimum quidem fidebat, id eſt ea, quæ ad victum pertinent, cuiuis indiuiduo conuenientiſſima ordinabat, & exercitationes, eoque pertinentia, vt balnea, inunctiones, frictiones, præſcribebat: verum inſuper adhibebat hiſce medicamenta quædam, quibus naturam adiuuaret. Acuto autem morbo decumbentibus, victus potiſſimum beneficio, & paucis medicamentis, pariter quidem ſuccurrebat, ſed exercitationes * non præſcribebat, niſi forte conualeſcentibus. Singulorum aliqua ſpecimina proponam, ſi prius generales quaſdam regulas practicas, ab Hippocrate præſcriptas, adduxero, & quæ ad therapiam generalem pertinent, paucis expoſuero.

* Apparet hoc ex *Epidem. VI. Sect. III. pag.* 805. *ed. Linden.* vbi Herodicum vel Prodicum reprehendit, quod febricitantes interfecerit, ad ambulationes, luctas, curſus, multasque fomentationes eos cogendo, quæ ſingula febri ſint inimica: quem locum ſupra integrum dedi.

VI. Præcipue autem inculcabat: *morborum naturas ipſas eſſe medicatrices. Naturam ſibi ipſi inuenire morborum aggreſſiones, non ex præmeditato: — eamque, licet a nemine edoctam, nulloque magiſtro vſam, ea, quibus opus eſt, facere* *, quare medicum oportere, vt attendat naturæ molitionibus, diebusque indicatoriis conſideret, quali criſi ægrum a morbo abſolutura & liberatura ſit. *Quæ vero iudicantur vel iudicata ſunt integre, neque mouere oportet, neque nouare, neque medicamentis neque aliis irritamentis, ſed omnino relinquere. Quæ vero*

*ducere oportet, quo maxime vergunt, eo ducere oportet, per conuenientes locos. Concocta autem medicamentis aggredi oportet & mouere, non cruda, neque in principiis, ſi non turgeant: vtplurimum autem non turgent.***

* Epidem. VI. Sect. V. initio.
** Aphoriſm. 20. 21. 22. Sect. I.

VII. Alia generalis apud Hippocratem regula legitur: *Quicunque morbi ex repletione fiunt, eos euacuatio ſanat: & quicunque ex euacuatione, repletio. Similiter in aliis contrarietas obſeruanda eſt.** Hanc regulam alibi pluribus ſic ediſſerit:** *quoſcunque morbos repletio parit, euacuatio ſanat: & quicunque ex euacuatione fiunt morbi, repletio ſanat: quicunque vero a labore fiunt, quies ſanat, qui autem ab otio gignuntur, labor ſanat. In ſumma, medicum ſcire oportet, opponere ſe contraria debere inſtantibus, intenſa ſoluere & ſoluta intendere. Sic enim vel maxime morbum ſedauerit: & mihi ſane hoc ipſum ſanatio videtur.* Rurſusque alio loco: *** *repletioni euacuatio, euacuationi repletio, labori quies ſuccurrit, & quietis medelam ex labore reperies: atque vt breuiter dicam, contraria contrariorum ſunt medicamina. Medicina enim nihil aliud eſt niſi adpoſitio & ablatio. Ablatio quidem eorum, quæ excedunt: adpoſitio autem eorum quæ deficiunt: qui autem id optime facere poteſt, is optimus medicus cenſebitur, quantumque quis ab hoc præſtando deficit, tantum deficit quoque ab ipſa arte.*

* Aphoriſm. XXII. ſect. 2. ** de natur. human. §. XVII. XVIII.
*** de flatibus §. II. III.

VIII. Hanc vero ablationem & appoſitionem qua cautione fieri velit, minime reticuit:* *Multum & repente euacuare aut replere aut calefacere aut refrigerare, aut omnino quomodocunque corpus mouere, periculoſum eſt. Quicquid enim eſt nimium, naturæ eſt inimicum: quod vero paulatim fit, tutum eſt, cum alias, tum vel*

maxime

maxime ſi ab vno ad alterum facimus tranſitum. Nam** *contraria paulatim inducere oportet & interquieſcere.*

* *Aphoriſm. LI. Sect. II.* ** *Epidem. VI. ſect. II.*

VIIII. Vt vero laudabilis hic tranſitus a contrario ad contrarium, per ablationem & appoſitionem, recte ordineque fiat, porro requirit vt medicus proſpiciat, ne quod vel ſolidarum vel fluidarum corporis noſtri partium ſubſiſtat vitium, intentioni ſalutari impedimento futurum. Iuuabit ipſum audire ſenem, valde hic quidem breuiloquum:* *Dilatare, coarctare, hæc quidem certe, illa vero minime. Succi hi quidem expellendi, illi vero exſiccandi, alii autem inſerendi, idque interdum quidem, interdum vero minime. Corpus autem, carnes extenuare, incraſſare oportet, atque alia, ac partim quidem, partim vero minime. Lenire, exaſperare, indurare, emollire, & hæc quidem, illa vero minime. Excitare, torporem inducere, aliaque quæcunque id genus.*

* *Epidem. VI. Sect. II.* ab initio.

X. Porro, ſi qua euacuari loco non conuenienti cœperint, reuelli ea iubet, his verbis:* *Reuellenda ea ſunt, quæ, quo non oportet, vergunt: ſin autem quonam conuenit, iis tum viam ſtruere decet, quamnam in partem ſingula tendunt.* Si vero reuulſio minus expedita ſit, ſcilicet vt in ſuperioribus male fluentia ad inferiora, vel ſi per inferiora incommode fluant, ad ſuperiora retrahantur, fieri iubet deriuationem, παροχέτευσιν, ad proxima emunctoria.

* loco modo citato, ad quem conferatur liber *de humoribus* §. *I.* & legatur Galeni commentarius, vt & FOESIVS in *annotationibus* & *Oeconomia Hippocratica*, vocibus παροχετέυειν & ἀντίσπασις.

XI. De recto modo iis, quæ euacuantur, ſtatuendo ſic præcipit:* *Quæ prodeunt copia minime ſunt æſtimanda,*

manda, ſed quamdiu prodeant qualia oportet, & æger facile ferat. Vbi vero opus eſt debilitare & ad animi vsque defectionem educere: id quoque faciendum eſt, ſi æger modo ſufficere poſſit.

* *Aphoriſm. XXIII. Sect. I. de humoribus p.* 319. ed. Lind.

XII. *Cum quis omnia recta ratione facit, neque tamen pro ratione ſuccedit, non eſt ad aliud progrediendum, ſi manet quod ab initio viſum fuit.** Scilicet ſi cum recta ratione viſum fuit, idque iterato examine conſtiterit, non eſt mutanda methodus, ſi vel maxime medicamenta mutare placuerit. Ceterum *nihil eſſe medico temere ſtatuendum, nihil præteruidendum*, aliquando etiam *interquieſcendum eſſe*, idem prudenter docet.**

* *Aph. LII. Sect. II.* ** *Epidem. VI. ſect. II. aph.* 17. 18.

XIII. Accenſere his regulis licebit & illam:* *Quæ medicamenta non ſanant, ea ferrum ſanat, quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat: quæ vero ignis non ſanat, ea inſanabilia reputare oportet.*

* *Aph. LXXXVIII. Sect. VII. edit. Foeſii.* Sed ſecundum edit. Lindenianam *Sect. VIII. aph.* 6. Quoniam autem GALENVS hunc aphoriſmum non poſuit in ſuis codicibus, vbi reliquos omnes commentariis iluſtrauit, propterea ab editoribus ſpuriis adnumeratur. Sed vt κατὰ τὸ ῥητὸν non ſit ab Hippocrate profectus, rem tamen menti eius apprime conuenire, docere nos poteſt *lib. de arte §. XIII.* Ceterum profiteor me regulas iſtas a D. D. CLERICO accepiſſe: ſubnotaui autem loca illa, vbi apud Hippocratem eas relegere poſſit, ſi quis id deſiderat.

XIIII. Progredior ad breuem delineationem praxeos Hippocraticæ dandam, ſecundum therapiæ generalis capita. Faciam vero initium a ratione ventrem & inteſtina expurgandi. Hanc vero expurgationem aliquando moliebatur leniſſimis, vt mercuriali in aqua cocta, cuius excolatum ſuccum, cum ptiſanæ pari menſura remixtum, modico mellis adiecto, per vices ſorbendum dabat.

dabat.* Vel braſſicam edere eiusque ſuccum ſorbere iubebat: quæ ſi minus ſufficerent, folia ſambuci eodem modo ſumenda proponebat.** Alibi betæ decoctum cum melle, & braſſicæ cum ſale, iungendum præcipit.*** Familiaris etiam Hippocrati erat vſus lactis aſinini ad aluum ſoluendam. Dabat autem illud coctum,**** & non modica quantitate, ſcilicet non minus quam duodecim heminas, vsque ad ſedecim. Sed & lac bubulum, equinum & caprinum bibendum commendabat.*** Et equinum quidem σεσεισμένον bibere iubet,** quod Cornarius exponit: *percolatum*, Foeſius: *excolatum:* neſcio an ſatis clare. Nam alio loco* exponit, quo pacto Scythæ ex equino lacte butyrum & hippacen conficiant: quem ſi attente conſideremus, vel lac ebutyratum, vel ab hoc porro ſeparatum ſerum oportebit intelligere. Serum etiam lactis multum præſcribebat, plerumque adiecto præcepto, vt decoctum ſit.

* *de morbis II. §. XII.* ** *Ibidem §. XIX.*

*** *de internis affection. §. XIII. p.* 212. *ed. Lind.*

**** *Ibid. §. IV. & XI. & de vict. acutor. XXXVIII.* non autem modica eſt hæc quantitas: quippe κοτύλη, ſeu hemina, Italicas vncias menſurales nouem æquat, ponderales autem ſeptem & dimidiam. Forte ex hoc didicit HORATIVS AVGENIVS methodum illam ſerum lactis ad libras octo vel decem exhibendi, vide *Epiſt. medicin. tom. II. Lib. I.* vltimam & *lib. XII. ep. I.*

*** *de intern. affect. §. VII.* in fine.

** *Ibid. §. IV.* * *de morbis IV. § XXV. pag.* 144.

XV. Talibus autem non ſolum vtebatur ad ventrem inferius expurgandam: verum etiam eadem accommodare ſolebat ad reiectionem per vomitum, leniſſimam quidem, parandam. Nam oleribus ſupra dictis repletus homo deinde lenticulæ decoctum, melle & aceto remixtum, bibebat,* & deinde vomere debebat. Aliquando ſic vomere faciebat:** *aquæ mulſæ dimidium*

congium ipſi bibendum dato, modico aceto affuſo, & hæc citra reſpirationem bibere iubeto. Deinde ſtragulis ipſum ad multum ac quam longiſſimum tempus contegito. Si vero non ſuſtineat, & euomere velit, vomat. Si vero vomitus non ſequatur, tempore iam aliquo interpoſito aquæ tepidæ poculo magno ſuperingeſto vomat, irritatione per pennam facta.

* *de morbis II. §. XV.*

** *de intern. affection. §. XIII.* Plures modos vomitum excitandi vide *de ſalubri diæta. §. VII.*

XVI. Vt vero ventris recrementa inferius ſubducantur, infuſis ſeu clyſmatibus ſubinde vtebatur, atque diætetica quidem ratione menſibus potiſſimum æſtiuis, quemadmodum vomitibus hybernis. Pro gracilioribus craſſa & pinguia, ex lacte & cicerum decocto, aliisque huiusmodi, parare iubet:* pro craſſioribus vero & pinguibus tenuia & ſalſa ex muria, aqua marina & eiuscemodi. Vbi vero clyſteres forte non admittebantur, glandes ſeu ſuppoſitoria ab ipſo præſcribi ſolebant: eratque eorum diuerſa materia: ſed magis pro mulieribus quam viris ea video propoſita.

* *de ſalubr. diæta §. VI.*

XVII. Vbi vero tam lenia non ſufficiebant, neque fortiſſima & maxime draſtica Hippocrates reformidabat; bene quidem gnarus* talia valde vrere & exulcerare, vbicunque partem aliquam corporis teneriorem attingunt: *ſed ventrem a medicamentis non exculcerari credebat, quoniam res eſt valida & robuſta, nimirum velut pellis & corium.*

* *de morbis IIII. §. XXXI.*

XVIII. Porro inuenimus Hippocrati perſuaſum fuiſſe dari medicamenta electiue purgantia. *Si enim,* inquit,* *homini alicui medicamentum dederis, quod pituitam ducit, pituitam tibi vomet, & ſi pharmacum dederis bilem ducens,*

ducens, bilem tibi vomet. Eadem ratione & bilem atram purgabit, ſi medicamentum exhibueris, quod bilem atram ducit. Verum ſi medicamentum nimis forte fuerit, & id, quod maxime ſecundum naturam ſibi familiare eſt, omne eduxit, deinceps etiam alios humores educere docebat: idque exemplo plantarum declarabat, quarum quælibet ex terra id attrahit, quod naturæ ſuæ familiare in terra exiſtit.

* *de natura humana* §. VIII. X. XI.

XVIIII. Sunt autem purgantia illa fortiora, quibus Hippocrates vſus eſt, elleborus vterque, peplium, colocynthis, coccus Gnidius, cneorum, elaterium, ſcammonea, thapſia. De ſingulis hisce paucula ſubiiciam. Et de veratro quidem breuior ero, quoniam de eo aliqua dicta ſunt, vbi de Melampode ſermonem habebamus. Reformidabat Hippocrates vſum eius in hominibus ſanas carnes habentibus, * & vbi dandum cenſebat, numquam ſine ſollicita præparatione ad ipſum veniebat. Corpus ante exhibitionem humidum reddere ſtudebat, cibis conuenientibus & quiete: deinde a vino abſtinere aliquandiu iubebat, vomitibus diæteticis ad promptius vomendi habitum deducebat. Sumto veratro multa in promptu eſſe debebant, quibus ſymptomata euenire ſolita, præcipue ſtrangulatio, ſingultus & conuulſio, vel auerti vel ſuperari poſſent. Ante omnia ſpem in eo reponebat, ſi prompte operaretur: ſique ſegnius eueniret effectus, illum imperato motu, clyſteribus, aliis ad vomitum prouocandum idoneis, excitabat. **

* *Aphor. XVI. Sect. IIII.*

** pluribus hæc expoſui in *diſſert. de elleboriſmis veterum*, Halæ 1717. propoſita.

XX. Albo elleboro Hippocrates plerumque addere ſolebat ſeſamoides, quod ipſius vis ſurſum purgandi hoc

hoc adiecto valde accelerari credebatur. Sed obſcuriſſimum eſt quid illud ſeſamoides fuerit. Qui putant elleborum nigrum fuiſſe ex eo redarguuntur, quoniam vis ſeſamoidis in ſemine omnis fuit, radix autem inutilis cenſebatur: quod in veratrum nigrum minime quadrat.

XXI. Elleboro nigro Hippocrates fere addere ſolebat, peplium, ſed non conſtat qualis illa planta fuerit. Plurimi ad eſulas illam reuocant: teſtaturque Matthiolus hodieque in Italia aliquam eſulæ ſpeciem vocari *pepla* vel *peplo.* Quod vero alibi * μηκωνίδος nomine appellatur; hinc a DIOSCORIDE ** videtur dici *ſpumeum papauer*: quamuis illæ notæ, quas nobis prodidit, nihil indicant, cur iure ad papauerum ſpecies referri debeat peplion. An forte idem eſt papauer album Hippocratis, quod inter purgantia relatum ab ipſo videmus? *** Videtur ſane, quoniam PLINIVS **** quoddam papaueris genus tithymalum vocatum eſſe prodidit.

* vide loca apud FOESIVM in vocibus πέπλιον & μηκώνιον indicata.

** *Libr. IIII. cap.* 72. Adde ibi Matthiolum.

*** vide iterum FOESIVM. **** *Libro XX. cap. XIX.*

XXII. Quemadmodum autem peplium elleboro nigro addebatur, quod flatus erumpere facit: ita eidem ſcopo inſeruiebant adiecta carminatiua, vt daucus, ſeſeli, cuminum, aniſum idque genus alia. Porro nigrum cum dulcibus dare veteres cauebant: ſed album vel oxymelite commixtum, vel vino dulci infuſum frequenter offerebant: cuius rei cauſas ab experientia edocti ſine dubio fuerunt. Videndum itaque quam recte vtrumque ad oxymel ſuum elleboratum olim adhibuerit CONRADVS GESNERVS: & an ſatis bene nos hodie vino infundendum cum aliis præſcribamus. Forte nec illud quisquam Hippocratis, vel vllius veteris, exemplo comprobauerit, quod elleborus niger admiſcetur medicinis per

plures

plures dies ſucceſſiue continuandis, vt infuſis vinoſis. Sed hæc alio loco diſceptabimus.

XXIII. Coccus, i. e. granum, ſæpe nudum apud Hippocratem vocatur, intelligiturque ab vrbe Aſiæ dictum Gnidium, vt aliquando plene etiam legitur. Interno vſui adhibebatur interdum **, ſed longe frequentius externo.

* *de morbis mulier. I. §. CXVIII. de natur. muliebri pag. 385. ed. Lind.*

** Ibidem *§. CXXIII.* vbi bis ſuadetur κόκκον δοῦναι καταπότον, *granum gnidium deuorandum dare* : ex quo mihi videor colligere vnicum modo granum fuiſſe pro doſi oblatum : quum alias, vbi pro externo vſu eadem grana præſcribit, (quod ſæpius facit,) ſollicite numeret, quotnam adſumi velit. Sed DIOSCORIDES viginti granorum partem internam deuorare permittit. In libro *de internis affectionibus* aliquoties commendantur grana Gnidia, iuncta hippophais ſucco. En duo loca : *Caput purgato hippophais ſucco, aut cnidio grano, corpore prius valde bene foto. §. XIV.* & : *purgare oportet cneoro dato, aut hippophae, aut cnidio grano aut lapide magneſiæ.* Quid vero ſit hippophaes inter noſtros botanographos, quantum memini, non conſtat. Videatur DIOSCORIDES *lib. IIII.* & ad ipſum commentatores: de lapide autem τῆς μαγνησίης, quin ſit ille, qui nobis ſub magnetis nomine cognitus eſt, dubitare nos non ſinit idem DIOSCORIDES *Lib. V. cap. CV.* quo auctore diſcimus, quod, *trium obolorum pondere datus*, craſſos humores eliciat. Forte nec illud curioſa conſideratione indignum fuerit, cur in laudatis libris, vt & illo *de natura muliebri* inſcripto, toties hæc medicamenta commendentur, in reliquis autem plane non occurrat illorum mentio. Mihi ſaltem non ſuccurrit alius locus vbi commendentur. Sed & illi *de internis affectionibus*, *de natura muliebri*, vt & *de morbis mulierum* libri, vix poterunt Hippocrati tribui, quod iam Mercurialis toties laudatus docuit : & vel ſola farrago medicamentorum commendata, præter morem Hippocraticum, merito illos ſuſpectos reddere debet.

XXIIII. Cneorum & cneſtrum (κνῆστρον) vocatur ille frutex, cuius fructus grana illa Gnidia ſunt, de quibus modo egimus. Vulgatius nomen eſt thymelæa. Forte

vix alibi, niſi in modo laudatis libris, mentionem eius videris: nec memini interno vſui commendari.

XXV. Colocynthidem iisdem libris video frequenter commendatam, ſed, quantum memini, vſibus tantum externis. Thapſiam iisdem libris, vt & illo *de ſuperfœtatione*, qui eiusdem cenſus eſt, vtendam proponit, pariter externe: quemadmodum etiam cyclaminum & florem ac ſquamam æris. Sed thapſiæ ſuccum multa calida remixtum interne ſumendum, vt citiſſime reuomatur, video alicubi propoſitum *, ſine addita quantitatis ſumendæ determinatione. Et æruginem adeo interne ſumendam, cum potione ſyrmæa, præſcriptam** video, non determinata quidem quantitate, ſcopo autem abortum procurandi, ſine dubio vehementiſſimis vomitoriis motibus ab ærugine concitandis.

* *de morbis III.* §. 8. ** *de morbis mulier.* §. 108. in fine.

XXVI. Pariter ſcammoniæ ſuccum externis vſibus, ad vterum extergendum, video in *de morbis mulierum* libris ſæpius proponi: alibi* vero etiam vſum internum, ad ſubpurgandum, ſuaderi. Frequentiſſime autem elaterium in iisdem occurrit, externe, vt digerens & repurgans, adhibitum. Verum præterea interne dandum idem forte ſubintelligendum erit, quando plurali numero τὰ ἐλατήρια, *medicamenta agitatoria*, commendantur. Infantibus repurgandis ſuadet ** lac capræ vel mulieris quæ elaterium aut cucumerem agreſtem deuorauerit. Vbi quidem ipſa vox elaterium deſignare mihi videtur elleborum album, quo capræ veſcuntur: cucumerem autem agreſtem poni puto pro elaterio ex cucumere hoc parando.

* *de intern. affect.* §. 2. ** *Epidem. VI. ſect. V.*

XXVII. Cnicum Hippocrates non alio loco, quam lenis deiectorii, habuit; vt apparet ex hoc textu: *aluum mouent & purgant, cicer, lens, hordeum, beta, braſſica,*

mercu-

mercurialis, ſambucus, cnicus; hæc omnia aluum potius quam vrinam mouent.

* *de diæta II.* 27. Eiusdem libri §. *XIV.* paucis ſcribit κνίκος διαχωρέει. *cnicus aluum mouet.*

XXVIII. Liquet, opinor, ex dictis, propria Hippocrati & frequentiſſima purgantia fuiſſe vtrumque veratrum, ſeſamoides & peplium: hisque contentum multis aliis, quæ forte Cnidiorum fuerunt, & poſt eius tempora, cum medicamentaria res amplificaretur, introducta ſunt, non multum egere ſe arbitratum fuiſſe. Mirum eſt quod ne verbulo quidem, in tam amplis voluminibus, commendetur aloe, quam tamen non ita diu poſt in vſum vocatam deprehendimus. Cumque in tanta copia & farragine medicamentorum, quæ in libris ad mulieres pertinentibus, ceterisque indicatis, commemorantur, vbi toties commode commendari poterat, numquam tamen ad vſum proponatur: magnum inde argumentum peti poſſe exiſtimo ad antiquitatem horum librorum agnoſcendam: quantumuis mihi perſuadere non poſſum eos Hippocratis genuinos fœtus haberi poſſe, omninoque mallem eos ſynchrono, vel plane antiquiori cuidam, Cnidiæ ſcholæ doctori adſcribere; vtpote quibus plurima erant pharmaca elateria.*

* vide *de victu acutor.* ab initio: πλεῖστα αὐτέοισιν εἰρέαται φάρμακα ἐλατήρια: *plurima a Cnidiis pharmaca agitatoria proponuntur.* De elaterio iam ſupra diximus.

XXVIIII. Hippocrates purgantibus plurimum quidem vtebatur in morbis chronicis: verum etiam in acutis eadem ætate eius data fuiſſe, ex multis locis intelligimus. Non modica diſceptatio in ſcholis medicis exorta eſt de purgatione in morbis acutis, an omnino inſtituenda ſit, & quo tempore inſtitui debeat: vtriusque ſententiæ patronis Hippocratem in ſuas partes vocantibus. Sed longior eſt hæc diſputatio, quam vt hic locum inueniat. Videatur D. D. CLERICVS.*

 * *hiſtor.*

* *hiſtor. medic. P. I. lib. III. cap. XVI.* Adde, ſi placet, doctiſſimi IO. ANTONIDAE van der LINDEN *ſelect. medic. exercit. XII.* quæ inſcribitur: *Scomphus pleuriticus.*

XXX. Ab iis, quibus pro ventre euacuando vſus eſt Hippocrates, commode licebit progredi ad recenſionem illorum, quibus vrinam ciere, vel pectus expurgare, vel vteros, ſolitus eſt, vel ſudores elicuit. Et vrinam quidem cientia plura propoſuit, quorum aliqua leniora ſunt & ad diæteticam rationem accedunt, alia ſatis fortia. Lenioribus accenſeo allium, apium, maxime paluſtre, & cepas: de quibus ita docet: * *Ex oleribus allia & cocta & aſſata, vrinam cient, & per aluum ſecedunt, & ad menſes muliebres conducunt. Cepæ ad vrinas commodæ ſunt -- apium & coctum & crudum vrinam ciet, & paluſtre magis quam ſatiuum, quod etiam maiorem vim habet. -- porrum coctum vrinam ciet & ſecedit.* Datis autem talibus ptiſanam tenuem, decoctum mercurialis, vinum aquoſum, mulſam aquoſam, & id genus alia diluentia, ſuperingerebat. ** Nonnumquam etiam balneis præcipiebat hoc fine vti. ***

* *de affectionibus. §. 48.* ** *de morbis II. §. XII.*

*** *de victu acutorum. §. XXXXIII.* Memorabilis eſt locus, vbi prouidere iubet vt omnia accuratiſſime præparentur ὑπὸ τῶν ὑπουργῶν, id eſt *a mediaſtinis reunctoribus*, quales homines noſtrorum balneatorum ſimiles fuerunt.

XXXI. Sed & ſatis forte diureticum remedium, cantharides, ab ipſo adhibitum legimus ad potionem hydropicam: * *cantharidas tres, detracto capite vniuscuiusque & pedibus & alis, corpora ipſarum in tribus aquæ cyathis terito.* Idemque, cum aliis remixtum, ad menſes, ſecundinas & fœtum expellendum ſuadet, ** ſed cantharides quinque ſumendas præcipit.

* *de vict. acutor. §. LXVI.*

** *de morbis mulier. I. §. 108. pag. 500. ed. Lind.* Sed in verſione tota hæc pericope omiſſa eſt: an forte Cornarius, cuius eſt verſio,

verſio, in quibusdam exemplaribus illam non legit? Quin FOESIVS totum hunc locum Græce aliter exhibet, quam vel FROBENIVS vel LINDENIVS nobis dederunt; & omnem illam compoſitionem ad vſum externum reuocat, nulla tamen, quod merito mireris, tam notabilis mutationis ratione vel verbulo indicata: de quo diſpiciant alii, quibus maius eſt otium.

XXXII. Quod Hippocratis æuo creditum ſit, caput ſeorſim expurgari quibusdam poſſe, docent quæ ſupra* de grano cnidio & hippophae dixi. Sed paucula addi his dictis debent. Scilicet eodem libro** commendat tetragonon capiti purgando. Vox vero tetragonon quid ſibi velit oppido eſt obſcurum. Neque enim patet an inſtrumentum, an vero medicamentum aliquod, hoc nomine deſignetur. Galeni iam tempore ignotum fuiſſe quid tetragonon ſignificet, videri apud FOESIVM in œconomia poteſt: nosque infra commode hunc locum iterum attingemus. Alias autem errhina quædam acria & ſternutationem exitantia hoc ſcopo proponit.

* §. XXIII. *nota.* *

** *de affect. intern.* §. XXXXVIII. & LII.

XXXIII. Sed magis notabilis videtur modus ille pulmones expurgandi, quando ex peripneumonia ſuppurati eſſent, excitato nimirum per acria immiſſa tuſſi, cuius violentia abſceſſum rumpere tentabant.* Hoc fine ari radicem tritam, cum grano ſalis, & pauxillo mellis, aquæ & olei ſubigebant, ægroto autem linguam protrahebant, & mixturam modo dictam tepide infundebant. Si hæc parum proficerent ad acriora, vt cyclaminum, ſylphium, raphani corticem, æris florem, tranſibant.

* *de morbis II.* §. 44. conf. *de internis affect.* §. 1. vbi eodem ſcopo commendantur centaurea & dracontii radices. Totum autem hoc a Cnidiis medicis acceptum eſſe Galeni teſtimonio certum eſt. Quin ipſum *de internis affectionibus* librum a Cnidio quodam ſcriptum eſſe FOESIO iam viſum fuit.

XXXIIII. Ad vteros expurgandos infinita fere ſunt, quæ in libris ſæpius citatis *de mulierum morbis*, commendantur, tam interne ſumenda, quam exterius ſub inſeſſus, enematis vterini, peſſariique forma adhibenda: inter quæ non pauca ſunt vehementiſſima catharticæ & diureticæ indolis, quorum ſpecimina ſuperius aliqua attuli: quare a pluribus hic recenſendis abſtineo.

XXXV. Sudoribus prouocandis operam multam dabat Hippocratica ſchola, perſuaſa ſcilicet morbos omnes ſolui aut vomitu, aut deiectione aut vrinæ largiori profluuio, aut metaſtaſi ad articulos, aut apoſtemate exanthematibusue: *verum ſudoris ſpeciem omnibus maxime eſſe communem.** Sudori autem expellendo medicinas fuiſſe adhibitas non inuenio: ſed homine diluentibus probe præparato, ſi exerceri poſſet, illa obire exercitia, quæ cuiuis conuenire putabant, deinde fricari, lauarique iubebant: ſi vero vires aut morbus exercitia non permitterent, potibus cibisque conuenientibus itidem præparatum ſtragulis multis operiebant, ac fomentis calefaciebant.

* *de vict. acutor. §. LVI.*

XXXVI. Sanguinem ſincerum euacuabat Hippocrates venæ ſectione, ſcarificatione, & profundis ſectionibus paſſim, præcipue autem in capite, faciendis. Sed non ſolum euacuationis ſcopum hic habebat, verum etiam reuellere ſanguinem a parte remota, deriuare eundem, libertatem mouendi & influendi reddere, & refrigerare, ſanguinis detractione ſtudebat.

XXXVII. Simpliciter euacuandi ſcopo, vt nimirum venis nimium repletis ſuccurreretur, ſanguinem mittebat hominibus nimiam humorum copiam adeptis, vt athleticis, ad ſummum boni habitus apicem prouectis, quorum ſtatum periculoſum, adeoque non cunctanter

ctanter ſoluendum, præcipiebat.* Nam niſi hoc fiat oriri ἀπολήψιας, interceptiones ſanguinis & ſpiritus, indeque aphoniam, apoplexiam, conuulſiones, vrinæ ſuppreſſiones, inflammationes, de quibus morbis in genere præcipit:** *quicunque morbi ex repletione fiunt, hos curat euacuatio:* ſeorſim autem de aphonia:*** *vt quis repente, cum antea ſanus eſſet, nec vlla manifeſta ratio præceſſiſſet, voce deficiat, venarum interceptio facit. Oportet igitur tali ſanguinem detrahere.* Similiter ad vrinæ ſuppreſſionem hoc remedium ſuadet.****

* *Aphor. III. Sect. I.* ** *Aphor. XXII. Sect. II.*

*** *de victu acutor.* §. 37. & 38. *ed. Lind.* conf. §. 36. vbi grauiter differit venæ ſectionem in morbis a repletione præcedere debere, tamquam principale remedium, eamque demum ſubſequi purgationem: ſecus ſi fiat non ſolum nihil profici, verum etiam damnum inferri.

**** *Aphor. XXXVI. Sect. VI.*

XXXVIII. De loco venæ ſectionis alicubi clare præcipit. Sic aphonia correpto venam dextri brachii ſecandam docet. *In pleuritide ac peripneumonia, ſi dolor ad ſuperiores partes extenditur, vt iugulum, mamillam, brachium, internam brachii venam ſecare oportet, ab eo videlicet latere, quod dolore fuerit correptum. Detrahere vero ſanguinem iuxta corporis habitum, & tempus & ætatem & colorem, plus & confidenter. Et ſi acutus fuerit dolor, ducere vsque ad animi deliquium.** In angina venam in brachiis & ſub lingua ſecare iubet.** Alibi frontis, narium, occipitis, ſedis venas aperire iubet. Cuidam, dum ieiunus erat vehementer dolenti, quum ſine ſucceſſu varia adhibita eſſent, ſanitatem redditam ſcribit, vena in vtraque manu ſecta, ſanguine tamdiu profluente ἕως ἔξαιμος ἐγένετο, *donec exſanguis redderetur*, h. e. vt ego intelligo, donec ſanguis effluere ſponte ceſſaret.***

* *de vict. acut.* §. *LII.* ** *ibid.* §. *XXXVIIII.* *** *Epidem. V.* §. *II.*

XXXVIIII.

XXXVIIII. De vena in acutis morbis ſecanda generalem hanc regulam præſcribit: *in acutis morbis venam ſecabis, ſi vehemens appareat morbus, decumbentes in vigore ætatis fuerint & robur ipſis adfuerit.** Sed ſi percurrimus epidemiorum libros, hiſtoriasque ægrotorum acuto morbo laborantium conſideramus, ſatis intelligimus ipſum longe plures ſine hoc remedio tractaſſe, quam illi ſunt quibus adhibuit. Quare iam diu eruditi perſuaſum habent, Hippocratem in illis libris non deſcripſiſſe ſingulatim omnia, quæ ad ſalutem ægrotorum molitus eſt: ſed aliqua omiſiſſe, quæ fieri debuiſſe lector, ex reliquis eius ſcriptis, per ſe intelligere poſſe videretur. De quo videndi ſunt D. D. CLERICVS** & D. D. IOAN. FREIND.***

* *de vict. acut. §. XXX.* ** *hiſtor. medic. P. I. Libr. III. cap.* 19.
*** *de febribus ad Hipp. Epidem. comment. I. pag.* 97. ed. Amſtelod.

XXXX. Scarificationem noſtro more adminiſtrandam Hippocrati notam fuiſſe ex ſcriptis eius clarum eſt. Sollicite autem deſcribit* vbi cucurbitulæ amplioris circuli adhiberi debeant, aut vbi anguſtiores magis poſſint. Scalpellum probat incuruum, in apice non valde anguſtum, quo viſcoſi ac craſſi humores melius poſſint ex ampliori vulnuſculo elici.

* *de medico §. VI. & VII.*

XXXXI. Atque hæc de therapia Hippocratis euacuante dicta ſufficiant. Erit nunc de alterante dicendum, quæ vitium corporis noſtri partium, ſiue ſolidarum ſiue fluidarum, emendat. Et ſane Hippocrates ſæpe meminit refrigerantium, calefacientium, humectantium, exſiccantium, conſtringentium, digerentium: verum hos effectus non tam remediis, quam victu, conſequi ſtudebat. Hinc accurate præcipit quis victus refrigeret & humectet, quisue calefaciat & exſiccet, quis conſtipare poſſit aut digerere valeat: de quo legendi ſunt libri *de diæta*,

& *de*

& *de victu acutorum*, quorum maxima pars huiuſcemodi doctrinis conſtat, quas huc referre tædioſum foret.

XXXXII. Neque de remediis ſomniferis, narcoticisue multa inuenimus quæ referri poſſint. Opii in nullo genuino libro mentionem, quod ego meminerim, inuenio. Trahi huc poſſe videtur vnicus locus,* quo commendat papaueris ſuccum (ὀπὸν μήκωνος) cum carminatiuis adſumendum, ad vteros in locum ſuum reducendos. Ibi, paucis interiectis, ad ſtrangulationes vterinas cohibendas inter alia ſuadetur ὑπνωτικὸν μηκώνιον, *meconium ſomniferum.* In reliquis, quos plures indicat FOESIVS *in œconomia*, quando μήκωνος ὀπὸς aut μηκώνιον tamquam medicamentum laudatur, ad peplium ſeu papauer ſpumeum, de quo ſupra diximus, referri debet.

* *de morb. mulier. II. §. 79. fine & 80.*

XXXXIII. Sed mandragoræ mentio aliquoties fit, vbi pro vſibus internis pariter ac externis commendatur. Et interne quidem ſumendum ita præſcribitur: * *triſtes anxios & ægrotos, ac ſe ſtrangulare volentes, mandragoræ radice, mane in potu data, minore pondere, quam quod inſanire facit, curabis. Conuulſioni ſic mederi oportet: ignis ab vtraque lecti parte ſuccendatur, & mandragoræ radix in potu præbeatur, minore pondere, quam quod inſaniam facit.* Dolendum autem quod pondus non accuratius præſcripſit. Externis vſibus commendatur ad inteſtinum rectum prolapſum & ſanguine fluens,** vel viridis, vino diluto coquenda ac imponenda, vel ſicca trita. Etiam ſuccus mandragoræ & ſilueſtris cucurbitæ cum muliebri lacte ad vteros repurgandos ſuaderi video.***

* *de locis in homine* §. XXXXVIII. ** *de fiſtulis* §. VI.
*** *de morbis mulier.* §. LXXXXVIIII. *pag.* 489.

XXXXIIII. Alio loco mandragora cum hyoſcyamo, ſilphio & trifolio e vino meraco ad febrem quarta-

nam commendatur. Quod medicamentum deinceps ab inſequutis medicis ab imitationem vocatum fuiſſe indicat PROSP. MARTIANVS,** & hunc locum illuſtrat.

* *de morbis II.* §.XXXVIIII. ** *in Hippocrate explicato. p.* 138.

XXXXV. Præter hæc autem Hippocrates habebat aliqua medicamenta, ab experientia ſine dubio maioribus ſuis Aſclepiadis cognita & comprobata, vel vndicunque accepta, quibus in morborum curationibus interne externeque vtebatur: quorum aliqua ad diæteticam rationem propius accedebant, morboque cuiuis accommodata erant: aliqua pharmaceutica magis dici merebantur. Sic ad diæteticam propius pertinet ptiſana, quam ex hordeo decorticato paratam in acutorum diæta plurimum adhibitam fuiſſe cognoſcimus. Sollicite inculcatur* vbi tota ptiſana, id eſt decoctum vna cum hordeo, dari debeat, aut vbi cremorem ſolum exhibere magis expediat. Ptiſana ex tritico cocta vocabatur alica, & potiſſimum adhibebatur vbi vires reparandæ erant. Pro circumſtantiarum ratione aliquando mulſo, vel vino, nonnumquam aceto, ſale & oleo condiebatur.

* vide *de vict. acutorum* §is primis.

XXXXVI. Nec longe a diætetica ratione abit κυκεὼν, cyceon, cinnum Latini vocant, quæ vulgaris erat apud Græcos mixtura ex vino, melle, polenta, aqua & caſeo, conſiſtentiam pultis ſorbilis referens. Sed medicinalibus virtutibus ſubinde imbuebatur adiectis quibusdam, quæ indiuidui curandi rationibus maxime conuenirent. En exemplum eiusmodi cinni, quem κυκεῶνα ἀνθίνην. id eſt floridum, vocabant, quique homini tabe laboranti inter alia præſcribitur:* *tertio menſe cyceonem floridum bibat, apii radices & anethum, & rutam & mentham & coriandrum & papauer tenerum, & ocimum & lentem & mali punici dulcis & vinoſi ſuccum. Oportet autem dulcis duplam menſuram eſſe, ita vt vtriusque*

ſucci

ſucci ſimul ſit heminæ dimidium, & vini nigri iucundi auſteri heminæ dimidium & aquæ tantundem. Poſtea flores triti in hoc diluantur permixto, & in poculum infundantur. Et poſtea farinæ erui acetabulum adiiciatur & polentæ tantundem & caſei veteris caprini raſi tantundem, & hæc permixta ebibat.

* *de internis affection.* §. XIII. Adde FOESIVM, in *œconom. Hippocr.* voce κυκεών.

XXXXVII. Pariter balnea, inſeſſus, fomentationes a communis vitæ vſu ad medicum crebro referebat, incoctis variis, quæ ægroti conditiones requirere videbantur. Etiam ſuffumigationes frequenter adhibebat, in quibus nonnumquam ſulphur, bitumen & nitrum adiiciebantur vegetabilibus. Gargariſmos non minus præſcribebat, quorum ſpecimen hoc eſto, quod anginoſo præſcripſit: * *Gargariſmus ipſi parandus eſt ex origano, ſatureia, apio, mentha & modico nitro cum aqua mulſa aquoſiore, & modico aceto inſtillato: prædictarum herbarum folia trita, & nitrum, in aqua mulſa diluito, tepefacito, ac ſic gargariſet.* Internas etiam fauces in eodem morbo curioſe ſane fouere iubebat vapore decocti cuiusdam; quod ſequentem in modum fiebat. *Fomentum ipſi ex aceto, nitro, origano & naſturtii ſemine adhibeto. Hæc terito & cum aceto, pari aqua permixta, diluito, ac parum olei inſtillato. Deinde in ollulam infuſis, operculo impoſito, arundinem cauam immittito, prunisque impoſita feruefacito: & vbi per arundinis fiſtulam vapor aſcenderit, hianti ore illum intro trahat, cauendo ne fauces adurat.*

* *de morbis II.* §. XXVI. Fotus eiusmodi aliud exemplum pro homine empyo ponitur *de morbis II.* §. XXXXIIII. *ſi non prodierit pus, paulatim fomentum adhibeto in os, ex ſii ſucco, vino tornio, lacte bubulo aut caprino, ſingulis pari menſura mixtis, ita vt ſint heminæ tres, in quas poſtea furni teſtas, igne candefactas, iniicito, atque inde vaporem per fiſtulam trahat, cauendo ne aduratur.*

XXXXVIII. Sed nec minimum vnguentis & oleis tribuebat Hippocrates. Talia vnico nomine μῦρον comprehendebat, quod deſignat oleum, aut præparatum pingue, inunctioni commodæ aptum. Plura huius generis apud Hippocratem laudantur, vt ſuſinum, irinum, roſatum, myrtinum: ad quæ paranda requirebatur vt oleum floribus vel herbis iſtis infunderetur, & maceratione diuturna odoribus imbueretur. Non raro ad commendationem maiorem odoris aromatica quædam admiſcebantur. Leguntur apud Hippocratem aliqua ex Aegypto afferenda.* Nam antequam Græci artem olea parandi diſcerent, ex Aegypto ea petebant. Ampliſſime autem patebat illorum vſus. Multum conſumebatur ab athleticis hominibus, qui ante exercitia vngebantur: exercitiisque peractis pars apotherapiæ erat olei vel vnguenti acopi, id eſt laſſitudinem tollentis, inunctio. Verum tamen ab hoc initio, ad omnis generis dolores demulcendos, poſtea transferebatur vnguentorum vſus, & acoporum nomen deſignabat omne eiuſmodi medicamentum externum, quod cera, pice & ſimilibus oleo iunctis conſiſtentiam inungendo idoneam nactum erat & fere ceromatis nomine inſignitur. Sed erit alibi occaſio hæc iterum attingendi.

* conf. MERCVRIALIS *Var. lect. II. cap.* 19.

XXXXVIIII. Emplaſtrorum mentionem apud Hippocratem non inuenio. Cataplaſmata fieri præcepit varia intentione ex variis. Exemplo ſint ſequentia: *Quæ inflammationem ſentiunt, per cataplaſmata refrigerentur. Sint autem hæc aut betæ folia aqua cocta, aut apium, aut oleæ folia, aut fici, aut rubi, aut quercus, aut mali punici dulcis, quibus coctis vtendum eſt. Cruda vero rhamni folia, vel viticis, vel ſaluiæ, vel tithymalli, vel polygonum viride, vel porrum, vel apium, vel coriandrum, vel iſatidis folia admoueto. Quod ſi horum nihil habeas: neque*

vllum

vllum aliud cataplaſma, polentam, aqua aut vino ſubactam, ex cataplaſmate imponito. Ad fluorem album mulierum hæc commendat cataplaſmata: *rubi, rhamni & oleæ folia tenuiter trita ſimul miſceto, aqua mulſa diluito & cum polenta ex cataplaſmate admoueto.* Plura ibi ſequuntur, quæ apud ipſum auctorem legere iuuabit.

* *de affectionib.* §. XXXVII. ** *de morb. mulier. II.* §. LXXI. *ſeq.*

L. Collyria apud Hippocratem & ſequentes multa erat: deſignabantur autem hoc nomine medicamenta ſicca, antea præparata & glutinantis cuiusdam beneficio in maſſam redacta, formæ oblongæ, rotundæ, deſtinatæ ad illum vſum, vt poſſent integra in cauitatem aliquam, vt vaginam vteri, anum, intrudi: vel conuenienti liquore reſoluta infundi. Exemplum collyrii eſto *) quod ad vterum a partu applicandum præſcripſit: *amygdalas amaras tritas, & oleæ folia tenera & aniſum, & irionem & origanum, & nitrum terito, miſceto & vterorum collyria efformato.* Parum videtur a peſſariis & glandibus ſubdititiis diuerſum fuiſſe. Genus etiam medicamenti ſicci vocabatur φθοίτκοι ſeu φθοῖδες, quod exponitur trochiſci, paſtilli, placentulæ. En exemplum eorum, quod modo adductum collyrium ſequitur: *ſi inflammati fuerint vteri, & dolor habuerit, roſarum folia, cinnamomum, & caſſiam ſimul terito, & netopo affuſo placentulas drachmales formato, easque in ollam nouam fictilem igne candentem mittito, circumlocataque muliere ac veſtibus contecta in vteros ſuffito: hoc dolores ſedat.*

* *de morb. mulier. I.* §. LXXX. Paſtillorum genus aliquod, pro interno externoque vſu deſtinatorum, vocabatur κόλλιξ, quorum exempla videas *de int. affect. XXV.* & *Epid. II. Sect. VI.*

LI. Eclegmata ſeu linctus etiam præſcribebat, qualis exemplum ſit. * *In febre ſingultuoſa laſeris ſuccum, acetum mulſum, daucum tritum potui exhibeto, & galbanum ex melle cum cumino delingendum. — nux pi-*

 nea

nea cum myrrha in eclegmate detur. Ceterum pilulas apud Hippocratem nondum inuenire mihi licuit.

* *de vict. acut.* §. LI.

LII. Plura non addo de præſidiis therapeuticis, quibus Hippocratica ſchola vſa fuit. Apparebit autem facile ex adductis, tunc temporis medicamenta compoſita ſatis pauca habuiſſe ingredientia, & præparationes ſimpliciſſimas fuiſſe, quæ vltra trituram & decoctionem non progrediebantur. In tanta ruditate pharmaceuticæ rei ſuperuacuum eſſet quærere, an Hippocrates fuerit chemicus. Attamen neoterici quidam magna contentione niſi fuerunt hominibus perſuadere, Hippocratem fuiſſe magnum chemicum, ea, quæ in hac arte ſumma putantur, adeptum, quorum beneficio curationum miracula ediderit: quod vero iuris iurandi ſancta religione tenebatur conſtrictus, nihil horum arcanorum deſcripſiſſe: ſubinde tamen obſcurius quædam innuiſſe, filiis artis huius ſatis illuſtria.

LIII. Videbimus itaque potiſſima argumenta eorum, qui pro Hippocratis chemia certant. Primum, inquiunt, videmus Hippocratem nitrum, alumen, ſalem, viride æris, æs vſtum, flores æris, chalcitidem, plumbum & nonnulla alia* mineralia, ad vſum medicum vocaſſe. At vero vt pleraque horum ad vſus tantum externos adhibita fuiſſe legimus: ita veroſimilis ratio facile inueniri poteſt, quo pacto medici vſum talium, in vita quotidiana ad plurimos vſus crebro neceſſariorum, obſeruare, & ad artis vſum transferre potuerint, absque eo, vt vlla neceſſitas nos cogat reuelationem aliquam, ſiue diuinam ſiue myſtæ chemici, ſupponere aut exigere.

* forte Hippocrati etiam notum fuit ſtibium ſeu antimonium. Vidimus ſupra in ſcriptis eius commendari tetragonum. Id vero quid ſit indicaturus GALENVS in expoſitione ita ſcribit: τετραγώνῳ. τινὲς μὲν ταῖς ἑυρισκομέναις κατὰ τὸ στίμμι πλαξί. τινὲς δὲ ἀυτὸ τὸ στίμμι. i. e. *aliqui exponunt tabulas in ſtibio reperiundas: alii*

alii ipſum ſtibium. Et forte Galenus, aut illi ex quorum mente ſcripſit, regulum ex antimonio paratum viderunt. Sed hæc coniectura eſt.

LIIII. Deinde omnes fere vrgent textum quendam ex libro dubiæ genuinitatis deſumtum,* vbi commemoratur *aurum operantes illud* (mineram eius) *tundere*, *lauare*, *molli igne liquare*, *quum forti non confletur* (ἰσχυρῷ οὐ ξυνίσταται) ſeu *non ſubſiſtat*, *illum non ferat.* In hoc textu, inquiunt, ſi rem, vt verba iacent, accipiamus, abſurdus eſt ſenſus: ergo Hippocrates loquitur de arcano aliquo ſapientum igne, quo in aurifice arte illud maturando efficiunt, & ad nobiliſſimam tincturam conſtantiſſimamque exaltant. Hoc argumentum plures excuſſerunt, præcipue OTTO TACHENIVS** & FR. IOS. BVRRHVS,*** & ante non multos annos CHRISTIANVS DEMOCRITVS,**** qui ſinguli vindicatum Hippocrati eunt præclaram in arcaniori chemia ſcientiam.

* *de diæta I. §. XV.*

** *in Hippocrate chimico.* Is autem Hippocratem frequentiſſime allegat, vt non ſatis mirari poſſis hominis per ſe ſtrenue indocti calliditatem, cum non minori impudentia coniunctam, qua vſus eſt ad ſalis ſui viperei, adeo ſibi lucroſi, auctoritatem amplificandam & ſtabiliendam. Sed laruam homini detraxerunt IO. ZWELFERVS & HELVICVS DIETERICVS, alter in *diſcurſu apologetico aduerſus Hippocratem chymicum*, alter vero in *vindiciis.*

*** peculiari libello, quem olim ex bibliotheca illuſtris præceptoris, hoſpitis & patroni mei D. D. FRID. HOFFMANNI Halæ euolui: cuius autem titulus nunc non ſuccurrit.

**** *vitæ animalis morbus & medicina pag.* 113.

LV. Sed locum illum cum antecedentibus & conſequentibus bene conſideranti illud manifeſtum eſſe debet, auctorem hoc agere, vt medici officium declaret exemplis plurimis eorum, quæ in vita quotidiana ab artificibus, opificibus aliisque hominibus agitantur: feciſſet itaque aduerſus ſcopum ſuum, ſi rem admodum abſtruſam

ſtruſam, quin maxime ſecretam & plerisque lectoribus neceſſario obſcuram, pro obſcura alia declaranda propoſuiſſet: præſertim quum confidere poſſet, ſi quis artis illius tam diuinæ gnarus in ſua ſcripta incideret, eum non opus habere eiusmodi declaratione officii medici, idiotæ aut initiando neceſſaria.

LVI. Deinde duo dici poſſunt contra adſertores chemiæ Hippocraticæ. Primo, Hippocrati ſermonem eſſe de mineris auriferis tractandis, quæ imperfectorum mineralium rapacium ſeu volatilium adiecta copia oneratæ ſunt, vbi neceſſarium eſt blanda vſtulatione & torrefactione illa prius abigere. Niſi enim in talibus hoc fiat, ſecum in auras, ſi non omne metallum probum, maximam tamen partem, abriperent. Et talia fuiſſe metalla in illo tractu, quem Hippocratem peragraſſe legimus, a fide alienum non videtur, quum cinnabarim natiuam ibi inuentam eſſe probari poſſit, vt & arſenicum natiuum ſeu auripigmentum, quæ ſi metallo cohæreant, nec cauta & patienti vſtulatione abigantur, magnæ iacturæ auri fiunt auctores.

LVII. Si hæc autem diſpliceat ſententia, porro quærerem cur fieri non potuerit vt auctor, qui hæc ſcripſit ex quibus Hippocratem chemicum fuiſſe contendunt, rerum metallicarum æque fuerit imperitus ac Galenus ſe fuiſſe prodidit, quando ſcripſit: Ignis non differt ab igne, niſi maiori vi ac minore. Infirmiſſimus eſt qui ex paleis conficitur, quare ad conflandum aurum accommodatus eſt, eo quod aurum abſumatur & diffluat, ſi validiorem flammam ſentiat? Niſi forte ipſemet etiam Galenus de auri ex mineris rapacibus ſeparatione intelligendus eſt, quo ipſo admiſſo ignorantiæ exprobratione iuſta carere eum debere facile credemus.

LVIII. Comprobare noſtram de vero Hippocratis ſenſu opinionem videtur illa notabilis oppoſitio τῶν ἐργαζομένων & τῶν ἀπεργασαμένων: quippe elaborantibus ex rudi minera aurum, tribuitur vſus leniſſimi ignis: illis, qui iam elaboratum tenent, vſus ad omnia, quibus inſeruire aurum in vita communi poſſit.

LVIIII. Sed tempeſtiuum nunc videtur, ad chirurgiam Hippocratis conſiderandam progredi. Illa medicinæ profeſſioni adeo coniuncta tunc temporis erat, vt vix proprium nomen tunc haberet. Liber, qui *de officina medici* inſcribitur, totum apparatum chirurgicum tradit, vt pro hodierno ſtatu iuſte inſcribi poſſe videatur de officina chirurgi. Ipſum vero Hippocratem manu mederi ægrotantibus ſolitum eſſe, dubio plane caret.

LX. Videbimus autem primum qualem ſe Hippocrates geſſerit, quando vulnus curandum, aut vlcus, acceperat. Diſcimus id ex libro qui *de vlceribus* quidem inſcribitur, agit autem de vulneribus * potiſſimum recentibus. Ceterum maxime genuinus ab omnibus iudicatur: vnde merito illum eligimus, ex quo de chirurgia Hippocratica referamus.

* Hippocrates tum hic, tum alibi, vocabulum ἕλκος plagæ recenti accommodat; in quo ſequitur conſuetudinem ſui ſæculi, & comprobat ſe eſſe Ὁμηρικὸν τὴν φράσιν, Homericum dicendi genus imitari, vt de ipſo Galenus alicubi ſcribit. Homerus autem *Iliad.* Δ *v.* 361. ἕλκος de recenti plaga vſurpat. Hippocratem autem viciſſim ſequitur Celſus, qui admodum frequenter plagam recentem vlceris nomine deſignat.

LXI. Vulnus itaque recens, niſi vino, humectare vetat, ſi non in articulis fuerit. Deligationem aliam, præter cataplaſma, non ipſi vulneri ſed circumſitis partibus imponendum, non requirit. Modicus cibus & potus offerendus; & quo grauius eſt, eo minus dari debet.

bet. Sed quietem ægrotus agat. Sanguinem ſatis copioſe effluere ſinit, præſertim ſi nullus venter, ſed extremitates tantum, læſæ ſint: facit autem hoc vt partes magis gracileſcant, minorque corruptio ſequatur. Olea & quæcunque oleoſa ſunt, recenti vulneri non conducunt. Plurimis vulneribus valde proſunt purgationes per inferiora: præſertim vbi corruptionis periculum imminet. Vulnus, niſi probe repurgatum ſit, nec ſponte, nec ſi labia ad ſe adducantur, coit.

LXII. Cuicunque vulneri accedit eryſipelas, purgationem neceſſariam facit. Vbi cum vulnere contuſio facta eſt, ſuppurationem fieri neceſſe eſt. Oportet igitur loco tumenti cataplaſmata imponere, non vulneri. Si vero, quod debebat, abſceſſerit, ſpongias ſuperimponere oportet, & ſuper ſpongias folia multa.

LXIII. Hæc ſunt generalia præcepta de vulneribus, quibus deinceps ſubiungit quæ cataplaſmata parari debeant, quæque ad repurganda ſordida vlcera conueniant. Curioſa ibi eſt * deſcriptio medicamenti quod ad vlcera æque inueterata ac recentia conuenit, multumque accedit ad naturam vnguenti Aegyptiaci, quo nos hodie vtimur.

* §. VIII.

LXIIII. In fine libri de oedemate & varicibus quædam habet. Oedemata pedum pertundit, profundioribus ac frequentioribus vulnuſculis impactis. Varicem alias atque alias compungere iubet, vt ſanguis per anguſtiſſima vulnuſcula modice effluat. Alio loco * rationem dat præcepti huius: *fieri enim non poteſt* (non licet,) *vt profuſio ſufficiens permittatur, interim neceſſitas ſæpe iubet aliquid detrahere ſanguinis.*

* *de medico §. V.*

LXV. Quod ad deligationes pertinet, ita de illis præcipit: * *Concinnas deligationes, ad ſpectaculum comparatas & nihil iuuantes, reprobare oportet. Onerosæ enim ſunt & omnino petulantes, ſæpe vero etiam damnum dederunt. Quærunt autem ægri non ornatum ſed auxilium.* Quid vero circa deligationes obſeruandum ſit, accurate alibi exponit, ** ſi modo is liber ad Hippocratem iure referri poteſt.

* *de medico.* §. IIII. cuius loci quaſi commentarius eſſe poterit *libr. de articul.* §. XXX.

** *de officina medici* §. IV. *ſeqq.*

LXVI. Liber *de fiſtulis*, de ani fiſtulis fere ſolis agit. Poſtquam expoſuit ex quibus cauſis fiant, explorationem facere docet allii caule recente immiſſo. Per fiſtulæ orificia filum quintuplicatum, aut pilum, traiicere, deinde ſenſim arctius colligare iubet, vt fiſtulæ ſinus aperiatur. Varia deinceps præſcribit medicamenta ad curationem hanc neceſſaria, ſed ſecandi modum prætermittit.

LXVII. Hactenus parum maſcula Hippocratis chirurgia apparebit: ſed in reliquis libris chirurgicis ſecando vrendoque occupatum eum videmus. De capitis vulneribus agens, inculcat quando os & quouſque radendum vel perforandum ſit: ſi quis facere hoc, vbi debebat, neglexerit, interius ſuppuratur homo, & delirus ac conuulſus moritur. *Conuulſio autem*, inquit, *pleroſque corripit in altera corporis parte. Siquidem in ſiniſtra capitis parte vlcus habuerit, in dextra corporis parte conuulſio corripit: ſi vero in dextra capitis parte, ſiniſtram conuulſio corripiet.*

* *de capit. vulner.* §. 26.

LXVIII. Varia Hippocrati fuiſſe inſtrumenta, quibus terebraret, ex multis locis intelligimus. Hæc inter commemoratur aliqua terebra ſerrata & caua, quæ oſſi-

bus vſque ad membranas excidendis conuenit, valdeque ſimilis eſt illi inſtrumento, quod nos trepanum vocamus. Eo etiam coſtas perforari, ad aquam in pectoris hydrope emittendam, legimus:* quamquam alii hanc coſtarum perforationem ſimplici terebra factam eſſe contendunt.

* *de intern. affection.* §. 25. adde *Foeſium in œconomia Hippocr.* vocibus τρύπανον & περητήειον.

LXVIIII. Fractas partes Hippocrates, extenſione debita prius facta, reponebat, deinde deligationem, pro partis læſæ conditione, adminiſtrabat, ſupra faſcias autem ſplenia, cerato quodam modice inducta, ponebat, hæcque iterum linteis firmabat. Deinde ferulas, vinculis quam laxiſſimis firmandas, circumponebat, quietis tantum gratia, minime autem vt ferularum appoſitio ad compreſſionem quicquam faceret, quod admodum notanter chirurgo commendat. Porro chirurgus prudenter æſtimare debet tempus, intra quod quæque oſſa conferuere ſolent. De eo accurate præcipit, monet autem fieri poſſe vt naturarum & ætatum differentiæ aliquid varient. Exempli gratia oſſa cubiti triginta diebus concalleſcunt. Itaque vſque ad decimum oportet diæta vti parciori & extenuante. Decimo, ſiquid non recte repoſitum ſit, diſpicere & dirigere, ſi opus ſit. Tum iterum recte deligare, ferulis appoſitis, ſicque, ſi nullus pruritus vexet aut exculceratio ſuſpecta ſit, relinquere, donec viceſima dies tranſierit. Interea ſenſim progreſſu facto refici æger pleniori victu debet. Duabus tertiis partibus ſic transactis & laxius, & paucioribus ſenſim linteis adhibitis, deligari debet, donec omnino cum ſanitate in gratiam redeat.

LXX. Atque hic eſt totus proceſſus, quaſi exemplaris, curandi oſſa fracta. Ipſemet enim addit: *Hic ſermo velut lex iuſta poſita eſt de fracturarum curatione, & quo-*

& quomodo tractare oporteat, & quomodo euentus ſequi ex iuſta tractatione. Nullus hic eſt emplaſtris locus datus, quæ nec diu ſatis poſt Hippocratem adhibita legimus. Saltem PAVLVM AEGINETAM, qui multis a Chriſto nato ſæculis vixit, vllas in curatione fractorum partes emplaſtris dare non video.

* *de fracturis §. VI. & VII.*

LXXI. De luxatis copioſe agitur libello non exiguo *de articulis* inſcripto, vbi leuioribus caſibus ſola manu reponere docet, ſed in grauioribus, vt ſpinæ luxatione, inſtrumento vtitur, quod διαναγκασμὸν vocat, cuiusque fabricam & vſum multis deſcribit. * Sic & in humeri luxati repoſitione, poſtquam varios modos in palæſtra receptos & frequentes recenſuerat, ** machinam deſcribit, quæ ambe vocata eſt, qua facillime luxatus humerus in locum ſuum reſtituitur: quæ ipſa machina hodieque apud multos chirurgos in vſu eſt. Et videtur ſane Hippocrates hanc machinam excogitaſſe, quod per tot ſæcula adhuc ab ipſo denominationem ſeruat: & de reliquo curioſus & ſedulus fuiſſe in compendiis chirurgicarum curationum crebriori experimento inueniendis: cuius induſtriæ documentum eſſe poteſt, quod & irritum experimentum recenſere non dubitauit, addita pulcra ratione: *** *Scripſi autem hoc de induſtria: pulcrum enim eſt etiam ea addiſcere, quæ, in experimentum aſſumta, ſucceſſu caruerunt, & cur ſucceſſum non habuerint.*

* *de articulis. §.* 46.

** *Ibidem §.* 4. Notabilis autem eſt *§.* 3. vbi commemorat modos luxatum humerum reponendi in palæſtris vſitatos. Ex quo confirmatur quod ſupra *Sect. II. cap. VIII. §.* 27. & 28. ſcripſi, homines athleticis exercitiis ſubſeruientes medicorum operum quædam agitaſſe: quod deinceps, poſtquam plerique medici exercere ea neglexerunt, effecit vt ſeorſim aliqui indocti & ignobiles homines, nobilem hanc partem

ſibi tribuerent, & cum ſordibus ſibi lucroſis coniungerent. Oribaſii temporibus eo iam res deducta erat, vt is in *ſynopſi ad filium* ſcripta profiteretur, talia illis eſſe relinquenda, qui pueros in palæſtra exercent.

* *Ibidem* §. 48.

LXXII. Hactenus de chirurgia Hippocratis diximus vbi vulnus, vlcus, fractum, luxatumque acceperat: qua occaſione iam aliquoties vidimus, ipſum accepto vulneri vulnus nouum adddere veritum non fuiſſe. Sed iuuabit vnum adhuc alterumue ſpecimen intueri operationum chirurgicarum Hippocratis noſtri. In libello *de viſu* proponit aliquam oculi quaſi ſcarificationem. Lanam Mileſiam puram, criſpam, fuſo circumuolutam, adhibet palpebræ & tunicæ albugineæ fricandæ, donec ſanguis profluat: tamdiu autem continuat, vsque dum non amplius purus ſanguis, ſed ſanies ſubcruenta aquoſa prodeat. Quod ſi in oculorum morbis exſpectationi ſatis non faciat dorſum & pectus inurit, aut ſinciput profunde incidit inſuperque cutim ex parte reuellit, quin oſſis partem, vt videtur, exſcindit: vt cicatrice duriore facta aquæ affluxus ad oculum intercipiatur. Obſcurius quidem illo loco* eam exponit; ſed erit occaſio, vbi ad CELSVM progreſſi fuerimus, hanc operationem, periſcyphiſmi & hypoſpathiſmi nominibus dictam, pluribus conſiderandi.

* Aliquanto clarius *de loc. in hom.* §. XXIII.

LXXIII. In renibus ſuppuratis, ſi circa ſpinam tumor exſtiterit, illum tumorem profunda ſectione aperit, vt pus effluat.* Pectoris paracenteſin, ad pus & aquam e cauitate emittendam, facere docuit. ** Eandem in abdomine inſtituebat, ad aſciticorum collectas in hac cauitate lymphas euocandas: quanquam plerumque præſagium haud adeo læti ſucceſſus adiicitur. Nonnumquam loco ſectionis talibus in morbis inurebat.***

* *de internis affect.* §. 15. & 16.

** *de*

** *de morbis II.* §. 45. & 59. *de int. affect.* §. 25.
*** *ibidem.* §. 26. 27.

LXXIIII. Atque in genere dici poteſt priſcam Hippocratis praxin vſtiones non multum reformidaſſe. Certe præcipit, & accurate edocet, quibus cautionibus fieri debeat inuſtio humeri, aut potius regionis ſubalaris, in illis, quibus humerus frequenrer excidit.* Similiter arthriticos & podagricos lino crudo inurere præcepit:** quod & ab inſequutis retentum video, eritque hunc modum ex illis clarius proponendi occaſio.

* *de articul.* §. XI. XII. XIII. ** *de affection.* §. XXX. XXXII.

LXXV. Fœtum etiam mortuum inſtrumentorum ope extraxit, de quo videri poteſt exiguus omnino libellus, qui *de exſectione fœtus* inſcribitur. Calculi autem exſectionem diſcipulis ſuis interdixit, quin iuris iurandi religione interpoſita eos obligauit, vt viris chirurgiæ operariis hanc operationem relinquant: ſi modo *iusiurandum* vere eſt ab Hippocrate præſcriptum, de quo, doctiſſimis viris præeuntibus, merito dubito. Herniarum quoque operationes tunc nondum tentatas eſſe mihi ex eo perſuadeo, quod, niſi vnico loco,* ne nomen quidem earum apud Hippocratem inuenio.

* *de aerib. aq. & loc.* §. XII.

LXXVI. Supereſt nunc vt praxeos Hippocraticæ ſpecimina aliqua pleniora adducam, ex quibus cognoſcatur qualis ea fuerit, & quantum noſtra ſit ab illa Hippocratica in plerisque diuerſa. Ex febribus exempli loco ſit quartana, quam ſecuriſſimam omnium & facillimam eſſe prædicat, quæque non ſinat magnos morbos ingruere, vt conuulſiones & mentis morbos, & illos, qui iam illis correpti antea fuerunt, ſuperueniens liberet. Eandem tamen longiſſimam eſſe & vix ante annum deſinere: quamuis leuiores & breuiores fere ſunt æſtiuæ auctum-

auctumnalibus & hibernis, quæ vltimæ in acutos morbos leniter tranſire ſolent. A vigeſimo quinto vel triceſimo anno plerumque enaſcuntur, & qui hos egreſſi ſunt, præ reliquis ſunt febri huic idonei, vsque ad quadrageſimum quintum. Si non bene exeat morbus, in hydropem facile tranſit. Ab atra bile potiſſimum excitatur.

LXXVII. Curationem quartanæ febris duobus præcipue locis tradit Hippocrates. Eorum primo hanc præſcribit:* *Quum febris quartana ex alio morbo non purgatum apprehenderit, pharmacum deorſum purgans dato, deinde caput purgato: poſtea rurſus infra purgato. Si vero his factis non ceſſet, interpoſitis duabus inuaſionibus, poſt purgationem infernam, multa calida ipſum lauato, & ſeminis hyoſcyami milii magnitudinem & mandragoræ tantundem & ſucci ſylphii trium fabarum magnitudinem & trifolii tantundem in vino meraco bibat. At ſi firmus & ſanum ſe eſſe putans, ex laſſitudine aut profectione febre correptus, ad quartanam deueniat: fomentis ipſi adhibitis allium dato in melle tinctum. Deinde lenticulæ decoctum bibat melle & aceto admixtis. Poſtquam autem repletus fuerit, vomat. Poſtea calida lotus, vbi frigidus factus fuerit, cyceonem ex aqua bibat. Veſperi cibis mollibus & non multis vtatur. Altera vero exacerbatione, vbi multa calida laueris, & ſtragula ipſi intexeris, donec exſudet, ſtatim veratri albi radices, trium digitorum longitudine, & trifolii drachmam, & ſucci ſylphi duarum fabarum magnitudinem, in vino meraco bibat. Et ſi vomitiones ipſum vrſerint, vomat: ſin minus, ſimiliter vomat, poſt caput purgatum. Cibis autem vtatur quam molliſſimis & acerrimis. Quum vero exacerbatio ipſum inuaſerit, ieiunus medicamentum ne bibat.*

* *de morbis II.* §. XXXIX.

LXXVIII.

LXXVIII. Altero hæc præſcribit: *Si quartana apprehenderit, ſiquidem impurgatus fuerit, primum caput purgato, & , interpoſitis tribus aut quatuor diebus, pharmacum ſurſum purgans dato in ipſa apprehenſione. Et interpoſitis diebus, rurſum aliud deorſum purgans dato in ipſa apprehenſione. Si vero ex his non ſedetur, multa calida lauato & pharmaca, quæ ſcripta ſunt, dato. -- danda autem ſunt velut ſcriptum eſt in medicamentario libro.*

* *de affectionibus* §. XVIIII. quis ſit medicamentarius ille liber hic, vt & §. 15, & 18, alibique citatus, obſcurum eſt. Græce dicitur ἐν τῇ φαρμακίτιδι, aut ἐν τοῖς φαρμάκοις. Forte ipſi quatuor de morbis libri id nomen habere debent, quoniam in illis docetur quomodo morbi per medicamenta curari potiſſimum debeant: quum in iis de diæta acutorum, vtique a potiori ſic inſcriptis, potiſſimum ſtudium ſit docere vt morbos diæta curare deceat. Plerique hos de morbis libros, vt & eum de affectionibus, Hippocratis eſſe negant, Polyboque genero eius adiudicant; quin alii ad Gnidium quendam referre malunt.

LXXVIIII. Alterum ſpecimen icterus præbeat. Huius non vna exſtat curatio. Alia enim* principio hominem nutriendo, balneis, aliiſque humectantibus, cito pinguefacere ſtudet per aliquot dies: deinde purgando reſiccare, & pinguitudinem exhaurire. Attenuatum balneis committit, puluere radicis cucumeris agreſtis prius illitum. Nec vllum, quod bilem educat, medicamentum dare permittit. Homini ſic emaciato & exhauſto vinum deinde meracum datur, cum aliis rubicundum colorem reddentibus. Quod ſi vero nihilominus homini flauus vel viridis color ſubſiſtat, eadem, quæ dicta ſunt, ordine repetuntur.

* *de locis in homine* §. XXXX.

LXXX. Alia autem hunc in modum præſcribitur:* *Extrinſecus corpus molliendum eſt balneis calidis, aluus*

vero et veſica humectanda & vrinam cientia danda. Si vero fortis fuerit, purgato capite, pharmacum quoddam potandum dato quod bilem deorſum purgat: poſtea diureticis vtendum eſt. Tertiam demum, quæ ictero nigro deſtinata eſt,** adiiciam: *Color ſit niger circa faciem, & maxime circa partes, velut in vmbram, occultatas. Et oculi cum virore pallidi itemque lingua inferne, & venæ ſub lingua craſſæ ac nigræ: & eſt homo ſine febre, & mingit craſſa, billioſa. Quum ita habuerit primum venas ſub lingua ſecato: deinde calida multa loto, aſphodeli radices bibendas ieiuno dato, ita vt æquales quinque radices in vino coquas, & apii foliorum manipulum addas. Affundito autem vini dulcis tres heminas dimidiatas Aeginenſes, vt a coctura ſemihemina ſuperſit. Hoc bibendum dato. Poſtquam autem minxerit, cibis aluum ſubeuntibus vtatur, & a cibo cicer album edat, & vinum album, multum, aquoſum bibat, & apium & porrum in cibo edat per ſeptem dies. Si his curetur, bene eſt: ſin minus, alios tres addat. Poſtea interpoſita vna vel altera die, medicamentum ad nares apponito.* Deinde pharmacum deorſum purgans dato, a quo bilis purgetur: &, ſi lienoſus fuerit, aſininum lac aut ſerum poſtea exhibeto.

* *de affectionib. §. XXXIII.*

** *de morbis III. §. 35.* Quatuor ſpecies icteri in libro *de internis affectionibus* §. 38 - 41. ſtudio prætermitto. Indicaſſe ſufficiat, vt legat qui velit. Non Hippocraticam doctrinam, ſed Gnidiam ſcholam ibi inueniri exiſtimo, neque hanc tamen omnino contemnendam.

LXXXI. Vltimum diuturnorum affectuum exemplum eſto hydrops pulmonis & pectoris. Fieri hunc edocet* tuberculis in pulmone enatis, aqua repletis & verſus pectus ruptis. Fieri autem talia notabili experimento confirmat: *teſtimonium habeo & in boue & in cane & in ſue. In his enim quadrupedibus maxime ſiunt tubercula,*

berculа, quæ aquam continent, in pulmone, quod citiſſime cognoueris ſi diſſecueris; aqua enim fluet. Videtur autem talia multo magis fieri in homine quam in pecoribus, quanto etiam morboſiore diæta vtimur. Facti autem & multi ſunt pectore ſuppurati, tuberculis obortis. Quæ de ſignis copioſe diſſeruntur, omitto, & apud auctorem legenda commendo: & nunc ad curationem progredior.

* *de intern. affect.* §. 25. Maxime autem notatu dignus videtur locus, quoniam ſpecimen anatomicæ practicæ veterum ſiſtit, illo, quod ſupra *pag.* 242. *not.** dedimus, nihilo minus inſigne. Annon vero tam diligenti notatione talium in brutis obſeruatorum, ſilentio autem de obſeruatis in homine, confirmentur ea, quæ ſupra de Aſclepiadarum & Hippocratis anatome poſui, lectoris iudicio permitto.

LXXXII. Curationis præcipua ſpes poſita eſt in matura aquarum emiſſione, quæ ſi differatur nimis, oedemata inferioribus partibus inducuntur. Vt vero emitti poſſit, vno loco * ſuadetur ſectio inter coſtas, quantum fieri poteſt profundiſſimo loco, inſtituenda. Emitti autem hanc aquam iubet quam parciſſime & ſucceſſiue: & vulnus interim linamento apto obturare. Si quinta die pus linamento adhæret, plerumque euadit: ſin minus, vbi aquam exhauſeris, ſitis corripit, & tuſſis, & homo moritur. Alio loco** iubet coſtam tertiam ab vltima vsque ad os ſecare: deinde cum terebra caua (τρυπάνῳ τρωγλοδυτηρίῳ) coſtam perforare, aquam vero paulatim emittere per duodecim dies: deinde decimatertia ſimul omnem, quæ intus fuerit. Si qua poſthæc iterum confluat, per vices eam emittere permittit, ſed hominem victu reſiccare iubet. *Poſt ſectionem hæc exhibere oportet: ſucci ſylphii drachmæ pondus parato, & ariſtolochiam, tali ceruini magnitudine, deradito & lentium ac erui torrefactorum polentam puram, dimidiæ choenicis menſura vtramque, adſumito & hæc melle ac aceto ſubigito. Deinde paſtillos* (κόλλικας) *ſexaginta efformato, & quotidie vnum, tritum in vini nigri auſteri ac iucundiſſimi*

 hemina

hemina dimidia, diluito & mane potui dato. Reliquum vero victum ac laborem eundem, velut priori tempore, habere iubeto. Hunc ſi ita curaueris celerrime ſanum facies.

* *de morbis II.* §. LIX. ** *de intern. affect.* l. c.

LXXXIII. Aliud ſpecimen exhibebo, voluulum ſcilicet ſeu paſſionem iliacam, cuius aliquot ſpecies, nobis non amplius hoc nomine cognitas, prætermitto, & tantum quæ ad illam nobis notam pertinent adducam. Refertur ad morbos periculoſos & acutos: auctumno præ reliquis anni temporibus frequentior eſſe cenſetur. A flatibus potiſſimum oriri ipſum ex eo comprobatur, quod fomenta calida, cutem reſerando & exhalationem corpori reddendo, haud modice proſunt. : ſed & excrementa aceruata & combuſta in inteſtino, vnde pituita circa hæc colligitur, non modicum contribuunt: quippe efficiunt, vt nec pharmaca ſuperne exhibita, nec inferne affuſa, officium recte faciant, aut ſatis penetrent. Malum in hoc morbo ſi vomitus, ſingultus, conuulſio, ſurditas aut delirium ſuperueniat.

LXXXIIII. Curatio ad hunc modum inſtituitur*: *hunc humectare oportet & intrinſecus & extrinſecus multa calida lauare, & bibenda dare quæ aluum mouent & vrinam ſubducunt. Et clyſterem adhibere, ſi admittat. Si vero non admittat clyſterem, fiſtulam ad vtriculi extremitatem alligato & inſufflando multum flatum immittito. Et vbi inteſtinum & venter eleuata fuerint a flatu, exemta fiſtula ſtatim infuſum per clyſterem immittito. Et ſi ſuſceperit, ſeceſſum emittet & ſanus euadet. Si vero non ſic ſuſceperit infuſum, moritur maxime ſeptima die.*

* *de affectionibus.* §. XXII.

LXXXV. Alio loco* curatio fere eadem proponitur, niſi quod initio vomitus & venæ ſectio in cubito præ-

præſcribitur : idque ex hypotheſi illa, quod in hoc morbo ſupernus ventriculus caleſcat, inferior autem frigeſcat. Infernum igitur ventrem inſeſſibus & olei inunctione calefacere iubet. Inſuper glandem ex ſolo melle paratam, decem digitorum longitudine, facere iubet, eiusque ſummam anteriorem partem felle taurino illinere, atque ſic bis aut ter ſubdere, quo omnia combuſta ſtercora educantur. Quod ſi factum ex voto fuerit, ad clyſteres progredi iubet. Si vero hi ventrem non ſubeant, folle fabrili admoto inſufflare iubet, tumque clyſterem immittere. Hoc immiſſo, obturata per ſpongiam ſede, in aqua calida deſidere & infuſum tantisper continere iubet.

* *de morbis III. §. XV.*

LXXXVI. Enimuero ad morbos, *qui maxime occidunt & laborioſiſſimi ſunt, vnde opus eſt ad ipſos plurima tutela* & exactiſſima curatione;* potiſſimum pertinent illi, qui febrem adiunctam habent, aut ſine febre manifeſta celerrime iugulant: *in quibus medicum prouidere oportet, ne quod a ſe malum accedat; (ſufficiunt enim quæ ab morbo adſunt) verum vt boni quid præſtet pro viribus conari debet.* Ex his eminent pleuritis & peripneumonia, dyſenteria, angina, apoplexia & ſpaſmus eiusque ſpecies: de quibus deinceps ex mente Hippocratis, vel ipſi tributorum librorum, referemus.

* verba ſunt auctoris libri *de affectionibus* §. XII.

LXXXVII. Pleuritidis & peripneumoniæ coniunctam* fere video tractationem, quoniam eædem fere ſunt vtriusque morbi cauſæ, nimirum bilis & pituitæ ad latera & pulmones attractio, quæ ibi ſubſiſtendo putreſcunt ac ſuppurantur. Præcauere iubet ne ſputa ſupprimantur, quum ex eorum memorabili euacuatione maxima recuperandæ ſanitatis ſpes pendeat. Supprimi autem illa contingit ex nimia ſiccitate, quam æque a ca-

lore ac frigore nimio induci poſſe docet. Curationem orditur a larga venæ ſectione in brachio inſtituenda, illo latere vbi maxime dolor ſentitur. Sed ſi dolores non ſint in ſuperioribus partibus, verum magis ad inferiores vergant, ſubpurgationem die quarta præſcribit, ante illam vero diem aluum clyſteribus ducere. Reliqua fere abſoluuntur humectatione ſufficienti per ptiſanam** tenuem, inunctionibus, fotu tepefactorio ex ſemine lini, & eclegmate ex nuce pinea & galbano cum melle Attico. Subpurgationem in pleuritide infera molitur abrotono in aceto mulſo, cum pipere & elleboro nigro feruefactis. Bonum eſt & panacem in aceto mulſo feruefacere, excolare, ac bibendum dare.

* *de morbis I. §. 23. ſeq. de vict. acut.* §. LII. LIII.

** *de vict. acut.* l. c. & §. VII.

LXXXVIII. Dyſenteriæ cauſam paſſim tribui video tempeſtatum vt & aquarum vitio: alibi* repletioni, indeque factæ alimenti ſuperflui putrefactioni, ex qua flatus oriantur: rurſusque alibi** dyſenteriæ, diarrhoeæ & lienteriæ, vtpote valde conuenientium affectuum, communis cauſa ſtabilitur pituitæ a capite & thorace in infimum ventrem confluxus, vbi ſe cum bile miſcet, indeque acrimoniam acquirit, & non ſolum crebras deiectiones, verum etiam tormina & ſanguinis excretionem, inducit. Non pro leui, ſed omnino periculoſo & celeri morbo habetur, præſertim ſi febris maligna accedat.

* *de diæta III.* §. XIX. ** *de affection.* §. XXIIII - XXVI.

LXXXVIIII. Curationem alibi orditur a capitis purgatione, quam magna confidentia ſic commendatam legimus*: *Oportet ipſos ſic ſanare, ita vt defluxum a capite & ſuperiore ventre intercipias, aut auertas: morbi enim natura* (φύσις, propullulatio, origo) *hinc eſt. Et nemo ſententiam tuam reprehendat. Ferme autem & reliquos*

liquos morbos ſic conſiderare oportet, vnde vnicuique natura ſit. Et ſi ſic conſideraueris ac deprehenderis principium morborum, minime aberraueris. Poſt hanc purgationem aluum lacte cocto eluere & reliquum corpus curare, præſertim pinguibus ac dulcibus clyſteribus, iubet. Lac autem ipſum dyſenterico febricitanti non denegaſſe, apparet exemplo Eratolai filii, ** cui ſerum & lac, ſilice candefacta immiſſa, datum fuit: quumque morbus diu protraheretur & extreme infirmus redderetur ex colliquatione extrema, dolorque pulſatorius inter umbilicum & os pectoris perciperetur tam vehemens, qualis palpitatio neque a curſu neque a timore circa cor generari poſſit: iterum lac aſininum coctum, nouem heminarum Atticarum menſura, bibere iuſſus fuit, vnde purgatione bilioſa vehementi oborta & dolores ceſſauerunt, & ciborum appetentia rediit: vires autem deinde longo vſu lactis bubuli crudi recuperauit.

* *de Affectionibus* §. 26.

** *Epidem. VII.* §. 2. 3. Statim autem ſubnotat §. VI. Cteſicrati lac cum farina magis quam ſerum caprinum contuliſſe: eademque ſe in Adriano obſeruaſſe: ſed Caeneæ filio lac aſininum coctum plurimum profuiſſe.

LXXXX. Anginæ in monumentis Hippocratis crebra occurrit mentio, ſed non alias ſpecies, præter cynanchen & paracynanchen, nominibus diſtinctas reperio. Horrendiſſimum & citiſſime occidentem affectum illam ſpeciem declarat, quæ neque interne in faucibus, neque externe in ceruice, vllum conſpicuum ſignum præbet, verum dolorem & erecta ceruice ſpirandi neceſſitatem affert: quemadmodum e contrario magnam ſalutis ſpem oſtendit, ſi dolor & rubor in ceruice vel pectore ſeſe offert, quod ſignum eſt morbi ſeſe extro vertentis. Origo autem mali inde repetitur, ſi quando pituita a capite multa frigida ac glutinoſa aceruatim defluit & in maxillis ac partibus circa collum ſubſiſtit.

LXXXXI.

LXXXXI. Ad curationem peragendam varia commendantur, * ſed præcipue venæ ſectio, prius in brachiis tum ſub lingua, celebranda, clyſteres, & fames, & eclegmatum ac gargariſmorum vſus, capitisque raſura. Porro etiam ceratum collo ac capiti imponi, lana obuolui, ſpongiarum mollium, ex aqua calida expreſſarum, fotus præſcribuntur. Alibi,** præter iam laudata, commendat cucurbitulas ad verticulum in collo primum, &, capite prius raſo, iuxta aurem ab vtraque parte apponendas, & longo tempore relinquendas. Fotum vaporoſum ore excipiendum ſupra exhibui.

* *de vict. acut.* §. XXXV. & XXXVIIII.

** *de morbis II.* §. XXVI - XXVIII.

LXXXXII. Ad leuiorem anginam, paracynanchen dictam, inter alia præſcribit,* venam ſecari debere maxime ſub mamma; addita ratione: *ſimul enim cum ſanguine effluit hac parte ex pulmone ſpiritus calidus.* Quod conſilium olim iam riſit CAELIVS AVRELIANVS: ſed non omnino abſurdum eſſe contendit Excellentiſſimus D. D. IO. FREIND.** Curioſum eſt quod in fine conſilii iubet: *poſtquam remiſerit morbus, & iam cibos guſtarit, elaterio recenti purgato,* (ἐλατηρίῳ νέῳ καθῆραι,) *vt ne in aliud malum incidat.****

* *de morbis III.* §. XI.

** *Comment. de febribus in Hippocr. Epid. p.* 112. quoniam, auctore FALLOPIO, mammariæ non raro a iugularibus venis abſcedunt.

*** Multis nominibus digna curioſiori ſcrutinio hæc mihi videtur commendatio. Et primo quidem forte vnicus eſt hic locus, quo elaterium ad internos vſus diſerte commendatur: mihi ſaltem præter hunc vnicum nullus, etſi diligenter ſæpius requirenti, obuiam factus eſt. DIOSCORIDES certe & AVICENNA etiam anheloſis elaterium commendant, ipſeque expertus ſcio, quod in hydrope pectoris inſigne leuamen ferat. Videndum itaque ſecundo loco fuerit, annon grauius illud malum, quod elaterii vſu auertere iubemur, ſit ipſe hydrops pecto-

pectoris. Certe anatomico experimento oſtendere poſſum, quam facile hydropis pectoris illa rudimenta, de quibus ex Hippocrate ſupra §. 81. diſſerui, enaſcantur, ſi progreſſui ſanguinis in pulmonibus remora obiiciatur, quod illis diebus, quibus angina perſtat, non fieri omnino non poteſt. Tertio cogitandum fuerit annon idem elaterium ſit potiſſimum ingrediens illorum ἐκλεικτῶν, *linctuum*, quibus φαρμακεύειν vel ἀνακάθαιρειν toties Hippocrates iubet. Quartum vero et grauiſſimum, quod me in illo loco torquet, eſt, quod diſerte præcipitur ἐλατηρίῳ νέῳ, *recenti elaterio*, purgandum eſſe: quum ipſemet experimento edoctus facile credam DIOSCORIDI fuiſſe grauiſſimas rationes cur elaterio recens parato abſtinere iubeat. An forte hic particula negatiua μὴ excidit? an pro νέῳ ſcribendum λείῳ *læuigato diluto*? vel prorſus λεικτῷ, *in linctus formam redacto*? Sed de his copioſius diſpiciam, ſi commentarius *de elaterio*, ante quatuor iam annos publice promiſſus, lucem adſpecturus eſt.

LXXXXIII. Apoplexiam ſeu ſiderationem ſæpius in ſcriptis ſuis commemorat: ſed fere deprehendimus ipſum in nomine hoc adhibendo non valde conſtantem. Modo enim videtur cuiuis morbo celeriter iugulanti illud ipſum nomen tribui: aliquibus locis paralyſin et paraplegiam eo denotat: ſed et illam, quæ hodie nomen retinet, ab eodem ſic deſcribi * videmus: *Vbi aliquis derepente voce priuatus fuerit id venarum interceptiones faciunt. Coincidunt autem plurimis ipſorum hæc, rubores nimirum faciei, oculorum ſtabilitates, digitorum in manibus diſtentiones, dentium ſtridores, pulſationes, maxillarum contractiones, extremitatum perfrigeratio, ſpirituum per venas interceptiones. Si ſano hoc contingat, absque manifeſta aut alia forti cauſa, venam ſecare oportet in brachio dextro internam, et ſanguinem detrahere, iuxta habitum ac ætatem rationem ineundo an plus aut minus oporteat.* Hic deſcribi apoplexiam ſanguineam ſatis clarum puto. Sequentia tradunt curationem eius apoplexiæ, quæ ſeri aut atræ bilis culpa acceſſit. Iterum

hic venam ſecare ſtatim ab initio, ſed præmiſſis fomentationibus, iubet: deinceps purgationes tam ſupernas quam infernas ſuadet. Ceterum pluribus locis indicat quam difficile ſit hunc morbum curare, et quod plurimum ſpei in hoc reponat ſi febris ſuperueniat.

* *de vict. acutor.* 37. 38. Addi poteſt. *de morbis II* §. 25. vbi apoplexiæ ſeroſæ, indeque pendentis paralyſeos, curationem tradit. Fieri iubet multas fomentationes et balnea. *A fomentis myrrham et æris florem in nares infundito. Sorbeat autem ptiſanæ ſuccum et aquam bibat. Et ſiquidem, vbi hæc fecerit, melius habuerit, bene eſt: ſin minus, quæ vna ſpes reliqua eſt, ſinciput ipſius ſindito* (σχίσας αὐτοῦ τὸ βρέγμα) *et, vbi ſanguis defluxerit, labiis compoſitis curato ac deligato: ſi vero non ſecueris, decimo octauo aut vigeſimo die plerumque moritur.* Hoc loco pro σχίσαι legere mallem σχάσαι *ſcarificare*, ita tamen profundis ſectionibus, vt ad os penetrent, labiaque diſtineantur et aliquantum diducantur, quod fiebat in periſcyphiſmo et hypoſpathiſmo veterum chirurgorum, a quo non ſolum hunc fructum exſpectabant, vt humores in præſenti effluentes ægrotum leuent, verum etiam vt cicatrix fortior ac craſſior influxum nouum tam facile fieri non permittat.

LXXXXIIII. Tandem videbimus quid in morbis acutiſſimis et Græciæ Aſiæque, vt ex auctoribus diſcimus maxime familiaribus, ſpaſmorum ſcilicet generibus curandis propoſuerit: * *Quum diſtentiones* (tetanus) *corripuerint, maxillæ rigent, velut ligna, et os aperire non poſſunt, neque manus, et facies rubicunda eſt et valde dolet, et vbi moriturus eſt et potum et ſorbitionem et pituitam per nares reuomit. Hic tertia die, aut quinta aut ſeptima aut decimaquarta perit: vbi vero has effugerit, ſanus euadit. Huic deuorandum dato medicamentum ex pipere et veratro nigro et iuſculum volucrium calidum pingue. Inducendæ ſunt etiam fortes ac multæ ſternutationes et fomenta adhibenda. Quum autem fomentis non vtitur, calefactoria humida ac pinguia vndequaque in veſicis ac vtriculis apponantur: maxime tamen ad partes*

tes dolentes, et calido oleo multo ac ſæpe illinatur. Ad opiſthotonum eadem hæc medicamenta commendat, ſed et hoc experientiæ relinquit: *Si voles etiam ſic facies. Aquam frigidam plurimam ſuperinfundito, et poſtea veſtimenta tenuia, pura ac calida ſuperintegito. Ignem autem tunc non adhibeto. Hoc auxilium et ad tetanos & ad opiſthotonos adhibere oportet.*

* *de morb. III.* §. XIII. XIIII. Miſerrimi et truculentiſſimi morbi, apud nos per Dei gratiam rariſſimi, ſi non, ratione ſæuitiæ et ſymptomatum diritatis, inauditi, imaginem plenius ſiſtit ARETAEVS CAPPADOX, ad quem delati eiusdem mentionem curatius faciam.

CAP. V.

De Hippocratis familia.

CONSPECTVS.

Vnde de familia Hippocratis conſtet. I.

Duo filii Theſſalus et Draco: horumque filii. II. III.

De Polybo genero Hippocratis. IIII.

Viri de familia Hippocratis ſcriptorum aliquorum auctores perhibentur. V.

Quæ deinceps vni Hippocrati Coo tributa ſunt. VI.

Vnde difficile eſt ſuum cuique tribuere. VII.

De his quæ ad Polybum diſerte relata ſunt. VIII. VIIII.

De Hippocratis filiis tributa ſtoliditate aut morum intemperantia. X. XI.

I.

De Hippocratis Coi familia dicturo pauca ſane obtigerunt quæ vel ſatis certa, vel relatu admodum digna, videri poſſent. Pleraque nituntur fide GALENI, qui ſuo certe ſæculo multis præſidiis antiquorum monumentorum vti potuit, quibus nos caremus: ipſemet tamen ſubinde conqueritur certitudinem ſibi deeſſe,

 nec

nec obſcure ſignificat ſe aliorum fide hoc vel illud adſumere et propagare. Dabo itaque, quæ ab ipſo accepi, totidem plerumque verbis, et fideliter indicabo, vbi liceat, ſi quis velit, apud ipſum relegere. Si cui vero plura de Hippocratis maioribus vndiquaque collecta noſcendi deſiderium eſt, adeat doctiſſimi viri HENRICI MEIBOMII *commentarium in iusiurandum Hippocratis.*

II. *Hippocrati magno duo erant filii, Theſſalus et Draco, quorum vterque filium genuit Hippocratis nomine* inſignitum. * De Theſſalo ſeorſim ita ſcriptum inuenio: ** *nihil Hippocraticorum dogmatum immutauit aut ſuſtulit Theſſalus ipſius filius, vir admiratione dignus, verum qui non in patria manſit, vt Polybus, ſed Archelao Macedonum regi ſeſe addixit.* Præter laudatum Theſſali filium, SVIDAS alium, Gorgiam, recenſet. Addit deinceps: *ſcripſiſſe libros de re medica ſex:* quod tam obſcure eſt poſitum, vt neſcias vtrum ad Theſſalum referri debeat, an ad Hippocratem Theſſali filium.

* *Commentar. II in de natura human. pag.* 17. ed. Græc. Baſil. 1538.
** *Comm. I. pag.* 2.

III. De Dracone nihil ſuccurrit præter id quod modo dictum eſt. Hippocratem eius filium Roxanes, Alexandri M. celeberrimæ coniugis, medicum factum fuiſſe, neſcio quam certis auctoribus, perhibetur. SVIDAS* certe omnia hic turbat, quando huncin modum ſcribit: *Draco, nepos Hippocratis illius inſignis medici ex Theſſalo F. pater Hippocratis, ex quo rurſus natus eſt Draco, et ipſe medicus, qui Roxanem Alexandri Macedonis coniugem curauit.* Quod hoc loco Draconi manifeſte tribuit, id alio* ſic eripit: *Hippocrates quartus Draconis F. Cous medicus, eiusdem et ipſe generis, qui curauit Roxanen. Sub Caſſandro autem Antipatri filio de vita deceſſit. Scripſit et ipſe medica.*

* in voce: *Dracon.*

** in voce: *Hippocrates* vbi non pauciores ſeptem recenſentur, qui Hippocratis nomen geſſerunt, et medica ſcripſerunt.

IIII. Sed præcipue Hippocratis familiam illuſtrauit gener ipſius Polybus, natione Cous, cuius plurima ex GALENO dare liceret encomia: potiſſima autem inſpiciemus. Vocat ipſum* *diſcipulum Hippocratis et in ſchola ſucceſſorem, qui prorſus nihil ex dogmatibus præceptoris ſui mutauerit, coeterum patriæ ſuæ inſeruire, quam alibi lautiores conditiones ſequi maluerit.* Alibi induſtriam et experientiam ipſius practicam valde commendat, his admodum verbis: ** *profecto Polybus non erat vnus ex illis Alexandrinis vatibus, qui, cum nullum vmquam ægrotum viderint, in ſchola tamen nihil ſani deblatterantes conſeneſcunt, et ne illa quidem norunt, quæ empiricus quiuis apud ægrotos verſando certiſſime addiſcit.*

* *Comment. I. pag. 2.* ** *Comment. pag. 29.*

V. His igitur Hippocraticæ familiæ viris, Hippocratem magnum ſcripta ſua, quum morte abriperetur, reliquiſſe, vero eſt admodum ſimile: crediturque eosdem nonnulla ipſius affecta opera plenius elaboraſſe et perfeciſſe. Sed et eosdem illos ſuas lucubrationes compoſuiſſe, quæ deinceps, quum inter tot Hippocrates diſcernere non facile eſſet, in vnum volumen, magni Hippocratis Coi nomine prænotatum, congeſta fuerunt.

VI. Non diſſimulat hoc ita factum fuiſſe GALENVS, qui pluribus locis de eo conqueritur, et occaſionem admodum vero ſimilem nobis oſtendit. *Ante*, inquit, * *quam reges Alexandriæ et Pergami bibliothecarum colligendarum æmulo ardore inflammarentur, antiquosque libros vndiquaque colligerent, falſa libris auctorum nomina inſcribi haud coeptum eſt. Poſtquam vero illi, qui antiqui cuiusdam viri ſcripta obtuliſſent, præmiis honorari cœperunt; illico exſtiterunt qui falſa nomina adſcribere libris,*

eosque offerre neutiquam verebantur. Id vero haud adeo multis ab exceſſu Hippocratis annis fieri cœpiſſe chronologia nos edocet, quippe ab hoc tempore, vsque ad initia Ptolemæi Philadelphi, ſeptuaginta admodum anni effluxerunt. Sed erit alius locus, quo de hoc negotio iterum diſſeram.

* *Comment. I. fine, et initio II.* vbi exemplo docet quam inconſulte multa fuerint coniuncta, ne paruus liber contemneretur. Sic genuinum Hippocratis Coi ſcriptum *de natura humana*, quo amplius redderetur, aſſumentis quibusdam prorſus ineptis, ab ignoto quodam, extenſum, et deinceps cum Polybi libro *de ſalubri diæta* conſarcinatum fuit.

VII. Quæ quum ita ſint, apparet quam difficile, ſi non prorſus impoſſibile, nobis hodie ſit, ſuum cuiuis ſcriptum tribuere et ex illa collectione, quæ exſtat, ſuum Theſſalo, Draconi, et ſex Hippocratibus legitime diſtribuere, vt iuſta portio Polybo ſua remaneat. Illud ſæpe videas, ſi quid alicubi legitur, quod iis dogmatibus quæ Hippocratica cenſentur, indignum vel contrarium ſit, illico fuiſſe ad Polybum relatum: cui Galenus grauiter contradixit illo loco, quem exhibui, vbi Alexandrinis præfertur.

VIII. Sed diſpiciamus de aliquibus ad Polybum diſerte relatis. Hæc inter eſt longus ſermo de venarum quatuor paribus ex capite oriundis, qui hodie in Hippocrateis ſcriptis bis legitur, * ſed omni autopſiæ anatomicæ tam eſt contrarius, vt nihil cogitari poſſit a vero magis remotum. Hanc vero doctrinam ARISTOTELES ** claris verbis ad Polybum noſtrum retulit. *** Quamquam vero Galenus Ariſtoteli in hoc contradixit, neſcio tamen annon idem argumentum, quo vſus eſt ad librum de natura humana Hippocrati vindicandum, valere debeat ad hanc doctrinam Polybo tribuendam. Aeque enim Ariſtoteles ac Plato ſcripſerunt ante illud tempus

quo

quo bibliothecarum amor principes inuaſit: potuitque immo debuit vterque codices genuinis auctorum nominibus inſcriptos habuiſſe, ſi verum eſt, quod ex Galeni mente ſupra adduxi, auctoribus tunc demum falſa ſcripta fuiſſe tributa, quum principum ſtudio conquiri magnoque redimi coepiſſent.

* *de natur. humana* §. XX. ed. Linden. Pertinet ſane portio hæc ad addititia, ex Galeni mente, quum alii integrum librum ad Polybum referre velint. Legitur deinde in *libello de venis* §. XI. qui totus liber ab aliis editoribus pro parte libri *de oſſium natura* habetur. Olim etiam in ſecundo *de diæta* libro legebatur, teſte iterum Galeno *de placit. Hippocr. et Gal. lib. VI.*

VIIII. Porro ab antiquis auctoribus Polybo tributi ſunt libri, quamquam iam olim, et ante Galeni æuum, a pluribus Hippocrati adſcripti, et cum eius operibus editi, *de genitura*, *de morbis* primus et quartus, *de affectionibus*, et *de affectionibus internis:* quibus nonnulli addunt illos *de natura pueri*, vt et *de oſſium natura:* ne iterum dicam quod *de ſalubri diæta* inſcriptus liber ad Polybum tantum non ab omnibus referri ſoleat. Longi laboris foret, ſi Galeni teſtimonia, quibus Polybo hi libri vel ſimpliciter adſcribuntur vel vindicantur, ſubnotare velim: non poſſum tamen quin indicem in his modo laudatis quædam dici Hippocraticis non vſque adeo conuenientia: Quare illud Galeni adſertum quod Polybus nihil omnino in Hippocraticis doctrinis mutauerit, valde dubium videri debet. Certe illud antiquiſſimum dogma Hippocratis, quod pars aliqua potus in pulmones per arteriam delabatur, valde acriter impugnatur in libro* qui Polybo attribuitur.

* *de morbis IV.* prope finem.

X. Ceterum Hippocratis filii apud veteres quaſi in prouerbium abierunt, quo homines impudentes, et inſulſi denotabantur. Sic ARISTOPHANES * ſcribit: τοῖς Ἱπποκράτους

ποκράτους υἱέσιν εἴξεις, καί σε καλοῦσι βλιτομάμαν *ſimilis eris Hippocratis filiis et vocabunt te ſtolidum, inſulſum.* Hunc locum antiquus ſcholiaſtes ita exponit: *Hi,* (filii Hippocratis) *ſunt Teleſippus, Demophon, Pericles, qui propter ſuillos mores traducebantur,* (διαβαλλόμενοι εἰς ὑωδίαν.) Citat deinde Eupolidis, itidem comici, duos verſus, in quibus tamen non clare ** elucet ſuilli ingenii exprobratio. GALENVS *** eorundem meminit, nihil vero obiicit, quam quod ob ſtultitiam a comicis exagitati fuerint. (οὓς ἐπὶ μωρίᾳ σκώπτουσιν οἱ κωμικοί.)

* *Nubium* v. 997.

** En verba: Ἱπποκράτους τε παῖδες, ἐμβόλιμοί τινες, βληχητὰ τέκνα, καὶ οὐδαμῶς τοῦ τρόπου. id eſt: *Hippocratis filii abortiui* (aut, ſi mauis, *ſuppoſititii*) *homunciones, balantes* (ſtupidi inſtar ouium) *pueri, et qui minime ſe accommodant moribus.*

*** libro *quod animæ mores ſequantur temperamentum corporis.* pag. 346. Gr. Baſil.

XI. Valde igitur vero mihi videtur ſimile illam exprobrationem τῆς ὑωδίας, *ſuilitatis,* ſi ita fas eſt dicere, ſeu *ſuilli moris,* ex alio fonte deducendam eſſe. Nec multum forte a vero aberrauero, ſi ſcholiaſtem hunc τὴν ὑωδίαν ſuam ab ATHENAEO * accepiſſe dixero, qui paſſim malignitatis in medicos ſpecimina dat, quorum non infimum eſt, quod in hunc ſenſum ſcripſit: *deinceps vulua illata eſt, metropolis reuera et mater filiorum Hippocratis, quos propter ingenium ſuillum comicis irriſos eſſe ſcio.* (οὓς εἰς ὑωδίαν κωμῳδουμένους οἶδα) Illud certe non ſciebat Athenæus, quod Athenienſis Hippocratis filii ab antiquis comicis ob ſuillos mores traducti ſint: ſed maligne id fingit et alio ſenſu olim adhibitum ſcomma ad medicos, quos Hippocratis filios dicit, detorquet: quaſi vero propterea reprehenſione digni ſint, quod dum corporis humani partes, functiones et morbos, ita vt ſingula ſe habent, exponere, deſcribere, diſſecare, contrectare debent,

bent, illam verborum honeſtatem, cui alio loco et tempore merito ſtudemus, non adeo ſtricte obſeruare poſſunt.

* *Deipnoſophiſt. III.* 17. Hunc locum de medicis etiam intellexit Illuſtris GVNDLINGIVS. Vide *otiorum Part. II, pag.* 90

CAP. VI.

de medicis & philoſophis Hippocrati coæuis.

CONSPECTVS.

Summa dicendorum. §. I.
de conditione medicorum Hippocratis æuo. II.
de modis inclareſcendi. III.
tam honeſtis. IIII. V.
quam minus decoris. VI.
de medicaſtris illius æui. VII.
leges medicis tunc nullæ præſcriptæ erant. VIII.
aduerſus nimios laudatores æui Hippocratici. VIIII.
Medicorum coæuorum notitia ex Galeno. X.
de Phaonte & Phileta. XI.
de Philiſtione Locro. XII. XIII.
de Ariſtone. XIIII.
plures medici a Diogene Laertio indicati. XV.
de Eudoxo Cnidio. XVI.
de Metone Athenienſi. XVII.
de Theomedonte & Chryſippo Cnidio. XVIII.
de Nicomacho Stagirita. XVIIII.
de Menecrate Syracuſano. XX.
de Critobulo. XXI.
de Acumeno & Eryximacho. XXII.
de Pittalo & Aceſia. XXIII.
de Platone. XXIIII.
Eiusque Timæo. XXV.
quid de mundo & rerum principiis ſtatuerit. XXVI.
animæ immortalis origo ſecundum Platonem, & cum corpore coniunctio. XXVII.
anima mortalis immortali ſuperaddita. XXVIII.
de medulla & oſſibus. XXVIIII.
de neruorum & carnis temperatura. XXX.
de corde, & an Plato circulationem ſanguinis nouerit. XXXI.
de pulmonibus & ad hos potus deſcenſu. XXXII.
de iecinore, diuinatoriæ facultatis ſede. XXXIII.
de liene iecinoris repurgandi inſtrumento. XXXIIII.

de generatione eiusque organis, nec non de metempſychoſi XXXV.
de ſpermate. XXXVI.
de arteriarum & venarum reti. XXXVII.
ratio ſanitatis, ſenectutis & mortis. XXXVIII.
de morborum generatione. XXXVIIII-XXXXI.
de therapiæ Platonicæ regulis. XXXXII.
ſeorſim de motibus corporis & purgationibus. XXXXIII.
Medicos quo loco in republica habuerit. XXXXIIII.
Medici optimi idea ſecundum Platonem. XXXXV.
de Dionyſio Siciliæ tyranno. XXXXVI.

I.

Hippocratis Coi temporibus plurimos fuiſſe medicos, aut ſaltem medicinam profeſſos aut ei ſe ingerentes viros, non ipſemet Hippocrates diſſimulat, quando * *medicos fama quidem & nomine multos, re autem & opere valde paucos*, dari conqueritur. Operæ igitur pretium facturi videmur, ſi de conditione medicorum illius temporis aliqua delibemus, deinde illorum, de quibus certum eſt eos hac ætate vixiſſe, memoriam recolamus, tandem philoſophorum, de medicina bene meritorum, mentionem ſubiungamus.

* *de lege §. I.*

II. Quod vero ad conditionem medicorum tunc temporis attinet, ſupra iam vidimus, vbi Democedem Crotoniatam conſiderabamus, fuiſſe tunc cœptum vt principes viri, florentesque ciuitates, optimum quemque & celeberrimum artis operibus virum, lauto ſtipendio, allicerent, & apud ſe retinere ſtuderent. Idem Hippocratis æuo factum fuit: inuenimus enim & ipſum, patria Co relicta, in Theſſalia commoratum & filium Theſſalum Archelao, Nicomachum autem, Ariſtotelis Stagiritæ patrem, Amyntæ, Macedonum regibus, addictos: pluresque mox ſecutura ætas oſtendet.

III. At

III. At vero quemadmodum conſentaneum eſt hanc felicitatem non niſi hos, qui plurima dexteritatis ſpecimina edidiſſent, fuiſſe conſequutos: ita illos, qui artis fiduciam habebant, vti inclareſcerent, nihil operæ ſtudiique omiſiſſe facile coniiciemus. Horum vero aliquos non niſi honeſtos, nec artis dignitati detrahentes, modos ſectatos eſſe: alios, quibus maior pecuniæ parandæ cupiditas inſidebat, etiam viliores & indecentes vias ſequutos fuiſſe, facile intelligemus.

IIII. Honeſtum modum & fere ſemper neceſſarium hunc fuiſſe ex antiquis colligo, vt quisquis in vrbem aliquam veniret, artis operum exercendorum facultatem a magiſtratu, vel populo, ſicubi democratia erat, impetraret, oratione aliqua habita, qua exponeret, quis eſſet, quibus præceptoribus in arte addiſcenda vſus, quibus viis ad confirmanda artis præcepta inſtitiſſet, ſibique experientiam vſu rerum comparaſſet. Hoc vero Athenis ſaltem ita obtinuiſſe haud obſcure ex XENOPHONTE* colligimus.

* *de factis & dict. Socr.* L. IIII. *p. m.* 498.

V. Enimuero non ſolum apud magiſtratum ita fieri fuiſſe ſolitum, verum etiam vulgi gratia ad populum quosdam verba feciſſe, ex libello HIPPOCRATI tributo, qui *præceptiones** inſcribitur, intelligere licet. *Si vero,* inquit, *etiam vulgi gratia velis diſſertationem ad audiendum te facere, non valde glorioſe id captes, neque cum teſtimonio ac oſtentatione poetica facias. Impotentiam enim hoc induſtrii laboris oſtendit. Auerſor autem ad alium vſum transferri induſtriam cum labore partam, quæ propterea in ſe ipſa ſola gratioſæ ſectæ electionem habet. Conſequeris enim inſtar fuci promtam cum comitatus deductione elationem.*

* §. X.

VI. At vero non omnes moderate & decore hoc facere ſolitos etiam tunc fuiſſe, verum aliquos arrogantia & oſtentatione bonorum indignationem meruiſſe, artique contemtum paraſſe, ex eodem diſcimus, qui non ſolum conqueritur * *propter ignorantiam eorum, qui eam exercent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro medicis iudicat & habet, iam eo rem deueniſſe, vt medicina omnium artium longe viliſſima habeatur*: verum etiam ſeorſim in eos,** *qui fora frequentant, ruditate ac inſcitia ſua imponentes, & in circulis ciuitatum verſantes* inuehitur.

* *in Lege* §. 1. ** *de decent. ornatu* §. 1.

VII. Neque vero tunc ſolum medicinam edocti, imprudentia vel immodeſtia ſua, vt male audiret ars ipſa, conſequuti ſunt, verum etiam non deerant, qui ſibi medicorum nomen iniuſte arrogabant, ſuisque facinoribus efficiebant, vt iuſtam de ipſis conquerendi rationem honeſti medici ſemper haberent. Tales erant* *magi & expiatores & circulatores, & quidam arrogantes, qui ſe vehementer pios eſſe ſimulant, & amplius quid ſcire, qui homines decipiunt, proponentes his luſtrationes, & purificationes, quum verba ipſorum magna ex parte ſe ad deum ac dæmonium extendant*. Horum impietatem Hippocrates grauibus verbis non immerito vlciſcitur, quæ apud ipſum legere iuuabit.

* *de morbo ſacr.* §. 2. 3.

VIII. Adeoque naſcentem medicinæ libertatem hæc vitia, tamquam infelix lolium ſterilesque auenæ, afflixerunt. Acceſſit, de quo ipſemet conqueritur Hippocrates, omnisque corruptionis hunc fontem indicat, quod *ſoli medici delinquentes nulla in republica poena coercerentur, præterquam ignominia*: (ἀδοξίας, exiſtimationis

tionis iacturæ) *verum hæc non afficit eos, qui toti quanti ſunt ex infamia compoſiti.*

* *de lege §. 1.*

VIIII. Plura de medicorum huius temporis conditione non addo, hæc etiam omiſſurus, niſi eſſent qui neſcio quem ſtatum integritatis, aut aureum medicinæ ſæculum, nobis pingere ſtudent, quando in Hippocrateum æuum ſermones eorum forte incidunt, & ne illud quidem incommodum, quod nobis medicaſtrorum impura agmina inferunt, in antiquorum monumentis ſe obſeruare ſimulant. Sed tranſimus ad alterum, quod hoc capite conſiderandum nobis eſt, nimirum ad producendos illos medicos Hippocrati coæuos, de quibus nondum fuit dicendi occaſio.

X. GALENVS * vbi diſputat de auctore libri, qui *de ſalubri diæta* inſcribitur, ſimul plures, qui auctores illius perhibentur, recenſet, ſcilicet Euryphontem, Phaontem, Philiſtionem & Ariſtonem, tandemque ſubiicit antiquos hos eſſe auctores, Hippocrate partim ſuperiores, partim eidem coæuos. Ex his Euryphontem, Hippocrate antiquiorem, ſupra vidimus, nunc de reliquis diſpiciemus.

* *Comm. I. in de vict. acutor. pag. 43. edit. Baſ. Græcæ.* Quærit autem indicato hoc loco Galenus auctorem libri, vt diſerte ſcribit, *de ſalubri diæta*, quem ad Polybum a pluribus referri ſupra vidimus, ipſo non repugnante Galeno, in commentario, quo hunc librum illuſtrat. Opus igitur eſt, ad Galeni mentem percipiendam, vt conferamus librum *de aliment. facult. I.* cuius procemio *pag. 306. ed. Baſ. Gr. Tom. IV.* de eadem re clarius diſputat, & principium libri eius, cuius auctorem quærit, adducit: ex quo cognoſcimus ipſi ſermonem eſſe de libro, qui in noſtris editionibus *de diæta II.* inſcribitur. Huius eosdem auctores, præter plures veteres, laudari ſcribit, niſi quod pro Phaonte hic Philetam ponit.

XI. Quis Phaon ille aut cuias fuerit, omnino ignoro: quemadmodum etiam obſcurum mihi eſt, quid de Phileta, quem Galenus alio loco pro ipſo poſuit, ſtatuere debeam. Commemorat CELSVS * collyrium aliquod Philetis, ſed id meliori iure ad Demoſthenen Philalethen, de quo ſuo loco, refertur.

* *lib. VI. cap. VI. §. 23.*

XII. Sed Philiſtionis magis cognitum eſt nomen. PLVTARCHO * *auctor antiquus & celebris operibus artis* dicitur. Siculum DIOGENES LAERTIVS ** perhibet: longe plures Locrum fuiſſe teſtantur. Empiricæ ſectæ antiquiſſimum, poſt Acronem, auctorem, facit libri Galeno attributi, *de ſubfiguratione empirica*, parens: ſed Plutarchus Hippocrateum *** dicit. Vtrum vero hac denominatione eundem Hippocrati diſcipulum dare, an nude deſignare voluerit, quod Hippocrati conſentiat in quæſtione, de qua diſputatur, id in medio relinquo. Certe Hippocrati coæuum eum fuiſſe ex eo apparet, quod Eudoxum Cnidium medicinam docuit, Platonis ex diſcipulo æmulum.

* *Sympoſiac. VII. cap. I.* ** *Lib. VIII. in vita Eudoxi.*

*** Modo integer eſt locus, de quo fere dubito. Adſcribam verba: Ἔτι δὲ τῶν μαρτύρων τῷ Πλάτωνι προσκαλοῦμαι φιλιστίονα τὸν Λοκρὸν, εὖ μάλα παλαιὸν ἄνδρα, καὶ λαμπρὸν ἀπὸ τῆς τέχνης ὑμῶν γενόμενον, καὶ Ἱπποκράτειον. Οὗτοι γὰρ κ. τ. λ. An forte Plutarchus ſcripſit Ἱπποκράτην? aut excidit ante Ἱπποκράτειον nomen Διώξιππον? Coniecturam meam confirmant ſubſequentia, vbi numero plurali loquitur. Commode autem vel Hippocratem reponimus, quippe cui dogma de potu ad pulmones deſcendente a multis tribuitur, vel Dioxippum Hippocratis diſcipulum, quem immediate ſubiungit, & ex eo refert, quo pacto obiectionem de epiglottide, hunc deſcenſum impediente, eludat.

XIII. Scriptorum ipſius nihil ſupereſt, vnde de dogmatibus eius certiores reddi poſſimus. Quid de potus

tus deſcenſu ad pulmones ſtatuerit, ex Plutarcho modo didicimus, eritque de eo iterum dicendum, ubi ad Platonem deuenerimus. A PLINIO * adducitur ſubinde, ſed ſeorſim commendatur, auctoritate eius, ſuccus braſſicæ ex lacte caprino, cum ſale & melle opiſthotonicis dandus. Auctor libelli *de machinamentis*, qui ORIBASIVS ** perhibetur, meminit organi Philiſtionis, ſeu machinæ ad reſtituendum ea, quæ luxata ſunt: ſed deſcriptionem plenam non ponit. Etiam de obſoniis parandis eum ſcripſiſſe, ex ATHENAEO *** cognoſcimus.

* *Lib. XX. cap. IX.* ** *cap. IV.*

*** *Libr. XII. p. 516.* citante D. D. FABRICIO *biblioth. Græc. Tom. XIII. p. 366.*

XIIII. De Ariſtone, quæ addam ex Galeno iam allatis, paucula inuenio. Exſtat apud GALENVM* deſcriptio medicamenti, quod κωλικὴ vocabatur, quoniam colico dolori medendo comparatum eſt. Id Ariſtonem admiratum eſſe, fide Diophantis Lycii, refertur: quod idem auctor ſit, non video. CELSVS ** etiam conſeruauit malagma Ariſtonis aduerſus podagram & omnes dolores.

* *de compoſ. medic. ſec. loc. lib. IX. pag. 299. ed. Baſ. Gr.*

** *Libr. V. cap. XVIII. §. 33.*

XV. DIOGENES LAERTIVS * nobis indicat quadrigam medicorum, quos vna cum Hippocrate vixiſſe neceſſe eſt. Scilicet Philiſtionem illum, de quo modo diximus, Eudoxum Cnidium, qui in medicis præceptore Philiſtione vſus eſt: Theomedontem medicum, a quo Eudoxus apud Athenienſes nutritus eſt: & Chryſippum Erinei F. Cnidium, Eudoxi auditorem & in itinere Aegyptio ſocium.

* *Lib. VIII. vita Eudoxi.*

XVI. Eudoxus hic Cnidius, Aeſchinis filius, ſummo inter paupertatis anguſtias diſcendi ſtudio flagrabat.

Inuenit

Inuenit autem virtus eius amicos, quorum opibus & commendatione non ſolum Athenas adire, ibidemque inter Socraticos cum Platone verſari potuit: verum etiam Aegyptum petere,& cum ſacerdotibus philoſophari. Euaſit tandem aſtrologus, geometra, philoſophus ac medicus inſignis, inque patria ſua tantum polluit, vt leges ſibi ab eo ſcribi deſiderarent ciues ſui. Singularia, quæ de medicina eius adferam, nulla habeo, omninoque videtur noſtrum medicinæ minus quam aſtrologiæ, geometriæ ac reliquæ philoſophiæ, addictum vixiſſe: ſaltem medica nulla exaraſſe: quoniam nondum mihi videre licuit, quod vllus eius teſtimonio in re medica vtatur. Notari etiam hoc meretur, quod in philoſophia Pythagoram potius, quam Socraticos, ſequutus fuerit: quare mirum eſſe non debet quod Chryſippo diſcipulo multa Pythagorea inſtillauit, quæ ab hoc deinceps ad Eraſiſtratum, ab eoque deductos viros, deriuata ſunt. Alium fuiſſe Eudoxum Cnidium, celebrem medicum, idem Diogenes Laertius, ex quo hactenus retuli, teſtatur, eiusque monitum affert: *quemadmodum membra omnis generis exercitatione continuo agitare iuuat, ita non minus ſenſus eſſe exercendos.*

XVII. Reuocat nobis Eudoxus hic in memoriam Metonem Athenienſem, qui Socrati & Hippocrati coæuus floruit, vt ex PLVTARCHO * colligere licet. Coniunxit hic etiam aſtronomiæ ſtudium cum medicina, magisque illa, quam hac, memoriam ſuam æternitati conſecrauit. Auctor eſt enneadecaeteridis, ſeu cycli decemnouennalis, de quo videantur auctores artis chronologicæ.

* *vita Alcibiadis.*

XVIII. De Theomedonte, præter modo dicta, nihil accepi. Chryſippum autem Cnidium ſequenti periodo

riodo reſeruare conſultius videtur, ne nimis longe a clariſſimo diſcipulo Eraſiſtrato abſtrahatur. Eodem etiam differimus Herodicum, Dioxippum & Apollonium, Hippocratis diſcipulos.

XVIIII. Medicis huius æui etiam adſcribendus eſt Nicomachus, Ariſtotelis pater, qui genus deducebat a Nicomacho Machaonis filio, vt DIOG. LAERTIVS* & SVIDAS** teſtantur. Quæ fides iſti genealogiæ habenda ſit, nolo iam inquirere: ſaltem IO. TZETZES*** parum ipſi tribuit, quum, tamquam exemplum abuſiue dictorum Aſclepiadarum, diſerte adducat hunc noſtrum Nicomachum, Ariſtotelis Stagiritæ parentem. Is autem Amyntæ, Macedonum regi, conuixit ἰατροῦ καὶ φίλου χρείᾳ, hoc eſt, vt noſtri ſæculi more eloquar, archiatri & conſiliarii dignitate conſpicuus. Scripſit, Suida teſte, *de re medica* libros VI. & de *rebus naturalibus* vnum, ſed diu deperditos.

* *libro V. ineunte.* ** voce *Nicomachus.*
*** in calce Hippocratis Lindeniani *Tom. II. pag. 963.*

XX. Iisdem temporibus in Macedonia floruit Menecrates Syracuſanus, homo dubiæ ſanitatis, ſi vera ſunt quæ de ipſo multis verbis narrat ATHENAEVS* ſtolidæ ſuperbiæ ſpecimina. Nam quum aliquos a grauibus morbis, ſeorſim caduco, liberaſſet, eo veſaniæ proceſſit, vt ſe Iouem diceret, incederetque comitatus illis, quos ſanauerat, quorum alium Mercurii, alium Apollinis, Aeſculapiiue, aliorum deorum habitu alios indutos, nominibus etiam apellauit. Superba epiſtola ad Philippum Macedonum regem ſcripta ſeipſum Iouem dixit: quanquam PLVTARCHVS** non Philippo ſed Ageſilao miſſas eiusmodi litteras commemorat.

* Lib. VII. p. 289. Excerptum integrum dat D. D. FABRICIVS *bibl. Gr. vol. XIII. pag. 330.*
** *in Ageſilao.*

XXI. Critobulus, Philippo Macedoni coæuus, magnam famam conſequutus eſt, teſte PLINIO, extracta regis oculo ſagitta, & citra deformitatem oris curata orbitate luminis. Eundem curauiſſe Alexandrum ex admodum periculoſo vulnere Q. CVRTIVS ** ſcribit.

* *Lib. VII. cap.* XXXVII.

** *Lib. IX. cap. V.* quod vero Curtius hic tribuit Critobolo, id ARRIANVS *de exped. Alexand. lib. VI. p. m.* 397. Critodemo adſcribit.

XXII. Horum temporum alii medici parum, vltra nomen, poſteritati commendarunt. PLATO laudat Acumenum Socratis amicum, & de ipſo refert quod deambulationes extra portam prætulerit illis, quæ fiunt ſub porticibus. Idem ** Eryximachum Acumeni filium, medicum, prædicat, tamquam dogmatibus Platonicis de harmonia vniuerſi maxime conſentientem.

* *Phædri initio.* ** *in ſympoſio.*

XXIII. Pittalus ab ARISTOPHANE * vt celebris medicus allegatur. Ab eodem Aceſias, infelix, vt videtur, practicus, de quo eſt prouerbium a DIOGENIANO ** relatum: *Aceſias eum curauit*: quod vſurpabant veteres de re in dies deteriori reddita per conſilia maxime exquiſita: aut de quouis infeliciter curato ægroto.

* *Acharnenſium verſ.* 1031. 1220.

** confer quæ de eo habet Excell. D. D. IO. IAC. BAIFRVS, collega honoratiſſimus, *Adagiorum medicinalium pag.* 5.

XXIIII. Ad philoſophos nunc accedimus conſiderandos, vbi, qui omnium inſtar eſſe poteſt, Plato ſe nobis primo loco offert, Athenis haud ignobili loco natus, ibidemque, decimo admodum poſt Hippocratis fata anno, mortuus. Hic non contentus præceptoribus, quos in patria vrbe & vicinis habuit, Pythagoreorum philoſophorum cauſa in Italiam nauigauit, hinc Aegyptum etiam petiit, Cyrenæos quoque inuiſit, & vndi-

& vndiquaque ſapientiam venatus eſt. Iam diu obſeruatum eſt ipſius philoſophiam miſcere Heracliteorum ſeu Eleaticorum, Pythagoreorum & Socratis placita. Sed hæc apud hiſtoriæ philoſophicæ ſcriptores ampliſſime relegenda commendo, ipſeque ſine mora progredior ad exponendum de illis, quorum cauſa in medicinæ hiſtoria locum mereri viſus eſt.

XXV. Nimirum in dulciſſimis & Attica elegantia affluentiſſimis ſcriptis ſuis non ſolum multa, quæ ad conditionem priſcæ medicinæ pertinent, nobis ſuppeditat: cuius generis plura iam attulimus: verum etiam integrum aliquod medicinæ theoreticæ quaſi ſyſtema nobis reliquit in profundo libello, qui TIMAEVS * inſcribitur: ex quo iuuabit ad rem noſtram pertinentia aliqua decerpere.

* Inducit in hoc quidem dialogo Plato TIMAEVM Locrum, de quo ſupra *pag.* 176. diximus, loquentem & dogma totum de vniuerſi ortu, de elementis, hominum principiis, creatione, totaque natura, ſanitate, morbisque ediſſerentem continuo ſermone. Videtur hoc eo conſilio feciſſe, ne quis ipſi poſſet obiicere, quod aliorum inuenta pro ſuis venditauerit. Nam reuera videtur pleraque hic dicere ex Pythagoreorum mente, quod etiam agnoſcit MARSIL. FICINVS, qui ita ſcribit: *In Parmenide quidem Parmenidem & Zenonem Eleates Pythagoricos, qui de diuinis ſcripſerant, imitatur. In Timæo autem, Timæum Locrum Pythagoricum, qui librum de vniuerſi natura compoſuit, ſequitur: ita tamen vt his non eloquentiam ſolum adjungat, ſed myſteria.*

XXVI. Vt itaque altius ordiamur, PLATO * mundum dicit animal eſſe, idque intelligens, reuera diuina prouidentia conſtitutum, vnicum, non plures. In operis exordio Deum ignem primum terramque creauiſſe: quibus vinculi loco & ſolidæ cohæſionis cauſa aquam & aerem addidit: quæ quatuor ſe ipſa amicitia concordi

complexa ita apte cohærent, ** vt nequeant diſſolui vllo modo, niſi ab eodem a quo ſunt colligata. Terram *** & planetas eſſe Deos genitos, ſed ſummi Dei voluntate immortales. His autem iunioribus deis ſummum illum præcepiſſe, vt quisque ſuum orbem creaturis impleret: atque eius quidem animalis, quod in ipſis tale futurum eſſet, vt cum immortalibus appellatione conueniret, diuinumque vocaretur, ſemen & initium ipſis tradidiſſe, vt hi iuniores dii deinceps immortali naturæ mortalem attexerent, facerentque animalia, ſubminiſtratis alimentis augerent, conſumtaque rurſus reciperent. Hoc autem negotium iunioribus diis ideo a ſummo deo demandatum fuiſſe, ne, ſi ipſe ſolus homines faceret vitaque donaret, diis omnino adæquarentur.

* *pag.* 477. *col. b.* editionis Marſilii Ficini Lugduni 1588. quæ toto hoc capite deinceps intelligenda eſt, vbi pagina ſimpliciter indicatur. Si vero Græcam citauero, intelligenda eſt Baſileenſis Valderiana 1534.

** *pag.* 478. *col. a.* *** *p.* 480. *col. a. b.*

XXVII. Animam itaque, immortalem huius principis animalis partem futuram, ſummus deus ex iisdem, quamquam non pari proportione, miſcuit, ex quibus etiam mundi totius anima temperata fuit, ſingulisque aſtris, diis ſcilicet iunioribus, portionem diſtribuit, ſimulque leges fatales edixit inde naſcituris animalibus. Dii itaque hi, ſui effectorem imitati, ignis, aeris, aquæ, terræ particulas, quas rurſus redderent, a mundo mutuabantur, vt immortali principio mortale corpus attexerent, * vnde homines enaſcebantur.

* *Ibid.* & pag. 481. *a.*

XXVIII. Clarius mentem ſuam de anima alibi exponit.* *Dii iuniores ſuum imitati parentem; principiumque animæ immortale ſuſcipientes, animam ipſam mortali corpore clauſerunt, totumque corpus animæ, quaſi vehiculum, ſubdidere, atque in eo aliam animæ ſpeciem mortalem fabricauerunt, quæ grauibus neceſſariisque perturbationibus*

bus afficeretur. Quemadmodum vero immortalis anima arci capitis incluſa ab eo credebatur: ita mortalis anima ſeorſim in alia corporis regione collocata fuit: nimirum eius pars fortitudinis iracundiæque particeps & contentioſa, inter diaphragma & ceruicem, capiti propinquior, collocata eſt: altera vero, quæ eſculenta & potulenta cupit, & reliqua omnia, quibus corpus indiget, concupiſcit, inter diaphragma & vmbilicum requieſcit, vbi quoddam quaſi præſepe, ad totius corporis alimoniam, exſtare volebant, & ibidem illam vim animæ, tanquam agreſte animal, alligauerunt.

* *p.* 489. *b.* 490. *a.*

XXVIIII. Corporis omnium partium medulla principium & initium præbuit.* Vincula enim vitæ illius, quam anima corpori iuncta ducit, applicata medullæ, ex eaque per omne diducta, vinciunt fulciuntque corporis noſtri conſtructionem. Quando autem medullam dicit, in primis intelligere ſe cerebrum per ſpinam continuatum manifeſtum ſatis reddit. Medulla, ſecuritatis cauſa, oſſeo tegmine circumdata fuit. Oſſa autem facta fuiſſe in hunc modum, docet: terram puram ſubtilemque contritam medulla irrigauit & in maſſam redegit (ἀνεφύρασε). Hanc poſtea in ignem iecit, deinde in aquam merſit, rurſus in ignem, iterum & in aquam: atque ita ſæpe transferens in vtrumque, talem reddidit, vt a neutro liquefieri poſſit.

* *pag.* 490. *b.* 491. *a.*

XXX. Quoniam vero conducebat homini corpus habere agile, vel ipſorum oſſium cauſa, ne facile colliſa ſemen concluſum perderent, mutuo connexa ſunt oſſa membranis & neruis, & multa carne tecta. Deque horum fabrica ita philoſophatur: *Fictor ille noſtri corporis inter ſe commixtis & coordinatis aqua, igne & terra, ex acido ſalſoque fermentatam maſſam compoſuit* (ζύμωμα) *inuicemque ſubegit, ſicque carnem mollem & ſucci*

 plenam

plenam conſtituit. Neruorum autem naturam ex oſſis & carnis non fermentata temperatura, ex vtroque ſcilicet vnum potentia intermedium, comparauit.

* *pag.* 491. *a.* in Græco *pag.* 494. Apparet ex hoc loco, & aliis, philoſophum noſtrum in reddendis rationibus multorum, quæ in nobis occurrunt, phænomenorum ſubinde recurrere ad τὴν ζέσιν ϗ ζύμωσιν: indeque exortas varii generis bullulas laudare eum videmus; confer, ſi placet *pag.* 488. *b. med.* & 494. *a. ed. Lat.* Neque ſolum terrea acidis mixta hunc effectum edere obſeruat, ſed diſerte alcalinam etiam memorat, ſub nitri nomine, cui virtutem abſtergentem, abluentem & colliquantem tribuit. Curioſum autem eſt quod ad ſoliditatem partium aliquam conferueſcentiam requirit: quod dogma, a Platone acceptum, inter aliquos medicos propagatum fuiſſe, diſcere licet ex CORNELIO CELSO, qui *libro* VIII. *cap.* VII. & X. quando agit de oſſibus fractis iterum conglutinandis, τὸ *conferuere* aliquoties dicit: vt & ex THEOPHILO PROTOSPATHARIO: quorum auctorum loca ex Platonis Timæo illuſtrare conatus ſum peculiari diſſertatione philogico-medica, de *oſſibus conferuentibus*, cIↄ Iↄ cc xxvii. edita.

XXXI. De corde philoſophus noſter ita docet: * *Cor cum venis, fontem ſanguinis per omne corpus impetu quodam manantis,* (σφοδρῶς περιφερομένου) *in ſtipatorum regione* (εἰς τὴν δορυφορικὴν οἴκησιν) *collocarunt*, (ſcilicet dii corporis noſtri opifices,) vt capiti hæc ſedes fortitudinis iracundiæque particeps propinquior foret, & per illam ratio, tamquam per ſatellites & ſtipatores, noxas omnes propulſaret.

* *pag.* 489. *b.* (Græc. p. 492.) Exiſtimarunt aliqui ex hoc loco, vbi cor origo & fons ſanguinis, per omnia membra impetu quodam circumlati, dicitur, ſatis elucere, quod circulatio ſanguinis auctori eius non prorſus fuerit incognita. Enimuero neutiquam inuenio cauſas illud de Platone noſtro ſuſpicandi, aut potius tam præclara de eo prædicandi. Requiritur enim ad circulationem vt agnoſcatur a corde per arterias ſanguinem omnibus partibus adferri, ex his in venas tranſire & ad cor referri, traiectiſque pulmonibus ſiniſtro cordis thalamo reddi, vt eius robuſta ſyſtole in arterias vi

propel-

propellatur. Horum nullum momentum Platonem perſpexiſſe video. Sed nemo, credo equidem, ſerio pro vindicanda Platoni cognitione circuli ſanguinei certabit, qui & ea, quæ de pulmonibus ſequuntur, & quæ de arteriarum venarumque mirabili reti, quod §. 37. attigi, diſputauit, attentius conſiderare voluerit.

XXXII. De pulmonibus ſequentem in modum philoſophatur: *Quum præuiderent* (corporis noſtri opifices,) *cor exſpectatione rerum terribilium, inſurgenteque iraſcibili facultate, ſubinde ſubſultaturum; omnemque hanc tumeſcentiam excandeſcentium ab igne oriundam cognoſcerent; auxilium ipſi tale inuenerunt. Pulmonum nimirum fabricam comparauerunt, primo quidem mollem & exſanguem, deinde vero ſpongiarum ritu foraminulentam & quaſi canalibus inſtructam, vt ſpiritum potumque reciperet, hisque* (cor) *refrigerando requiem & caloris moderationem afferret. Propterea arterias, tamquam aquæductus, diuiſerunt, pulmonemque cordi circumpoſuerunt, mollioris ſaltus gratia, vt quando iracundia in corde ſumme vigeret, cor in locum mollem cedentemque inſiliret, refrigeratum vero minus moleſtiæ perferret, hocque magis iracundia rationi inſeruiret.*

* *pag.* 492. Græc. Studui autem Latina magis ad verbum reddere quam *Marſilius Ficinus*, apud quem *pag.* 490. *a.* idem locus legi poteſt, fecerat: quoniam ſimul cordis & pulmonis rationes hic traduntur. Præcipuum, quod hic memorabile videtur, eſt dogma de potu ad pulmonem deſcendente, cuius cauſa Plato a multis iam olim reprehenſus & defenſus fuit. Inter aduerſarios maxime incaleſcentem inuenio MACROBIVM, qui *Saturnal.* VII. 15. in hæc verba erumpit: *Plato, dum nec anatomica, quæ medicinæ propria eſt, abſtinet, riſum de ſe poſteris tradidit. Dixit enim diuiſas eſſe vias deuorandis cibatui & potui: & cibum quidem per ſtomachum trahi, potum vero per* ἀρτηρίαν, *quæ* τραχεῖα *dicitur, fibris pulmonis illabi: quod tantum virum vel exiſtimaſſe vel in libros retuliſſe mirandum eſt, vel potius dolendum.* Sed officioſiores in Platonem fuere PLVTARCHVS *Sympoſ. VII. cap. I.* & GALENVS *de Hippocr.*

pocr. & Platon. plac. VIII. circa finem: quorum ille numerum clarorum virorum, qui idem ſenſerunt, ad minuendam exprobrationis vehementiam, adducit: hic vero in eo laborat, vt oſtendat Platonem id, quod in hac ſententia maxime abſurdum eſt, minime ſenſiſſe. Hanc controuerſiam mox ab Hippocratis & Platonis obitu agitatam eſſe ex eo mihi fit veroſimile, quoniam non ſolum ſubtilius cultæ anatomes epocha mox incidit: verum etiam Dioxippus, Hippocratis diſcipulus, de quo ſequenti periodo dicemus, ad obiectiones aduerſus hanc ſententiam factas nonnulla regerere & ſententiam emollire conatus eſt.

XXIII. De iecinore plane iucundus videtur Platò, quando * viſcus hoc ventriculo, ſedi animæ concupiſcentis, ideo iunctum tradit, vt indomitum hoc animal coerceat atque moderetur, terrorem incutientibus imaginibus ex rationis ſede relucentibus, & in polita læuique hepatis ſubſtantia, tamquam ſpeculo, apparentibus. Immo vt contractione ſua, ipſiusque bilis ſuffuſione, aliquando eam affligat & caſtiget. At rurſus quando manſuetudinis ex mente inſpiratio contraria viſa effingit, manſuetæ pacatæque partis animæ ſedes exiſtit, adeo vt etiam in ſomno moderate affecta vaticinio vtatur, quando rationis prudentiæque eſt expers. Hunc vltimum vſum tanti facit, vt diſerte dicat hepar eſſe diuinationis gratia.

* *pag.* 490. *a. b.* tamquam hepatis partes nominat λόβον, λόχον, πύλας: plures deſignat NICANDER, ad quem delati de his etiam diſpiciemus.

XXXIIII. Vt vero ſpeculum hoc iecinoris clarum ſemper purumque maneret, * ex ſiniſtra regione poſitus lien fuit, vt, quando propter corporis morbum ſordibus iecur abundaret, lienis raritas id purgans, eas combibat, quum concauum ſit hoc viſcus & exſangue.

* *pag.* 490. *b.*

XXXV. De generatione, & organis huic inſeruientibus, mire philoſophatur.* Probabili ratione conſequi

ſequi ſe putat viros iniuſtos & timidos in ſecunda generatione** in feminas fuiſſe conuerſos. Quo facto dii coitus deſiderium vtrique ſexui machinati ſunt. Scilicet in viris vnum quoddam, in feminis alterum, animal vitæ & animæ particeps condiderunt, reſpirans, inobediens rationi atque imperioſum, furioſarum libidinum violentia ſubiicere ſibi cuncta quærens. Matricem feminarum ſeorſim deſcribit tamquam animal auidum generandi, quando autem, idonea iam ætate, hunc finem non obtinere licet, ægre fert moram ac plurimum indignatur, paſſimque per corpus oberrans, meatus ſpiritus intercludit, reſpirare non ſinit, extremis vexat anguſtiis, morbis denique omnibus premit, quousque vtrorumque cupido amorque quaſi ex arboribus fœtum fructumue producunt.

* *pag.* 496. *b.* 497. *a.*

** Plato animo fouit animarum migrationem, de qua ita ſenſit *pag.* 480. *b.* & 481. *a.* *Deus edixit illum, qui recte curriculum viuendi a natura datum confecerit, ad illud aſtrum, cui accommodatus fuerit,* (συννόμου ἄςρου οἴκησιν) *reuerſum, beatam vitam acturum. Contra vero agentem cogi in ortu ſecundo ſexu mutato fieri mulierem. Et qui ne tum quidem finem peccandi faciet, quatenus deprauatur, eatenus in brutorum naturam, ſuis moribus ſimilem, permutari.* Addi debet finis Timæi *pag.* 497. *a.* vbi exponit ordinem metempſychoſeos, ſcilicet vt homines tranſeant primum in aues, tum in feras & quadrupedes, tandem in animalia aquatilia.

XXXVI. De ſpermate virili curioſe, ſed non ſatis mihi perſpicue diſſerit. En ipſiusmet verba: * *Ipſum potus diſcurſum,* (διέξοδον) *quo per pulmones potus ſub renes in veſicam defluens & ſpiritui mixtus eliſusque depromitur, dii in fiſtulæ modum in compactam medullam a capite per ceruicem & ſpinam, quam ſperma in ſuperioribus nuncupauimus, perforauerunt.* Quæ ſententia videtur Hippocraticam ſupra** traditam illuſtrare, & ab ea viciſſim lucem accipere.

 * *pag.*

* *pag.* 497. *b.* Ceterum renum non inuenio mentionem alibi fieri, vt determinare non liceat, vtrum renum officium Plato cognouerit, an ignorauerit.

** *pag.* 228. §. 16.

XXXVII. Poterunt hæc ſpecimina medicinæ Platonicæ ſufficere. Volebam interſerere ipſius doctrinam de inſigni & artificioſo reti arteriarum & venarum, toti corporis fabricæ intertexto, in cuius vltimis ramificationibus ſanguinis & ſpirituum reciprocatio quædam, ſub quauis inſpiratione & exſpiratione, accidit, a qua plurimum corpori emolumentum enaſcitur: quoniam vero longior eſt ſermo, & a me nuper alibi * expoſitum eſt hoc negotium, liceat hic phyſiologiam Platonis dimittere, vt de pathologia & reliquis dicendi locus maneat.

* diſſ. de *oſſibus conſeruentibus.* §. 19. 20.

XXXVIII. Supra intelleximus Platonem omnium partium corporis animalis originem a medulla deducere. Eam conſtare & connecti triangulis ſupponit. His medullæ triangulis* indies nouos extrinſecus a cibis potibus & aere accedere, quibus ſuppletur quicquid illa conferueſcentia attritum & exhauſtum eſt. Quando igitur plus abſcedit, quam acceſſerit, decreſcit animal, quando autem contrarium fit, augetur. At quum triangulorum radix compagesque relaxatur, ex eo quod magnis laboribus, & longo tempore aduerſus multa certando fatigata & domita ſit, tunc ſane alimenta ſuſcepta in ſimilitudinem ſuam non poteſt comminuendo redigere, membra vero ab ingredientibus facile diſſipantur. Hinc iam minui ac deficere omne incipit animal, quum ſuperatur: detrimentumque iſtud ſenectus appellatur. Finis vero tunc obuenit, quando triangulorum illorum, ex quibus medulla conficitur, olim coaptata vincula nihil amplius nectunt, ſed defatigatione iam relaxata

laxata nexus animæ deſerunt. Anima vero clam ſecundum naturam cum voluptate protinus euolat.

* *pag.* 493. *a.* & *b.*

XXXVIIII. Morbi autem vnde naſcantur, ſequentem in modum exponit: * Quum quatuor illa ſint, ex quibus compactum eſt corpus, terra, ignis, aqua & aer, horum contra naturam abundantia defectusque, & ex loco proprio in alienum translatio, per quam quod ſibi conueniens eſt, non tenent, inteſtinam quandam ſeditionem & morbos inferunt. Ita fiunt humorum, de quibus late diſſerit, corruptorum genera, bilis, pro colorum varietate, diuerſæ ſpecies, (quibus, Platone iudice, nomen impoſuit vel medicus aliquis, vel certe eo ingenio præditus quiſpiam, quo multa & diſſimilia diſpicere poſſet, ac rurſus genus in multis vnum vno cognomento dignum inſpicere:) pituita acida, alba, bullularum interpoſitione facta, recentis pituitæ effluxus. Atque hi morbi fiunt vitio extrinſecus aduentantium.

* *pag.* 493. *b.* & 494. *a.*

XXXX. Enimuero longe grauiores enaſcuntur * quando vel id, quod carnes oſſibus alligat, ægrotat, adeoque nexum cum medulla corrumpit; vel os, ob carnis craſſitudinem reſpirationem non habet ſufficientem, ideoque putredinis calore vexatum atque reſtrictum alimenta non ſuſcipit; grauiſſimi autem tunc accidunt, quando medullæ ipſius natura, propter defectum aliquem aut exceſſum, ægrotat: tunc enim omnis corporis compages neceſſario diſſipatur.

* *pag.* 494. *b.*

XXXXI. Longum eſſet, ſi ordine ſingulorum morborum generationem exponere vellem: quare de paucis, quorum originem clariſſime indicat, aliquid

ſubiungam.* Morbum ſacrum atræ bili, albæ pituitæ permixtæ, in diuiniſſimos capitis meatus illapſæ, tribuit. *Quum vero*, inquit, *ſacræ naturæ languor hic ſit, haud abs re ſacer morbus eſt appellatus.* Pituita acida & ſalſa, languorum omnium, qui a deſtillatione fiunt, origo eſt. Quando corpus ignis potiſſimum exceſſu languet, continua febre laborat: quando vero aeris, quotidiana diſcreta; aquæ, tertiana, propterea quod aqua ſegnior eſt quam ignis & aer: terræ demum exceſſu, quartana. Terra ſiquidem omnium tardiſſima quarto gradu quum ſit, temporis circuitu quarto feruet, deferuetque.

* *pag.* 494. *b.* 495. *a.*

XXXXII. Animæ morbos * propter corporis habitum naſci exiſtimat, inſaniam & imperitiam: quin tam multam corpori in animam vim tribuit, vt ſcribat: *nemo ſponte malus, ſed propter prauum quendam corporis habitum, rudemque educationem, malus omnis fit malus. — Sæpe etiam ad prauum hunc corporaturæ & affectionis habitum accedunt mores ciuitatis iniqui, ſermonesque & priuati & publici, non parum omnino noxii; nec vllæ doctrinæ ad tantorum malorum remedia a tenera ætate diſcuntur.*

* *Ibidem & b.*

XXXXIII. Ad rectæ valetudinis conſeruationem primo commendat * animi & corporis probe inter ſe commenſuratas rationes habere: ſed dolet quod de hac re exigua quædam perſentimus & iudicamus, præcipua vero & maxima ignoramus. Iubet vero Plato, *vt neque animam ſine corpore, neque corpus absque anima moueamus, vt in mutua contentione, exæquatis inuicem viribus, inſurgentia, bonam totius valetudinem tueantur.* Regulam hanc ita illuſtrat: quapropter quicunque mathematicis doctrinis

operam

operam dat, aut cuiuis mentis indagationi vehementius ſtudet, debet etiam motum corporis adhibere, & in gymnaſtica exercitatione verſari: ac rurſus, qui ſumma corpus diligentia format & roborat, animæ quoque viciſſim motus adiungat, muſica & omnibus philoſophiæ ſtudiis vſus.

* *pag.* 495. *b.* 496. *a.* Nimiæ mentis agitationis noxios effectus ita eleganter tradit, vt non poſſim quin legendum totum locum exhibeam, quum mihi videatur Plato aliquid deſcribere, cuius in ſe ipſo & amicis crebram experientiam habuit. *Quando*, inquit, *anima ad diſcendum inueſtigandumque collectis in vnum viribus vehementer incumbit, liquefacit protinus corpus & labefactat. Denique cum ad docendum diſſerendumque priuatim & publice ambitioſa quadam concertatione contendit, inflammat corpus atque reſoluit. Nonnumquam etiam deſtillationes fluxusque commouens medicorum plurimos decipit, cogitque illos contrarias cauſas iudicare.* Quum vero Plato corporis ſummam rationem, vel animi cauſa, habere nos iubeat: vix vero mihi ſimile videtur, quod de ipſo aliqui veterum affirmant, eum propterea Academiam potiſſimum elegiſſe, vbi cum auditoribus ſuis philoſopharetur, quod locus minus eſſet ſalubris, quodque ſperaret mentem reddi meliorem corpore cum afflicta valetudine colluctante. Videatur AELIANVS *Var. hiſt.* IX. *cap.* X. & D. HIERONYMVS *aduerſ. Iouinian.* I. *pag.* 77. ed. Frob.

XXXXIII. De motionibus corporis ita præcipit: * purgationum & conſtitutionum corporis omnium, quæ exercitatione gymnaſtica fit, ſaluberrima eſt: proxime ad hanc accedit vectio facilis, ſiue naui, ſeu quouis alio vehiculo, peragatur. Deterrimus autem motus eſt, quando iacens & quietem agens corpus ab aliis ſecundum partes mouetur: atque hæc commotionis ſpecies tum demum, quum ſumma cogit neceſſitas, vtilis: aliter vero nullo modo ſanæ mentis homini ſuſcipienda. Medicorum illa purgatio eſt, quæ pharmacis fieri ſolet. Morbi autem, niſi pe-

riculoſiſſimi ſint, pharmacis irritandi non ſunt: ſecus ſi feceris ex paruis ingentes, ex paucis multi euadere conſueuerunt.

* *pag.* 496. *a.* Omnino hæc conſona Pythagoreorum doctrinis inuenimus: idque potiſſimum dogma, quod purgationes exoſas reddit, ab hac ſchola ad Eraſiſtrateos propagatum eſt. Operæ pretium fuerit conferre cum Platonico Timæo libelum Timæi περὶ ψυχᾶς κόσμω, *de anima mundi*, Platoni Græco *pag.* 643. ſeqq. inſertum, vt appareat quantum eloquentiæ ad breuem libellum explicandum attulerit.

XXXXV. Hactenus ex vno Timæo retulimus: nunc alia ad medicinam vel medicos pertinentia ex aliis libellis ſubiungam. * Medicos & Iureconſultos ambo mala æque neceſſaria iudicat ob prauos mores. *Satis*, inquit, *pudendum eſſe, quod non fæx populi ſola & multitudo operariorum his indigeat, verum illi maxime qui liberaliter educati & ingenui videri cupiunt. Bene conſtituta reſpublica medicis indigere non debet, niſi vulnerum cauſa, & quando morbi populares incidunt. Malas autem diætas & ignauiam inducere repletiones, inflationes, defluxiones, ſic vt medici cogantur de flatulentiis & catarrhis diſputare.*

* *De republic. III. pag.* 398. *Gr.*

XXXXVI. Medicum optimum * illum fore promittit, qui ediſcendæ arti a pueritia ſtatim admouetur, quique plurimis & grauiſſime decumbentibus ægrotis crebro adhibetur: quin optandum putat vt omnibus morbis ipſummet tentatum medicum reſpublica habeat, neque enim opus eſſe medico corpore ſano, quum non corpore corpora ſanare debeat, ſed animi virtutibus. Similiter iudicis officio olim functurum inter iniuſtiſſimos non ſolum a teneris verſari vtile exiſtimat; ſed talem maxime idoneum putat qui omnis

omnis generis nequitias ipſemet prius exercuerit. Talem enim iniuſtos & nequam homines facillime cognoſcere. Sed hæc non niſi in Platonica republica, ſi forte inſtituetur, probabuntur.

* Ibid. *pag.* 399. 400. Hippocrates quidem, aut quisquis eſt auctor, *lib. de medico §. I.* medico ſuadet, *vt videat, quo bono colore & bona ac carnoſa corporis habitudine præditus ſit, iuxta exiſtentem in ſe naturam. Vulgus enim exiſtimat eos, qui non ſic bene diſpoſitum corpus habeat, neque aliis bene proſpicere poſſe.* Noſtræ autem ætatis haud poſtremus medicus BERNARDINVS RAMAZZINVS *Orationum poſthumarum* vltima, ſerio videtur defendere: *medicum valetudinarium aptiorem eſſe ad medicinam faciendam, quam alterum inculpata valetudine degentem.* Sed videtur Ramazzinus apologiam ibi pro ſe ipſo ſcribere: & vix credo *Felicem* aliquem *Platerum* prærogatiuas illas, quas valetudinario medico tribuit Ramazzinus, permutatione perfectiſſimæ valetudinis redemturum eſſe.

XXXXVII. De medicorum conditione diſſerens* aperte docet medicorum ὑπηρέτας, miniſtros, alios eſſe liberos, alios ſeruos; vtrisque medicorum nomen tribui, ſed hoc intereſſe, quod vtrique ex theoria & experientia medici illius, cuius miniſtri ſunt, quæ circa ægrotos faciunt, facere debent: ingenui autem artem cum rationibus a magiſtris diſcant: ſerui nihil, niſi ab experientia & rerum vſu, accipiant, quibus deinceps ad ſeruorum potiſſimum curationes obeundas ſatis imperioſe vtantur. *Liber autem,* inquit, *medicus vt plurimum morbos curat atque conſiderat, ita vt a principio morbi naturam perquirat, communiterque cum ægrotante atque eius amicis verſetur, tum diſcendo ab illis non nihil, tum, quoad fieri poteſt, docendo, nec ante imperat quicquam, quam perſuaſerit. Atque ita perſuadendo ſemper manſuete ad ſanitatem perducere ægrotantes conatur.* Subiicit deinceps: *vter melior eſt & medicus & exercitator, qui ſic, an qui modo illo medetur atque exercet?*

ercet? qui locus mihi notatu dignus videtur, quoniam non parum illuſtrat & confirmat ſuperius** de ortu medicorum ſeruorum dicta.

* *de legibus IV. p. 563. b. 537. a.*

** *Sect. II. cap. VIII. §. 27. ſeq.*

XXXXVIII. Platoni tandem ſubiiciemus Dionyſium patrem, Syracuſanorum celebrem tyrannum, qui Platone ad ſe inuitato familiariter vſus eſt. Refertur de eo quod medicina facienda adeo delectatus fuerit, vt libenter etiam perageret illas curationes, quæ ſecando vrendoque abſoluuntur: quod quidem Aeliani fide D. D. CLERICVS* perhibet, mihi vero apud AELIANVM ** reperire non licuit quo iure Dionyſio patri hoc tribuatur: omninoque mallem iuniori transſcribere, qui, cum tyrannide excidiſſet, apud Corinthios priuatam vitam ſic agebat, vt longiſſime a faſtu tyrannico remotus videretur, omnemque ſuſpicionem euadere cupiens, PLVTARCHO*** auctore, totis diebus *in foro obſoniorum verſabatur, aut in vnguentaria taberna* (ἐν μυροπωλίῳ) *ſedebat*, cetera. Scilicet male feriatorum conciliabula eſſe ſolebant τὰ κουρεῖα, tonſtrinæ, & τὰ μυροπώλια, quæ ambo ſæpe vno nomine appellabantur τὰ ἰατρεῖα, *medicorum tabernæ*. Exiſtimo igitur Aelianum a veterum aliquo relatum legiſſe, quod Dionyſius in ἰατρείοις verſando otium fefellerit, idque ad medica opera transtuliſſe. In quo ſi me coniectura non fallit, deberet medicorum catalogo Dionyſius omnino eximi.

* *Hiſtor. medic. P. I. Libr. IV. cap. 3. p. 267.*

** *Hiſt. Var. Libr. XI. cap. XI.*

*** *in Timoleonte.* conf. THEOPHRASTI *characteres mor.* ibique notas Caſauboni *pag.* 244. D. HIERONYMVM *ep. ad Nepotian. pag.* 13. *ed. Frob.* ibique notas Eraſm. Roterodami.

HISTO-

HISTORIAE MEDICINAE PERIODVS SECVNDA

DE MEDICINAE GRAECANICAE PROGRESSV VSQVE AD EA TEMPORA QVIBVS ROMAM PERVENIT.

Capitibus ſex

agitur

I. De medicis ab exceſſu Hippocratis ad Alexandriam conditam.

II. De philoſophis coæuis.

III. De Herophilo Eraſiſtrato, et ab his deductis viris.

IIII. De ſectæ empiricæ exortu.

V. De medicinæ in tres partes diductione.

VI. De medicinae Graecanicæ apud Romanos aduentu.



Cap. I.

De medicis ab exceſſu Hippocratis ad Alexandriam conditam.

CONSPECTVS.

Determinatio periodi huius. I.
Medicinæ et Græciæ fortuna communis. II.
De Hippocratis diſcipulis. III.
de Herodico. IIII.
de Dioxippo. V.
Eius dogma de potus deſcenſu ad pulmones. VI.
de praxi eiusdem. VII.
de Apollonio et Petrone. VIII. VIIII.
de Diocle Caryſtio. X.
Eius ætas controuerſa. XI. XII.
de meritis eius anatomicis. XIII-XV.
et ſcripto anatomico. XVI.
pathologiæ ſpecimina. XVII. XVIII.
de praxi eiusdem. XIX. XX.
de ſcriptis Dioclis. XXI.
quod medicinam gratis exercuerit. XXII.
de Praxagora Coo. XXIII.
Herophili in anatome praeceptor fuit. XXIIII.
Specimina anatomica et phyſiologica. XXV-XXVIII.
de praxi eiusdem. XXVIIII.
de diſcipulis. XXX.
de Philotimo. XXXI.
de Pliſtonico, XXXII. XXXIII.
digreſſio ad quosdam coæuos. XXXIIII.
de Eudemo. XXXV. XXXVI.
de Mneſitheo. XXXVII-XXXVIIII.
de Dieuche. XXXX.
de Chryſippo Cnidio. XXXXI-XXXXV.
de eius diſcipulis. XXXXVI.
de Ariſtogene. XXXXVII.
de Medio. XXXXVIII.
de Metrodoro. XXXXVIIII.

I.

Altera hac periodo hiſtoriæ, quam tradere inſtitui, medicinæ, ab Hippocratis Coi exceſſu vsque ad illam epocham, qua Romani Græcam medicinam admiſerunt vel arripuerunt, tempus centum, triginta et octo annorum complectar. Nam quum Hippocratem ex viuis exceſſiſſe olympiadis centeſimæ quintæ vltimo anno plerique ponant; qui mundi conditi eſt ſupra ter milleſimum et ſexcenteſimum viceſimus ſeptimus: Romam vero primum ex Peloponneſo adueniſſe Archagathum A. V. DXXXV. PLINIVS * luculenter teſtetur; quod tempus in mundi conditi annum 3765. incidit: calculi rationes facile patebunt. Attamen tam breui tempore adeo multa, quæ ſcribantur digna, acciderunt, eaque ſatis certis teſtimoniis innixa, ut hæc periodus in primis clara et memorabilis videri merito debeat.

* *Hiſt. nat. XXIX. c. I.*

II. Atque ut Græcia hoc temporis interuallo fortibus armis maximas res geſſit, et in primis valuit, donec in viſcera ſua ſæuiendo ipſammet ſe peſſum dedit, Romanisque paratam prædam obiecit: ita artium cultura lætiſſime in eadem gente, orbis iam domina, ſucceſſit, ipſique ad omnem poſteritatem memorabile nomen peperit. Seorſim autem Græcanica medicina tam egregia incrementa cœpit, vt dicere auſim et virilem ætatem eius in hæc potiſſimum tempora incidiſſe, et poſt hæc egregie cum illa actum fuiſſe, ſi bene parta recte tueri potuiſſet.

III. Expoſituri autem de illis viris, quorum induſtria aut patrocinio factum eſt, vt ars noſtra poſt Hippocratis exceſſum maxime eſfloreſceret, merito initium facimus a diſcipulis Hippocratis, aut ab his deductis, ſaltem

ſaltem coæuis, viris, quos ſupra attingere noluimus, quoniam cum dicendorum ſerie facta eorum arctius cohærent. Sunt autem Herodicus, Dioxippus et Apollonius Hippocratis diſcipuli: Diocles Caryſtius, Praxagoras Cous et ipſius diſcipuli: et Eudoxi Cnidii auditor Chryſippus Cnidius, cum aliquibus aliis.

IIII. Et de Herodico quidem ſupra binis locis* dixi, nec diſſimulaui quam ſit obſcura huius viri hiſtoria: quum non ſolum nomen incertum ſit, aliis Prodicum ſcribentibus aliis Herodicum, verum etiam patria fluctuet. Puto autem multa inquirendo tandem inueniſſe, illum, qui medicinam gymnaſticam inſtituendo vectigal iatroaliptis inuenit, eſſe Selymbrianum, huncque forte Hippocratis præceptorem in ea parte fuiſſe: alterum vero Hippocratis diſcipulum vel Leontinum et Gorgiæ fratrem fuiſſe, vel Chium. Huius videtur fuiſſe liber *de natura humana*, cuius GALENVS ** meminit, et ex quo exemplum affert nouaturiendi, quo pruriebat, ſtudii etiam in minutiis grammaticis.

* *pag.* 191. & 207.

** *de natural. facult. Libr. II. pag.* 106. Gr. conf. *de Hippocr. et Plat. plac. VII. pag.* 326. Scilicet ægre tulit nomen φλέγμα, quod pituitam, humorem frigidum, ab antiquo deſignauit, illi tribui, quum ſit a Græco φλέγειν, adeoque vi vocis denotet aliquid συγκεκαυμένον καὶ οἷον ὑπερωπτημένον, *combuſtum et quaſi ſuperaſſatum.* Maluit itaque pro φλέγμα appellare βλένναν.

V. Dioxippus, quem et Dexippum vocari inuenio, patria Cous fuit. SVIDAS refert eum ab Hecatomno Cariæ rege accerſitum, vt ipſius filios, Mauſolum et Pixodarum, deſperato morbo laborantes, curaret, alia conditione non iuiſſe, niſi bellum, quod aduerſus Caras (potius Coos) gerebat, compoſitum eſſet. Scripſiſſe autem eum vnum medicum librum et de præco-

gnitionibus duos: quos GALENI* ætate iam deperditos fuiſſe colligere licet.

* vide *Comment. III. in librum Hipp. de vict. ac. pag.* 83. *ed. Gr. B.*

VI. De dogmatibus ipſius a veteribus aliqua commemorantur. Et PLVTARCHVS* quidem teſtatur ipſum ſequutum eſſe doctrinam Platonicam de potus deſcenſu ad pulmones, cui plures antiquos adhæſiſſe ſupra iam indicatum fuit. Noſter autem ſeorſim antiquitatem defendere, non ſine applauſu, vt videtur, conatus eſt. Nam quum obiiceretur epiglottidem impedire, quo minus aliquid ex deglutiendis in aſperam arteriam illaberetur, ipſe epiglottidem contendit propterea a natura factam fuiſſe, vt deglutiendorum humidior pars hic detineretur et in aſperam arteriam deduceretur, ſolidiora autem, cum parte aliquota humidorum, ad ventriculum per œſophagum deciderent.

* *Sympoſiacon VII. cap. I.* quem locum iam ſupra *pag.* 310. integrum exhibui, meamque coniecturam expoſui, quo pacto integritati ſuæ reſtitui debeat. Illam egregie, ut quidem exiſtimo, confirmat locus deinde repertus, *de Stoicor. repugn. p. m.* 587. *ed. Gr. Froben.* vbi omnia in priori lobo fuſe dicta compendio paucarum linearum includit et Dioxippum noſtrum Ἱπποκράτειον vocat: vt adeo manifeſtum ſit ex hoc loco illum debere ſuppleri et Dioxippi nomen reponi. Mirum eſt quanta contentione hæc controuerſia inter veteres, vsque ad Plutarchi et Galeni ætatem agitata eſt: illo ſerio pro Platone depugnante: hoc conciliationem in eo quærente, vt humidorum aſſumtorum portionem δροσοειδῶς, *roris inſtar*, ad pulmones deſcendere non repugnaret.

VII. De praxi Dioxippi aliquid huic cum Apollonio commune GALENVS* commemorat ex Eraſiſtrato. Hic enim libro de febribus Dexippum et Apollonium accuſauerat, quod ægrotos ſuos ſiti enecarent, et aquam ridicula parſimonia admetirentur. Id vero Galenus

lenus dicit maligne ab Eraſiſtrato ſcriptum eſſe, vt per latus diſcipulorum præceptorem Hippocratem laceſſeret: de quo tamen comprobat ipſum humectantia in febribus, vbi conuenirent, non adeo parca manu, ſed plane liberali, obtuliſſe.

* *Commment. III. in de vict. acut. p.* 83.

VIII. De Apollonio, Hippocratis diſcipulo, quod afferam nihil habeo. Plurimi in medicina illuſtre nomen adepti ſunt Apollonii, de quibus ſuis locis et temporibus dicendi erit occaſio. Nunc commemoratione horum virorum defuncto commode afferre licebit Petronem, qui Galeno Πετρωνᾶς audit, et curatione febrium noua, maxime Hippocratis ſucceſſorum temporibus, et ante Herophilum ac Eraſiſtratum, inclaruit. De huius viri methodo omnium clariſſime CELSVS * noſter agit, tum vero etiam GALENVS ** illam attingit et monſtroſam declarat.

* *Libr. III. cap.* 9. En integra verba: *Neque, hercules, iſta curatio noua eſt, qua nunc quidam traditos ſibi ægrotos, qui ſub cautioribus medicis trahebantur, interdum contrariis remediis ſanant. Siquidem apud antiquos quoque ante Herophilum et Eraſiſtratum, maximeque poſt Hippocratem, fuit Petron quidam, qui febricitantem hominem vbi acceperat, multis veſtimentis operiebat, vt ſimul calorem ingentem ſitimque excitaret. Dein vbi paulum remitti cœperat febris, aquam frigidam potui dabat: ac ſi mouerat ſudorem, explicuiſſe ſe ægrum iudicabat: ſi non mouerat, plus etiam aquæ frigidæ ingerebat, et tum vomere cogebat. Si alterutro modo febre liberauerat, protinus ſuillam aſſam et vinum homini dabat. Si non liberauerat, decoquebat aquam ſale adiecto, eamque bibere cogebat, vt vomendo ventrem purgaret. Et intra hæc omnis eius medicina erat; eaque non minus grata fuit his, quos Hippocratis ſucceſſores non refecerant, quam nunc eſt his, quos Herophili vel Eraſiſtrati æmuli diu tractos non expedierunt. Neque ideo tamen non eſt temeraria iſta medicina, quia plures, ſi protinus a principiis excepit, interemit.*

** *Comment. de vict. acut. I. pag.* 40. 41.

VIIII.

VIIII. Plura de hoc Petrone apud veteres non inuenio. Nam ille Petronas, quem GALENVS* inter celeberrimos artis pharmaceuticæ auctores recenſet, videtur eſſe aliquis iunior, forteque idem, quem Dioſcorides in præfatione laudat, Aſclepiadæ Bithyni diſcipulus, de quo inferius erit agendi locus.

* *de compoſ. med. ſec. gen. lib. III. p. 357.*

X. Ante vero quam longius prouehamur, commode interſerendi ſunt duo medici clariſſimi, Diocles Caryſtius et Praxagoras Cous, poſt Hippocratem laudatiſſimi. De Diocle quidem, quum ſatis multa præclara veteres reliquerint, ad vitam tamen pertinentia omnino reticuerunt: vnde aliquis diſſenſus eruditorum, nec contemnendus ille, de ætate eius exſtitit. Suidam enim ſequuti ad Darii Hyſtaſpidis ætatem reiiciunt, adeoque Hippocrate antiquiorem faciunt: alii plus iuſto iuniorem et Antigono Gonatæ æqualem ſcripſerunt, qui centeſimo et decimo ſeptimo anno ab Hippocratis exceſſu viuis intereſſe deſiit.

XI. Mihi autem vero videtur ſimillimum, mox ab Hippocratis morte gloriam ipſius effloruiſſe. Perſuadet hoc CELSVS,* qui clarorum medicorum ſucceſſiones ita deſcribit: *poſt quem* (Hippocratem) *Diocles Caryſtius, deinde Praxagoras et Chryſippus, tum Herophilus et Eraſiſtratus, ſic artem hanc exercuerunt, vt etiam in diuerſas curandi vias proceſſerint.* Cum hoc bene concinit PLINIVS,** qui, cum de Hippocrate dixiſſet, Dioclis Caryſtii meminit, *qui ſecundus ætate famaque exſtitit*, deinde Praxagoram et Chryſippum, tum Eraſiſtratum et Herophilum ſubiicit.

* *Præfatione libri I.*

** *Libro XXVI. cap. 2.* Adde GALENVM *de diſſect. matr. pag. 213. Gr.* vbi aperte teſtatur Dioclem et Praxagoram μικρὸν ὕστερον Ἱπποκράτους γεγονέναι *exiguo tempore poſt Hippocratem vixiſſe.*

XII. Hanc

XII. Hanc ſeriem maxime turbari neceſſe eſt, ſi Dioclem noſtrum Antigono Gonatæ, et quidem iam ſeneſcenti, coæuum ſtatuamus, quum illius æuo Praxagoram et Chryſippum iam defloruiſſe, ex chronologiæ rationibus, colligamus, iamque ipſoſmet Herophilum Eraſiſtratumque valde ſenes fuiſſe neceſſe ſit, ſi non omnino iam viuere tum deſierunt. Neque valde meretur illa epiſtola, * cuius fide ad hanc ætatem refertur, vt magna ratio eius habeatur.

* Scilicet PAVLVS AEGINETA, ſcriptor ſaeculi VII. in fine libri primi exhibet epiſtolam quandam a Diocle ad Antigonum regem ſcriptam, conſeruandæ valetudinis præcepta continentem. Laudatur Rex ob amorem litterarum et eruditionem eximiam: dicitur, etiam ad ſenium iam perueniſſe. Hæc in nullum Antigonum, niſi Gonatam, ſatis recte quadrare aliquibus videntur, quem Muſarum patronum fuiſſe aliunde conſtat. Sed quadrant omnino etiam Antigono illi, qui Alexandro in parte aliqua Aſiæ ſucceſſit. Et quamuis huius μȣσοφιλία non adeo poſteritati commendata eſt, quam bellica ſtrenuitas et longæuitas: fieri tamen potuit vt vel illius documenta, in remotiſſimis regnis tunc notiſſima, apud exteros parum innoteſcerent, vel epiſtolæ auctor auribus monarchæ aliquid daret. Attamen, vt verum fatear, tota mihi epiſtola eſt νοθείας valde ſuſpecta. Non enim ſolum antiquorum nulli laudatur ante LARGIVM DESIGNATIANVM apud MARCELLVM, qui eam, tamquam ab Hippocrate ad Antigonum ſcriptam, Latine exhibet: verum etiam res ipſæ, antiquitatis genio vtcunque accommodatæ, grauitatem eam, quam vel ab Hippocrate Coo vel Diocle, altero Hippocrate, exſpectes, neutiquam oſtendunt. Quis enim credet auctorem non futilem breuem epiſtolam monarchæ ſcribentem, et ſeni et rerum mathematicarum gnariſſimo, opus exiſtimare vt eidem inculcet quot ſint dies a ſolſtitio ad æquinoctium, ab æquinoctio verno ad Vergiliarum exortum, hinc ad ſolſtitium æſtiuum, et ab hoc ad æquinoctium auctumnale? Certe videtur hoc bene conſideraſſe iam laudatus interpres vetus, qui in verſione minutias iſtiuſmodi diſſimulare voluiſſe videtur.

XIII. Quod vero ad merita Dioclis medica attinet, celebrari ipſum video ob ſtudium anatomicæ doctrinæ impenſum, ob pathologico-practicam ſollertiam, et ob chirurgicam non ſolum peritiam, verum etiam partis huius per inſtrumenta noua amplificationem: de quibus deinceps ordine exponam.

XIIII. Primum fuiſſe Dioclem Aſclepiadarum omnium, qui de anatomica adminiſtratione aliquid ſcriberet, GALENI* teſtimonio clarum eſt: qui idem ſignificat eius ſcriptis inſtitutionibus ante Dioclis tempora opus non fuiſſe, quum Aſclepiadæ olim nullos, niſi qui eſſent e familia, artem docerent, hi vero a teneris vnguiculis parentibus artis opera facientibus, adeoque etiam diſſecantibus, adſiſtendo ita rem illam perdiſcerent, vt æque difficile videretur illius obliuiſci, quam vel loqui vel legere aut ſcribere. Verum poſtquam coeperunt collegio alii etiam adſcribi, iique ad virilem ætatem iam perducti, natam fuiſſe neceſſitatem cogitandi de remedio quo id ſuppleretur et emendaretur quod inſtitutioni puerili defuerat.

* *de adminiſtr. anatom. libr. II.* ineunte.

XV. Sed idem GALENVS* Dioclis anatomica merita non parum eleuat, quando ipſum absque diſſimulatione rudibus anatomicis, et qui rem ſuperficiario ſtudio tractauerunt, accenſet his verbis: *Nihil mirum ſi Diocles aut Praxagoras, aut Philotimus, aut veterum ferme omnium quisquam hæc cum aliis, quæ ſunt in corpore, ignorauerunt; leuiori enim brachio et minus accurate res anatomicas tractauerunt, quare illorum ne rationem quidem habendam cenſeo.*

* *de diſſect. matric.* p. 212. ed. Baſ.

XVI. Hoc Dioclis ſcriptum anatomicum ſatis clare innuit ſe vidiſſe PLVTARCHVS,* ex eodemque affert, cur mulæ ſint ſteriles, rationem anatomicam, ſed ab

ab Empedocle, vt ipſemet ibi profitetur acceptam. Ex quo apparet, quod ſupra iam innuimus, philoſophos, et ſeorſim Italicos, Aſclepiadas ad naturæ ſtudium excitaſſe. Forte ex eodem libro deſumſit Dioclis ſententiam cur viri euadant, ſteriles, vbi inter plures rationes allegat paralyſin partium genitalium, et penis vitioſam incuruationem, qua fit vt ſemen non recta eiaculetur, denique etiam virilium organorum ad femineas partes ἀσυμμετρίαν. Neque minus notatu digna eſt ſententia, quam et Polybi et empiricorum fuiſſe teſtatur, poſſe etiam octauo menſe vitales partus naſci, multosque virilem ætatem conſequutos fuiſſe, qui hoc menſe fuerant in lucem editi.

* *de placitis philoſophorum lib. VI.* Adde, ſi placet, MACROBIVM *Somn. Scip. lib. I.* vbi multa referuntur Diocli noſtro cum Stratone Peripatetico communia, de obſeruatione periodi ſeptenariæ in fœtu, nato, et adoleſcente homine.

XVII. Pathologiæ Diocleæ etiam paſſim laudantur apud veteres ſpecimina. Modo citatus PLVTARCHVS refert ipſum docuiſſe, quod plurimi morbi enaſcantur ex inæqualitate principiorum ſeu elementorum corporis, indeque totius eius habitus et ſtatus orta alteratione. De febribus docuit, quod ſint omnes ſymptomaticæ ſeu ἐπιγεννήματα, aliisque læſionibus demum accedant. Argumentatus autem eſt ab iis, quæ in oculos incurrunt, ad ea, quæ magis ſunt abdita. Euidens autem eſſe, quod febres ſuperueniant vulneribus, inflammationibus, bubonibus.

XVIII. Sed amplum fragmentum nobis conſeruauit GALENVS * ex Dioclis libro, qui πάθος, αἰτία, θεραπεία, i. e. *de affectibus, eorundem cauſis et curationibus* inſcriptus fuit, quod agit de ſpecie quadam melancholiæ, quæ malum hypochondriacum et flatulentum vocatur, ex quo non obſcure elucet, quod in rationibus

affectuum dandis ad proportionem iuſtam et habitudinem elementarium qualitatum reſpexerit.

* *de locis affectis libr. III. pag.* 278. ed. Baſ. Gr. En vero illud integrum : *Eſt vero tertia etiam melancholiæ differentia , quae , ſicut aliquando comitialis morbus , a ventriculo originem ducit. Vocant eam aliqui medici hypochondriacum , alii flatulentum morbum Viſum autem fuit Dioclis potiſſimum verbis deſcribere ſymptomata ad huuc morbum conſtituendum conſpirantia ; ſunt autem ex libro , qui de affectibus , eorum cauſis et curatione inſcribitur, vbi hæc poſuit : Porro alius a ventriculo morbus oritur , a prioribus diuerſus. Aliqui melancholicum eum vocant, alii flatulentum. Aegro , vbi cibum adſumſit , præcipue coctu difficilem et ardores excitare aptum, eueniunt ſputationes humidæ copioſæ , ructus acidi, inflationes,præcordia æſtuant , fluctuationem percipiunt, non illico, ſed quando eructationes cohibent. Aliquando etiam ventris vehementes dolores percipiuntur , qui in nonnullis ſupra diaphragma excurrunt , et concoctis quidem cibis miteſcunt , quam primum vero cibum reſumunt, eodem modo affligunt : quin ſæpe etiam ieiunis, et poſt cœnam, moleſti exiſtuut. Quod ſi euomant, cruda et pituitam ſubamaram , calidam acidamue reiiciunt , vsque adeo vt et dentes inde ſtupore afficiantur. Et hæc in nonnullis admodum iuuenibus eueniunt, cuicunque autem accidunt diuturno tempore inhærent. Horum vero ſymptomatum hanc ætiologiam Diocles ſubiunxit : Intelligere autem oportet homines flatulentos nimio calore, venis illis , quæ alimentum a ventriculo ſuſcipiunt , incluſo , æſtuare, indeque ſanguinem ipſorum inſpiſſatum eſſe. Manifeſtum autem inde redditur, quod aliquid venis hiſce impactum hæreat, quoniam corpus nutritionem nullam aſſumit , ſed in ventriculo cruda manent , quæ aſſumuntur : quum antea* (in ſtatu ſano) *nutritiæ partes in hos meatus ſuſciperentur , et ad partes inferiores diſtribuerentur. Quod poſtridie etiam vomere ſolent , inde accidit, quoniam aſſumta ad inteſtina non deuoluuntur. Calorem autem præter naturam auctum eſſe , inde potiſſimum colligas, quod ad ſenſum æſtuant,et quod oblatis frigidis iuuantur. Talia enim calorem exſtinguunt,aut languidiorem reddunt. Pergit Diocles:Dicunt aliqui in hominibus talia perpetientibus os vertriculi illud , quod inteſtinis coniunctum eſt, inflammatione coripi, hacque obſtrui, ſicque tempeſti uum adſumtorum ad inteſtina deſcenſum impediri : quo facto neceſſe eſſe non ſolum vt ventriculus repletus maneat,verum etiam vt inflatio-*

nes,

nes, ardores, ceteraque ante expoſita, eueniant. Aliud non minus notatu dignum Dioclis fragmentum exhibet *de aliment. facult. I,* vbi diſputat aduerſus eos, qui alimentorum medicamentorumue vires a priori, vt dicere ſolemus, indicare, omniumque rationes reddere conantur, aut potius reddi poſſe et debere contendunt, quum tamen talia per experientiam diſcantur et addidiciſſe ſufficiat. Etiam ORIBASIVS *medic. collect. Lib. VIII. c. 22.* Dioclis doctrinas, de iis quæ ad vomitum valent, recenſet, vbi ea, quæ medicamenti vim habent, quæque efficacia ſunt, adhibere vetat, vti vero iubet familiaribus et præſertim quæ conſuetæ victus rationis ſunt, cuius generis nonnulla recenſet. Non tamen ſatis clarum eſt an illo loco de omni vomitu agat, an tantum de diætetico.

XVIIII. CELSVS* refert Dioclem tenuioris inteſtini morbum chordapſum, plenioris ileon nominauiſſe: quum tamen alii illum priorem ileon, hunc colicam vocauerint, quod etiam noſtro æuo obtinet. Praxeos Diocleæ ſpecimina conſeruauit CAELIVS AVRELIANVS, ex quibus colligimus eum in hac parte ab Hippocrate parum fuiſſe diuerſum. Forte primus fuit, qui in paſſione iliaca globulos plumbeos deglutire iuſſit.

* *Lib. III. cap. 13.* Eiusdem meminit, vbi de ictero agit, *libr. III. cap. 24.*

XX. Chirurgiam quoque Dioclem exercuiſſe, minime dubitare nos ſinunt vetuſtorum auctorum monumenta. Nam CELSVS* noſter ipſum, cum Hippocrate et Philotimo aliisque, adducit ad confirmandum quod femur luxatum reponi et ex toto reſtitui poſſit: idemque auctor, vbi de telis e corpore extrahendis agit,** commendat *ferramenti quoddam genus, quod Diocleum graphiſcum Græci vocant, quoniam auctorem Dioclem habet, quem inter priſcos maximosque medicos fuiſſe* aſſerit. Eius deſcriptionem auctor poſuit, apud quem relegatur.

* *Libr. VIII. cap. XX.*

** *Libr. VII. cap. 5.* Id inſtrumentum non ſolum recentiſſimi editores Celſi, verum iam *Henr. Stephanus* et *Rob. Conſtantinus* in ſuis editionibus vocant, ut ſupra ſcripſi, graphiſcum. Sed illa editio, quam *Philippus Pinzi* ſumtibus *Benedicti Fontanæ* cIↄ. cccc. xcvii. Venetiis excudit, legit, *quod Diocris Græci belulcum vocant*: manifeſtumque eſt bis in ea ſcriptura erratum eſſe, legique debere *Dioclis belulcum* (βελουλκόν.) Vnde vero graphiſcus deſumtus ſit, fateor me nondum inuenire: de antiqua vero editione non dubito quin illa in ſcriptis codicibus nomen hoc ita inuenerit: plane enim nullum apparet veſtigium quod ſuſpicionem faciat de editore, qui ſibi in Græcis vocibus tentandis quicquam arrogauerit. IO. GORRAEVS in *definitionibus medicis* ſub belulci et graphiſci nomine idem deſcribit.

XXI. Non pauca Dioclem noſtrum ſcripſiſſe, apparet ex frequentibus allegationibus apud vetuſtos auctores obuiis. Conſulatur celeberrimus D. D. FABRICIVS.* Ad noſtram ætatem, præter ſupra indicatam epiſtolam, eamque dubiæ genuinitatis, omnino nihil peruenit. Fragmenta autem non omnino contemnenda ORIBASIVS conſeruauit. Inter hæc notabile illud eſt de alimentorum præparatione,** ex quo apparet Dioclem ſe non indignam occupationem exiſtimaſſe, ſi præſcriberet ciborum recte parandorum, et condiendorum, rationes. Finem in eo duplicem habendum profitetur, bonam valetudinem et iucunditatem. Condimenta laudat rutam, cuminum, coriandrum, origanum, ſatureiam, thymum, ſalem, acetum et oleum: porro caſeum et ſilphium ac ſeſamum. En ſimplicitatem Græciæ priſcæ, ante quam commercia per Alexandriam faciliora reddita aromatibus exoticis eam obruerent.

* *Biblioth. Græcæ Volum. XII. pag. 584. 585.*

** ORIBASIVS *medic. collect. IIII. cap. 3.*

XXII. Ceterum ad laudem Dioclis hoc maxime pertinet, quod, teſte GALENO, medicinam haud lucri cupiditate, emolumentorumque deſiderio exercuerit, ſed in facienda illa, pariter vt Hippocrates,* hominum vtilitates liberaliter ſpectauerit.

* Quod ſi de Hippocrate id certa ſcientia cognitum Galenus habuit, oportet non genuinum eſſe librum, qui *Præceptiones* inſcribitur, et ad Hippocratem auctorem refertur. Illius enim §. 4. præcipit de ſoſtro ſtatim ab initio curationis paciſcendo, huiusque cautionis vtilitatem oſtendit. Attamen et gratis aliquando operam, indigentibus et peregrinis, nauare pulcre præcipit, et medico φιλανθρωπίαν commendat.

XXIII. Progrediemur nunc ad Praxagoram Nicarchi* filium, patria Coum, ex Aſclepiadarum familia vltimum artis eximia gloria celebrium. Hunc Diocli coæuum, ambos autem Hippocratem proxime inſequutos fuiſſe, iam ſupra indicaui. De vita et geſtis eius, quod referam, apud veteres nihil inueni: quare de meritis, dogmatibus et diſcipulis, ea, quæ comperta habeo, exponam.

* binis locis GALENVS patrem hunc denominat, ſine dubio etiam medicum: ſcilicet *de diſſect. matric. p.* 213. *et de facult. natural. II.* prope finem.

XXIIII. Anatomicis ipſum ſtudiis occupatum fuiſſe, ita tamen vt rudimenta primorum conatuum non multum ſuperauerit, ex teſtimonio GALENI ſupra adducto patet: in hoc tamen felix quod Herophilum diſcipulum habuit, qui præceptoris doctrinam et diligentiam, felicioribus temporibus adiutus, longe ſuperauit.

XXV. GALENVS* noſtrum citat, ad declarandum quid veteres dixerint cotyledones, nimirum vaſorum ad vteri ſuperficiem internam pertingentium oſcula: cui

deſcri-

deſcriptioni Galenus addit pro illuſtratione, quod ſimilia illa ſint cotyledoniformibus exſtantiis, quæ vaſis hæmorrhoidalibus in inteſtino recto ſolent accidere.

* *de diſſect. matr.* l. c.

XXVI. Principale ipſius dogma, quo et aliis inſequutis præluxit, fuit illud, quod in arteriis ſanguinem naturaliter contineri negauit; quod teſtatur GALENVS,* et ſimul miratur, qui potuerit idem docere, ex pulſu ſanguinis ſtatum cognoſci debere. Inde vero colligimus, quod ab hoc tempore cœptum ſit inter arterias venasque in medicorum ſcholis diſtingui: quum Hippocrates vtrumque genus vaſorum vno nomine complectatur.

* *de dignot. pulſuum libr. IV. p.* 81. *Gr.*

XXVII. De arteriis autem docuit,* quod propria et connata ſibi facultate pulſifica, non minus ac cor ipſum, gaudeant: et quod illa cordis pulſatio a palpitatione, tremore et ſpaſmo, non genere, ſed magnitudine tantum, differat. Naturaliter autem conſtituto corde pulſum edi: quo præter naturam intenſo auctoque primo ſpaſmum accidere, deinde tremorem, tandem palpitationem.

* teſte GALENO *de different. pulſ. IV. pag.* 42. et 45 Gr. Sed forte cum hoc teſtimonio non adeo facile conciliabitur aliud, quod circa finem libelli, *an ſanguis in arteriis natura contineatur*, his verbis legitur: *non fertur, ſed trahitur ſpiritus in arterias; nec a corde ſolo, ſed vndiquaque, ſicut Herophilo placet, et ante hunc Praxagoræ, Philotimo, Diocli, Pliſtonico, Hippocrati et aliis ſexcentis. Vim tamen, quæ arterias extendit, a corde, ceu fonte quodam, manare -- ab omnibus antedictis viris conceſſum eſt.*

XXVIII. Cum Ariſtotele communem ſententiam fouit, neruos a corde originem ducere, de quo inferius diſpiciemus. Venæ cauæ nomen, teſte RVFO

EPHE-

EPHESIO,* impoſuit iſti canali, qui a iecore ad renes tendit, inque ea initium eſſe febrium affirmauit. Eodem auctore diſcimus Praxagoram peculiari quodam modo ſuccos corporis noſtri nominauiſſe. Recenſet autem γλυκὺν, *dulcem*, ἰσόκρατον, *æqualiter temperatum* ὑαλοειδῆ, *vitreum*, ὀξὺν *acidum*, νιτρώδη, *nitroſum*, ἁλυκὸν *ſalſum*, πικρὸν, *amarum*, πρασοειδῆ, *porraceum*, λεκυθώδη, *vitellinum*, ξυστικὸν, *vellicatorium*, στάσιμον, *ſtabilem*, *ſeu fixum*, *quod in venis inhæreat*, *neque in carnes permeet*.

* *de appell. corp. hum. lib. I. cap.* 33. et 36. Neſcio autem an ſatis integer ſit hic Rufi locus, quoniam vndecim humorum nomina refert, quum GALENVS *de facult. nat. II.* circa finem, commemoret, Praxagoram decem humores, omiſſo ſanguine, enumeraſſe, quo addito vndecim omnino exſurgant. Apparet autem, ni fallor, Praxagoram in eo antiquitatis tenacem fuiſſe, quod ſanitatis morborumque cauſas potius ex fluidis quam ſolidis deducere conatus eſt, quem quidem morem omnes deinceps medici, donec methodicorum ſecta exorta eſt, tenuerunt.

XXVIIII. Crebra praxeos ſpecimina de noſtro Praxagora refert paſſim Cælius Aurelianus. Ex his notatu digna videtur audax, aut potius proterua chirurgia, quam propoſuit in paſſione iliaca. Scilicet vomitoriis medicinis nihil omnino proficientibus, ſuaſit ventrem pubetenus diuidere, diuidere etiam inteſtinum, detractoque ſtercore iterum conſuere. Hanc audaciam nonnulli, vt obſeruationes* fidem faciunt, hactenus imitati ſunt, vt abdomine aperto, manuum ope ingreſſus et complicationes inteſtinorum explicarent et expedirent, hocque facto abdomen conſuerent.

* Vide BONETVM *in ſepulchreto Tom. II. pag.* 228.

XXX. Scripta Praxagoræ omnia diu iam ſunt perdita. Sed diſcipulorum clariſſima celebrantur nomina, Philotimus, Pliſtonicus, et omnium facile nobiliſſi-

mus Herophilus, de quibus deinceps agendum nobis erit.

XXXI. Philotimus quod Praxagoræ auditor et Herophili commilito fuerit, GALENI * teſtimonio certum eſt. A CELSO noſtro ** inter claros admodum auctores refertur. Inter anatomicos rudiores GALENI*** iudicio reponitur, inque eo comparatur Diocli et præceptori ſuo Praxagoræ. Nec forte iniuſtum facile Galenum in hoc aliquis dixerit, qui conſiderauerit apertam illam aſſertionem Philotimi, quod cerebrum ſit inutile. Scripta iam olim deſiderari cœperunt.

* *method. medend. lib. I. p.* 38. Gr.

** *Libr. VIII. cap.* 20. vbi refertur inter illos, qui perhibuerunt femur non ſolum reponi, verum etiam ex toto reſtitui ſic poſſe, vt ne rurſus excidat: quam controuerſiam antiquam eſſe ſupra intelleximus.

*** *de diſſect. matric. p.* 212. adde *de vſu part. libr. VIII. pag.* 453.

XXXII. Pliſtonicum Praxagoræ diſcipulum fuiſſe locupletem teſtem habemus CELSVM, * quo auctore diſcimus, quod cibos in ventriculo non concoctionem ſubire, ſed putreſcere docuerit. GALENVS ** ipſum paſſim laudat, ſeorſimque teſtatur, quod de ſpiritu conſentanea Herophilo docuerit, de cetero autem dogmata priſtina conſeruauerit.

* *præf. libr. I.* Neſcio quam longe ab hac ſententia remotus Philotimus fuerit. Certe ſi non putreſcere alimentum ſtatuit, fermentationem in eo fieri, bullaſque excitari docuit, vt apparet ex ORIBASII *medic. collect. Lib. V. cap. XXXII.* In quo quantum a Platonico-Timæanis dogmatibus receſſerit alii inquirant.

** Locum adſcripſi §. XXVII. adde *meth. med. I. p.* 38.

XXXIII. Et ſane Pliſtonicum noſtrum, vt et modo dictos, Philotimum ac Dioclem, antiquitatem tenuiſſe vel ellebori exemplo diſcere licet, cuius vſui hos viros, vt et Dieuchen, de quo mox dicemus, valde ſtuduiſſe ex

ex ORIBASIO* elucet. Quippe inuenerunt laudati viri diuerſos modos, quibus hoc purgans vel mitius redderetur, vel externo vſu effectum ſuum ederet.

* *Medicin. Collect. Lib. VII. cap. vltimo.* Manifeſtum autem eſt ex antiquo quodam auctore ibi referri, ſiue is RVFVS eſt, ſiue alius quicunque. Ita autem ſcribit: *veteres veratri admotu atque odoratu purgare ſunt conati. E quorum numero eſt Pliſtonicus. Hic enim glandes aliter atque aliter ex elleboro conficiens ano appoſuit et vomitus exciuit. Paſſo eum componens et diluens vna cum felle bubulo, odorandum iis dedit, quibus neque mucus e naſo, neque ſputum poſſet procedere, ratus, id quod erat, fore vt vomitus facile prouocarentur, ac magis etiam ſi quis eo diutius vteretur. Diocles vero anum quoque elleboro inſtar emplaſtri circumdedit. -- Memini etiam Philotimum, vbi mitiore purgatione opus eſſet, poſt cœnam non dare, ſed elleborum raphanis impingere ſolitum, et ſequenti die raphanos præbuiſſe. Ita enim concitatiſſime homo vomet, id quod minus ex elleboro faciet.*

XXXIIII. Herophilum, Praxagoræ celeberrimum diſcipulum, quique arti plurimum emolumenti attulit, nec minorem præceptori gloriam peperit, ſuo loco reſeruamus: nunc Herophilo ſeniores aliquos medicos, aut ſaltem coæuos, interſerere viſum eſt, hisque abſolutis ad Chryſippum Cnidium, eiusdemque diſcipulos, pedem promouebimus. Sunt autem, de quibus dicere debebimus, Eudemus, Mneſitheus, Dieuches et Antigenes. Et Antigenem quidem non aliunde notum habemus, quam quod GALENVS* ipſum inter plures alios rudiores anatomicos, Herophilo et Eudemo ſuperiores, recenſet: vnde de ætate ſatis certus, vel nomen eius referre volui. Alius fuit Antigenes, ab hoc, vt credo, diuerſus, Cleophanti diſcipulus, qui ſub Ptolemæo Euergeta vixit, de quo ſuo loco diſpiciam.

* *Comment. II. in de natura human. pag.* 22. Gr. Sermo ibi eſt de quatuor venarum paribus ex capite prodeuntibus, ſecundum textum quendam Hippocratis libris interſertum, ſed a Gale-

no aliisque reprobatum : de quo nos ſupra p. 224. diximus. Nubem ibi teſtium Galenus adducit, quibus, quum Hippocratis æuo proximi eſſent, illa quatuor venarum paria omnino fuerunt ignota, hosque inter Antigenes noſter comparet.

XXXV. Eudemus fere vbique Herophilo iungitur, quoties de anatomes melius et ſubtilius cultæ auctoribus apud GALENVM* ſermo eſt. Seorſim ipſi in acceptis refertur, quod de cerebro et neruis ** longe vtiliora et præclariora, quam quiſquam ante ipſum, prodiderit: omninoque exiſtimat poſt Eudemum et Herophilum nulla anatomicæ diſciplinæ incrementa fuiſſe. Præcipue autem pulcrum eſt, quod ipſe et Herophilus ad glandulas animum accuratius appulerunt; quum alias quidem exiſtimarent tantum vaſorum fulciendorum gratia a natura factas eſſe, quasdam autem fluidi cuiusdam humectantis cauſa. In hoc ſermone GALENVS *** manifeſte prodit his duumuiris glandulas ſaliuales eorumque excretorios ductus, forte etiam pancreaticum, minime ignotos fuiſſe.

* vt loco modo adducto: nec non *de dogmatib. Hippocr. et Plat.* pag. 318.

** GALENVS *de locis affectis III. pag.* 282.

*** Locus eſt notatu digniſſimus, in fine *Libr. II. de ſemine* p. 246. Gr. et ſic fere habet: *ex glandulis radici linguæ adiacentibus ſaliua venit. Inteſtina autem ſubeunt tum illa, quæ ex ventriculo dimiſſa ſunt, tum vero etiam ex hepate fluidum bilioſum, et mox ex aliis glandulis ibidem collocatis, fluidum quoddam lubricum inſtar ſaliuæ: deque his glandulis non modica diſceptatio, inde ab Herophili et Eudemi temporibus inter anatomicos fuit.* Et paulo inferius ſic ait: *quod vero glandulæ ſaliuam generantes ductibus in ſenſus incurrentibus eam ad os deferant, prope nulli amplius eſt dubium.* Neſcio autem annon pancreas eiusque ductus ſatis clare innuantur, quando in præcedenti loco, poſt bilis mentionem immediate ſubſequuntur glandulæ ibidem collocatæ, fluidum inſtar ſaliuæ fundentes et in inteſtina exonerantes.

XXXVI.

XXXVI. Vbi vero præclarus hic vir vixerit, quibusque ſubſidiis vſus ſit, de eo nihil certi me adferre poſſe doleo. Fere inducor vt ſuſpicer ipſum in Aegypto vixiſſe, ibique eadem libertate, qua Herophilus et Eraſiſtratus, anatomiæ operam nauaſſe. Citatur alias apud ARISTOPHANEM* et THEOPHRASTVM** Eudemus quidam pharmacopola: ſed hunc noſtrum eſſe uix mihi perſuaſerim.

* in Pluto v. 885. ad quem locum ſcholiaſtes annotat ipſum fuiſſe pharmacopolam et philoſophum. Vendidiſſe eum annulos arcanæ virtutis (τετελεσμένους δακτυλίους) aduerſus dæmones, ſerpentes et id genus alia. Celeberrimus D.D. FABRICIVS *bibl. Gr. Vol. XIII. p.* 156. locum integrum Græce exhibet, et mauult legere δήγματα, *morſus*, quam δαίμονα.

** *hiſtor. plant. lib. IX. cap.* 18.

XXXVII. De Mneſitheo GALENVS aliique paſſim teſtantur, quod præſtantiſſimus et dogmaticus medicus fuerit, teſtimoniisque ipſius haud raro vtuntur. Aetatem eius GALENVS* ſatis clare indicat, quando ipſum cum Diocle, Praxagora et Philotimo vixiſſe docet.

* *meth. medend. I. p. 38. et comment. in de nat. human. II. p.* 22.

XXXVIII. Quum vero duos fuiſſe huius nominis medicos certum ſit, alterum Athenienſem, alterum Cyzicenum: non ſatis clarum videtur ad quem referri de Mneſitheo apud Galenum, quantum memini tantum non ſemper* ſine patriæ nota poſitum, dicta debeamus. ORIBASIVS ambos, aliquando diſtincte, ſæpe vero etiam ſatis vage allegat. Videtur autem Athenienſem hunc vetuſtum et celebriorem fuiſſe, quippe cui PAVSANIAS** teſtis eſt, quod in medicina excelluerit. Athenienſem hunc de eduliis, ſeu facultatibus alimentorum ſcripſiſſe ex ORIBASIO clarum eſt, quippe qui fra-

gmentum aliquod ipſius adfert: *** et ATHENAEVS ſubinde libros eius argumenti laudat. Sed idem Oribaſius ex Mneſithei Cyziceni libris adfert longum fragmentum de braſſica rite apparanda: vbi id genus edulii multis laudibus effertur, modusque oſtenditur, vt hoc vno edulio, diu ſatis continuato, multi graues morbi vinci poſſint.

* Vnicus mihi locus obtigit, vbi patriæ notam Galenus ipſi apposuit, et honorificum encomium tribuit: *plenius de hoc ſcripſerunt qui Hippocrate poſteriores fuere, et eius ſcripta bene intellexerunt. Horum vnus fuit etiam Mneſitheus Athenienſis vir in reliquis ad artem pertinentibus abunde doctus, tum vero qua methodo ars exercenda ſit nemini peritia ſecundus. de arte curat. ad Glaucon. p.* 297.

** *Medicin. collect.* Lib. II. cap. 67. Titulum libro iſti fuiſſe περὶ ἐδεσμάτων GALENVS docet *de aliment. facult. II.* p. 334. vbi pariter fragmentum quoddam ex eo adducitur.

*** Ibid. *Libr. IV. cap.* 4.

XXXVIIII. Neſcio cuius Mneſithei ſit illud apud ORIBASIVM*, quo ellebori vſum ſuſpectum reddit, nec adhibere ſuadet, niſi in illis, qui ſe tuta curatione alia reſtitui non poſſe putant. Itemque aliud apud eundem fragmentum, quo de clyſteribus recte applicandis ample agitur.**

* *Ibid. Libr. VIII. cap.* 9. ** *Eodem cap.* XXXVIII.

XXXX. Dieuchen ex eadem ratione, qua Eudemum et Mneſitheum, huc pono. De patria et vita eius nihil apud veteres reperire mihi licuit. Sæpe ipſum PLINIVS, GALENVS, ORIBASIVS et ATHENAEVS citant, ſed fere tantum in illo argumento, quo de alimentorum facultatibus et præparatione agitur. PLINIO * auctore braſſicæ laudes peculiari libro proſequutus eſt. Longe plures hic poſſem ſubiungere huius æui medicos, quorum in hiſtoria Alexandri fit mentio: verum hos ſequenti capiti, vbi de Alexandro ipſo dicendum eſt, reſeruaui, vt tandem

tandem aliquando ad Chryſippum Cnidium, eiusque diſcipulos, progredi liceat.

* *Hiſt. nat. Lib. XX.* 9.

XXXXI. Chryſippi etiam Cnidii hiſtoria haud parum multis difficultatibus preſſa eſt, quoniam idem nomen multi geſſerunt, et iam olim inter ſe confuſi ſunt. Nam centum fere annis poſt noſtrum floruit Chryſippus quidam Solenſis, philoſophus ſtoicus, idemque polyhiſtor, qui non pauca phyſica et medicinam contingentia, plurima ad dialecticam et philoſophiam pertinentia, pluribus quam ſeptingentis voluminibus, ſcripſit. Quumque GALENVS aliique veteres vtriusque fere ſine adiectione diſerta patriæ meminerint: factum eſt vt iam olim multa, quæ philoſopho debentur, medico tributa ſint. Dabo tamen operam, vt doctiſſimorum virorum IONSII et D. D. FABRICII monitis vſus, de noſtro ea referam, quæ ipſi ſoli debentur.

XXXXII. Chryſippum noſtrum patria Cnidium fuiſſe, Erinei filium, et in philoſophia Eudoxum Cnidium, Pythagoræ addictum, audiuiſſe, cum eo etiam Aegyptum adiiſſe, in medicis autem Philiſtioni Siculo operam dediſſe ex DIOGENE LAERTIO * clare conſtat. Nec vllam video rationem cur hæc ad alium Chryſippum trahere velimus, quum Pythagoricæ doctrinæ, in iuuentute hauſtæ, veſtigia et ſpecimina clariſſima in ipſo, eiusque diſcipulo Eraſiſtrato, inueniamus. Ad vitam eius pertinentia præter dicta inuenire nihil licuit, præter id vnicum, quod filium cognominem medicum reliquerit, Ptolemæi regis aulæ inſeruientem: ſed calumniis circumuentum, vt regis iuſſu flagellis cæderetur, tandemque vltimo ſupplicio afficeretur.

* *de vitis philoſop. libr.* VIII. Adde, quæ de Eudoxo *pag.* 312. diximus.

XXXXIII.

XXXXIII. Hunc vero Chryſippum priſcæ ſcholæ medicæ placita ingenti garrulitate mutauiſſe, auctor eſt PLINIVS.* Facile conſentio D. D. CLERICO exiſtimanti illam magnæ garrulitatis obiectionem errori Plinii imputandam eſſe, qui Chryppum Solenſem, philoſophum Stoicum in animo forte habuit, cuius polygraphia apud omnes eſt decantatiſſima. Sed mutationes in medicina ſuſceptæ potiſſimæ ſunt, quod purgantia proſcripſit et venæſectionem: quæ cauſa fuit vt GALENVS ipſum multis locis, vbi Eraſiſtrateos impugnat, tamquam dogmatum horum auctorem, perſtringat.

* *Hiſtor. natur.* XXIV. 1.

XXXXIIII. Quibus argumentis hæc conſeruandæ et reparandæ ſanitatis præſidia ſuſtulerit, poſtquam ſcripta diu interciderunt, ignoratur. Si vero coniecturis locus eſt, purgantium fugam ab Aegyptiis didicit, ad quos vna cum Eudoxo, adhuc ſtante priſtina Aegypti republica, profectus eſt. Certe de Aegyptiis conſtat, et ſupra vidimus, quod medicinas periculo aliquo dandas et accipiendas abhorruerint. Quod vero ad alterum dogma, de ſanguine non mittendo, pertinet; neſcio annon iure id tribui Pythagoreæ ſcholae poſſit: quippe hæc, de anima in ſanguine ſubſiſtente per Iudæos, et forte plures orientis populos, edocta, procliuem viam ad dogma illud, quod ſanguini parcere iubet, ſtrauiſſe videtur. Et quod eadem potius diæta quam pharmacis vſa ſit, omnium autem minime ad ſecandum vrendumque venerit, ſuperius* iam indicauimus.

* *pag.* 170. §. 23.

XXXXV. Vnicum ſpecimen Chryſippeæ praxeos ex Eraſiſtrato commemorat GALENVS.* Scilicet homini ſanguinem ſpuenti membra vinculis circumdedit: quod Eraſiſtratus prudentius factum iudicauit, quam ſi

ſanguis

ſanguis fuiſſet e vena miſſus. A PLINIO** celebratur inter primores medicos, qui regni vegetabilis remedia propoſuerunt. Idem auctor laudat*** Chryſippi integrum volumen, quod braſſicæ dicauit, per ſingula hominis membra digeſtum; eodemque loco commemorat, quod braſſica ab aliis, ante omnes autem a Pythagora, non parcius fuerit celebrata.

* *de V. S. aduerſus Eraſiſtrateos.*

** *Hiſt. nat. Lib. XXVI,* 2. *** *Libr. XX. c.* 9.

XXXXVI. Non defuerunt Chryſippo aſſeclæ et diſcipuli: quos inter Eraſiſtratus facile principatum tulit, a quo deinceps ſectæ nomen inditum et propagatum eſt. De quo quum dicere ſuo loco ſeorſim velim; hic ſubnectam reliquos Chryſippi diſcipulos famam et nomen conſequutos.

XXXXVII. Horum, tamquam maxime genuinos, GALENVS* plerumque coniungit Medium et Ariſtogenem. Medius Eraſiſtrati matris Cretoxenæ frater erat, teſte SVIDA.** Apud PLINIVM *** citatur ad virtutes raphani comprobandas. Forte etiam ad noſtrum pertinet illud malagma, quod CELSVS **** ſub nomine Medi affert.

* *de V. S. aduerſ. Eraſiſtrat.* p. 8. et *de curat. per* V. S. p. 17.

** in voce *Eraſiſtratus*. Sed Suidæ relatio non facile conciliatur cum Sexto Empirico, cuius locum conſiderabimus, vbi de Eraſiſtrato agemus.

*** *Libr. XXX. cap.* 4.

**** *Libr. V. cap.* 18.

XXXXVIII. Ariſtogenem fuiſſe Gnidium SVIDAS tradit, et Chryſippi ſeruum ac diſcipulum, ex curatione Antigoni Gonatæ magnam famam conſequutum. A GALENO ipſum tamquam maxime genuinum Chryſippeum citari, modo dictum eſt. Forte hic noſter eſt, de quo CELSVS* refert, *non ignobilis medicus*,

Chryſippi diſcipulus, apud Antigonum regem, qui amicum quendam eius notæ intemperantiæ, mediocriter hydropico morbo implicitum, negauit poſſe ſanari. Cumque alter medicus Epirotes Philippus ſanaturum polliceretur, reſpondit illum ad morbum ægri reſpicere, ſe ad animum. Neque eum res fefellit. Ille enim cum ſumma diligentia, non medici tantummodo, ſed etiam regis, cuſtodiretur, tamen malagmata ſua deuorando, bibendoque ſuam vrinam, in exitium ſeſe præcipitauit.

* Libr. III. cap. XXI.

XXXXVIIII. Tandem Metrodorus non omittendus eſt, cuius notitiam præbet SEXTVS EMPIRICVS,* qui de ipſo duo hæc refert, quod Pythiadem, Ariſtotelis filiam, in matrimonio habuerit, et quod Eraſiſtrati præceptor fuerit.

* *contra mathem. lib. I. pag.* 271. edit. a CL. D. D. FABRICIO procuratæ.

CAP. II.

De philoſophis huius temporis, qui medicinæ inſeruierunt: et, occaſione ſic ferente, de medicis, qui in Alexandri magni hiſtoria occurrunt.

CONSPECTVS.

Dicendorum ordinis ratio. I.
Ariſtotelis patria, parentes et adoleſcentia. II.
Studia ante quam in aulam vocabatur. III.
Alexandrum inſtituit. IIII.
medicinæ amore inflammauit. V.
et naturæ ſtudioſum reddidit. VI.
Anatomica tractauit. VII.
de eius hiſtoria animalium, et ſubſidiis ad illam. VIII. VIIII.
Quæ forte maiora prædicantur, quam fuerunt. X.
digreſſio ad bibliothecam Ariſtotelis anatomicam. XI.
Quæritur an homines inciderit. XII.
Specimina anatomica: ex capite. XIII.
ex thorace. XIIII. XV.
phyſiologiæ ſpecimina de partu octimeſtri. XVI.

de

de conceptione et formatione fœtus. XVII.
de nutritione et vmbilico. XVIII.
ſcripſit medicinalia: problemata medica. XIX.
Ferunt ipſum fuiſſe chemicum. XX.
Fata Ariſtotelis poſt exceſſum ab aula, et an mortis cauſa Alexandro fuerit. XXI.
Alexandri facta medicinæ auſpicata. XXII. XXIII.
an aloen primus Europæ intulerit. XXIV.
Græcam medicinam per ſubiugatas gentes propagauit. XXVI.
De Ptolemæo Lagi, Ariſtotelis diſcipulo. XXVII.
deque eiusdem ſummis meritis. XXVIII.
De Calliſthene Olynthio. XXVIIII-XXXI.
de Theophraſto Ereſio. XXXII-XXXIIII.
Obiter de Thraſya Mantinenſi et Alexiade. XXXV.
de Philippo Acarnane ſ. Epirota. XXXVI.
de Critodemo Coo. XXXVII.
de Glaucia. XXXVIII.
de Alexippo. XXXVIIII.
de Pauſania. XXXX.

I.

Proximum nunc videri poterat, vt de Herophilo et Eraſiſtrato exponeremus: at vero quoniam dicendorum non pauca ſunt, quæ recte diiudicari, niſi præmiſſo ſermone de Ariſtotele, eiusque ſummo diſcipulo Alexandro M. vix poterunt: malui de ipſis prius abſoluere, eorumque occaſione de pluribus eo pertinentibus exponere.

II. Ariſtoteli patria obtigit Stagira, vrbs Thraciæ, extra antiquos hominum Græca lingua vtentium fines ſita, ſed a Græcis exſtructa et habitata. De patre Nicomacho, regis Macedonum Amyntæ II. medico, ſupra* diximus. Ferunt autem natum ipſum fuiſſe olympiadis nonæ anno primo: quod ſi verum eſt viginti et ſeptem annos cum Hippocrate vixit, potuiſſetque ab illius inſtitutione fructum capere, niſi ipſum philoſophiæ tunc maxime celebratum ſtudium magis ad ſe traxiſſet. Minime tamen dubitandum eſt ipſum prima ætate ſua a patre multa ad medicam artem pertinentia addidiciſſe: ſal-

tem amorem medicinæ eundem continuo fouiſſe, et in alios propagaſſe, deinceps intelligemus.

* conf. *pag.* 313.

III. Decem et octo annos natus, et nuper patre orbatus, ad Platonem audiendum Athenas mittebatur, cui per integros viginti annos ſedulam operam nauauit. Præceptore mortuo Athenas reliquit, et in Aſia tres annos, partim apud Atarnenſium regulum ſibi affinem, partim apud Mitylenæos exegit, donec a Philippo Macedonum rege euocabatur vt Alexandri filii, tunc decimum quartum ætatis annum agentis, educationi præeſſet.

IIII. Octo annis in Macedonia apud Alexandrum exegit, plurimo quidem tempore ab aulæ ſtrepitu remotus, in celeberrimo ad Miezam nymphæo, vt PLVTARCHVS* auctor eſt. Quibus occupationibus maxime deditus fuerit, a veteribus prætermiſſum eſt: id vero non iniuſte colligimus, ipſum, inter alia vitæ vtilia, principi ſuo multa ad naturæ vniuerſæ cognitionem, ſeorſim vero ad medicinam, pertinentia tradidiſſe.

* in *vita Alexandri.*

V. Ne fruſtra id credere videar, ex PLVTARCHO, qui vitam Alexandri ſummo ſtudio nec minori iudicio deſcripſit, hæc adferam: *Ego quidem arbitror Ariſtotelem præ ceteris inflammaſſe Alexandri animum rei medicæ amore. Non enim ſolum ſcientia eius delectabatur, verum ſubinde etiam periclitantibus amicis curationem viuendique regulas præſcripſit, cuius rei teſtes habemus ab eo exaratas epiſtolas.* Alibi idem Auctor huius rei ſpecimen adfert, ex quo apparet Alexandrum in amici corpore inſtituendum elleboriſmum dirigere, cautelasque medico præſcribere, haud grauatum fuiſſe.

VI. Præ-

VI. Præterea Alexandrum Ariſtoteles rerum naturæ curioſiori ſcrutinio adſuefecit, iterum teſte PLVTARCHO, qui quum ſpecimen phyſicæ curioſitatis attuliſſet, ita ſubdit: *innatus ſapientiæ amor, qui, educationis beneficio confirmatus, vna cum ipſo adoleuerat, numquam animo eius effluxit.* Veroque ſimile eſt, etiam ſi veterum diſertis teſtimoniis deſtituor, Alexandrum ab Ariſtotele tunc etiam a corporum animalium diſſectionem fuiſſe deductum: idque negotium tractanti commodiſſimam fuiſſe illam, in qua plurimum cum principe commorabatur, Miezam, villam ſcilicet regiam a vulgi frequentia remotiorem et tranquillo otio maxime idoneam.

VII. Ariſtotelem certe diſſectionibus occupatum fuiſſe, et longo vſu aliquid in arte hac conſequutum eſſe, GALENO* credere licet, cuius elogio optimis anatomicis annumeratur, et cum Herophilo confertur. DIOGENES etiam LAERTIVS** teſtatur ipſum ἀνατομῶν octo libros ſcripſiſſe, et inſuper ἐκλογὴν ἀνατομῶν, *ſelecta anatomica*, vno libro, quem forte non iniuria octo illorum librorum compendium exhibuiſſe exiſtimauerimus. Hisque anatomicis libris pictas figuras fuiſſe adiectas ex Ariſtotelis ipſius*** ad τὰ παραδείγματα, τὴν διαγραφὴν, τὰ σχήματα crebris remiſſionibus intelligitur.

* *de diſſect. matric. p.* 212.

** Libr. V.

*** loca indicaui et exhibui *hiſt. anatom. ſpecim. II. §. VI.*

VIII. Libri hi anatomici pars fuerunt magni illius *de natura animalium* operis, ad quod ſcribendum Ariſtotelem, immani pretio, non tam inuitatum quam conductum fuiſſe peruulgata fama eſt. Sed non conueniunt auctores veteres. PLINIVS* Alexandri auſpiciis id opus ſuſceptum commemorat, neque plura de ſubſidiis ſcribit, quam quod *aliquot millia hominum in totius Aſiæ*

Græciæque tractu parere ipſi *iuſſa* fuerint, *omnium quos venatus*, *aucupia*, *piſcatusque alebant: quibusque viuaria*, *armenta*, *aluearia*, *piſcinæ*, *auiaria in cura erant*; AELIANVS ** liberalitatem hanc Philippo Macedoni tribuit. Rurſus vero ATHENAEVS,*** cuius narrata plurimi referunt, *Ariſtotelem ab Alexandro octingenta talenta, ad condendam animalium hiſtoriam*, *accepiſſe*, refert.

* *H. N. libr. VIII. c.* 16. ** *Var. hiſtor. lib. IV.*
*** *Deipnoſophiſt. lib. IX cap.* 13. *p.* 398.

VIIII. Enimuero mihi omnia rite perpendenti hæc res incertiſſima, et maximam partem fabulis accenſenda, videtur. ATHENAEVS manifeſte loquitur ex vulgi rumore: facileque demonſtrari poteſt totius Macedonici regni cenſum, ſi multorum ſimul annorum reditus Alexander in vnum Ariſtotelem contuliſſet, non effeciſſe tantam pecuniæ ſummam.* Adeoque fieri nequit vt ante Aſiam deuictam Ariſtoteli ſummam tantam dederit: hac autem deuicta, mox ab Ariſtotele alienatus fuit, et alios philoſophos, nihil de ſe meritos, magnificis donationibus ditauit, vt ægre Ariſtoteli faceret. Fruſtra igitur laborant, qui bonum Ariſtotelem etiam apud inferos repetundarum poſtulant, quoniam tanta pecunia non melius vſus fuit et veriorem hiſtoriam conſcripſit.

* Ariſtobulus, expeditionis ab Alexandro ſuſceptæ haud ignobilis ſocius, apud PLVTARCHVM teſtatur, totum ærarium militare tunc non vltra LXX talenta paratæ pecuniæ habuiſſe: in apparatum autem ad tam arduam expeditionem inſumi debuiſſe ducenta talenta, mutuo accipienda, apud eundem legitur. Memini etiam apud EVSTATHIVM *in Homerum* me legere admodum diſertum teſtimonium, de pecuniæ apud Macedonas, ante expeditionem Alexandri, magna raritate et paucitate: ſed nunc non eſt ad manus, vt poſſim locum requirerere & indicare.

X. Plane

X. Plane igitur exiſtimo ex admodum mediocri re famam, vti ſolet, maximam effeciſſe. Scilicet Ariſtoteli, Philippo adhuc viuo, et Alexandro nondum ad expeditionem profecto, forte etiam primis annis ab expeditione ſuſcepta, parata ad votum omnia fuerunt, ſi quid quiſquam in illo regno inſeruire poſſet. Sed poſtquam, Alexandro profecto, Ariſtoteles ad Athenienſes abierat, et docendo occupabatur, ne quidem iuuare ipſum potuiſſet illa, de qua Plinius loquitur, hominum inſeruire iuſſorum multitudo, non ſolum aliis occupationibus diſtractum, verum etiam in periculo conſtitum, ne, nouarum rerum deſiderio, crebra extiſpicia inſtituere videretur et ad furentem plebem deferretur, ſi Athenis vel animalia incidere, ne dicam homines, auſus fuiſſet.

XI. Commode incidit memoriæ, quod STRABO* commemorat, *Ariſtotelem ex omnibus, ſibi quidem notis, primum fuiſſe, qui bibliothecam colligeret, idque vt facerent Aegypti reges, docuiſſe.* Sine dubio igitur anatomicos auctores collegit. Et ſane Alcmæonis Crotonienſis ſcripta poſſedit; nam hunc virum, vt reprehendat, ſubinde commemorat. Videtur idem de Empedocleis et Timæanis ſcriptis dici poſſe. An Dioclis ſcriptum habuerit, aut omnino illud tunc temporis iam exſtiterit, equidem nihil inuenio. Democriteas ſententias paſſim adducit: ſed in anatomica quæſtione hunc philoſophum vel laudari vel reprobari haud memini. Hippocrateis monumentis, etiamſi nullibi ea laudat, potuit eſſe inſtructus. Sed nec video quem adeo magnum ex iis fructum ad anatomen capere potuerit, mirorque ANDREAM LAVRENTIVM,* acerbe eum accuſantem, et SEBASTIANVM BASSONEM** tam male fundatam criminationem recoquentem.

* *hiſtor.*

* *hiſtor. anatom. hum. corp. Lib. VIII. quæſt. 30. Ariſtoteles,* inquit, *omnia fere, quæ de natura animalium ſcriptis mandauit, ab vno didicit Hippocrate, quum tamen ingratiſſimus vir eius numquam meminerit.*

** *in præf. philoſoph. natur. aduerſ. Ariſtotelem.*

XII. Propius ad anatomen Ariſtotelis acceſſuri, quærimus an hominum corpora vmquam inciderit, et inſpexerit, Ariſtoteles. Id vero confirmare haud facillimum videtur, ſed et negare difficile. Saltem pluribus locis indicat quod hominis viſcus cuius animalis obuii et domeſtici viſceri eidem ſimillimum ſit: quod facere auſus non fuiſſet, niſi humana vidiſſet. Quod autem non aperte de ſe ſcribat ſe homines inſecuiſſe, eius rei cauſa metus fuit, quoniam apud Græcos, et ſeorſim Athenienſes, non impune facturus fuiſſet iſtiusmodi de ſuo facto indicium. Suſpicor autem omnino in illo receſſu ſuo, vbi ipſum Regis ſui gratia protegebat, curioſitati principis ſui et propriæ ipſum ſatis feciſſe, idque auſum fuiſſe, de quo in ciuitate populari, et ſuperſtionibus maxime obnoxia, nemo ſalutis ſuæ cupidus cogitare poterat.

XIII. Sed, age, inſpiciamus aliqua anatomiæ Ariſtotelicæ ſpecimina. Corpus humanum diuidit* in caput, collum, thoracem, brachium duplex et crus duplex: ſub thoracis appellatione abdomen comprehendens. In capitis deſcriptione ab erroribus non ſatis ſibi cauit. Occiput omnino vacuum perhibet.** In mulieribus caluariam vnam habere ſuturam circularem: in viris tres adeſſe, quæ plerumque in vnam coeant. Cerebrum nullas intrare venas, ideoque hanc partem eſſe frigidiſſimam.***

* *Hiſt. animal. lib.* 1. *c.* 7. ** *Ibid. c.* 7. *et* 16.

*** *Ibid. c.* 16.

XIIII.

XIIII. Quando thoracem deſcribit, coſtas perhibet vtrinque eſſe octo: forte veras coſtas ſeptem in mente habuit et pro octaua clauiculam numerauit. Cordi tres ventriculos tribuit,* maximoque ſinu ſuo venæ maiori coniungi ſcribit, illi, ad quam etiam lactes, (μεσεντέριον) ſunt: forte id dicere voluit, venam portæ iecinore traiecto ad cordis ventriculum dextrum cauæ trunco deuehendum tradere ſanguinem.

* *Hiſt. animal. I, c.* 17.

XV. A corde inſuper neruorum initia deduxit: quam eandem ſententiam Praxagoram quoque fouiſſe, ſed ſubtilius propoſuiſſe et excoluiſſe, ſupra attigimus. Hæc deſumta ſunt ex illis locis, vbi de humanis corporibus ſe agere profitetur: quantum vero in aliorum animalium diſſectionibus a perfectione abfuerit, et ſubinde lapſus fuerit, vir doctiſſimus OLAVS BORRICHIVS* ſatis oſtendit. Adeoque non multum cauſæ eſt cur Stagiritæ laborum anatomicorum iacturam multum deploremus.

* *Hermetis Aegypt. ſap. vindic. pag.* 244. *ſeqq.*

XVI. Phyſiologiæ Ariſtotelis ſpecimen vnum vel alterum ſubiungere opus videtur. De partu octimeſtri agens,* declarat ſe omnino vitalem illum agnoſcere, qui hoc menſe prodeat, quum et ſeptimo editus viuere et ſupereſſe queat. Et in Aegypto quidem frequentiſſime accidere vt tales viuant et adoleſcant: idemque aliis etiam quibusdam in locis accidere, vbi mulieres fertiliores ſint, et ſæpe geminos, pluresque fœtus, geſtent. *Sed locis Græciæ,* inquit, *multi intereunt, nec niſi perpauci ſeruantur.* Ex quo ad Hippocratem noſtrum excuſandum aliquid licebit elicere.

* *Hiſtor. animal. lib. VII. cap.* 4.

XVII. Semen maris in vterum ipſum recipi, ibique diu detentum membrana obduci, docuit: nam ſi fœ-

tus nondum articulatus eiiciatur, inſtar oui membranula autem venæ copioſæ conſpicuntur.* Articulari autem marem incipere quadraginta diebus, feminam quarto demum menſe.

* *Ibid. cap.* VII. collato *cap.* III.

XVIII. Fœtus in vtero per vmbilicum ſolum augeri exiſtimabat.* Laudat obſtetricum ſui temporis curioſitatem, quæ ſanguinem in vmbilico, ante quam deligarent et reſcinderent, intro reprimerent, ratæ hoc pacto viuidum magis ac vegetum infantem reddi.

* *Ibid. cap. VIII. et X.*

XIX. Sed non ſolum anatomicum et phyſiologiæ ſtudium Ariſtotelis effecit, vt ipſius honorifica mentio fieri in medicinæ hiſtoria debeat: verum etiam, auctore DIOGENE LAERTIO,* ſcripſit *medicinalia* duobus libris. Ne dicam quoties medica ſatis pulcra in problematibus ſuis** attingat. Et ſi horum omnium cauſa conſiderari nondum ſatis mereretur, vel illud a neglectu vindicare eum debebat, quod initio quidem Galenus multum de philoſophia eius medicinæ inuexerit: Arabes autem totam fere Ariſtoteli eam accommodauerint: vt nondum centum anni effluxerint, ex quo florentiſſimi medicinæ doctores plus ſe in plerisque Ariſtoteli quam Galeno tribuere profiterentur.

* *Lib. V.*

** quorum ſectio prima integra medicis quæſtionibus conſtat, numeroque quinquaginta nouem proponit, quarum ſatis multæ, et forte pleræque, ad praxin medicinæ pertinent, ſatisque docent Ariſtotelem non ſolum ſciuiſſe quid faciendum ſit ex artis præceptis, verum etiam agendorum rationes requiſiuiſſe.

XX. Quin fuere, qui Ariſtotelem philoſophiæ chemicæ arcanioris participem ſerio perhiberent, ex eo potiſſimum fundamento, quod in catalogo librorum

ab ipſo ſcriptorum compareat titulus, περὶ τῆς λίθου, *de lapide:* quem de lapide philoſophorum egiſſe ſecure credunt. Adeoque non mirum eſt hodieque circumferri opus quoddam *de perfecto magiſterio*, Ariſtotelis nomine inſcriptum.

XXI. Quum Ariſtóteles ópera ſua Alexandrum, iam mortuo parente grauioribus negotiis obrutum, et totius Aſiæ imperium molientem, parum indigere intelligeret, prudentius ſibi conſuluit, dum ſe aulæ fluctibus ſubduxit, viamque iniit, qua philoſophica libertate magis frui liceret. Athenas itaque rediit, et poſtquam tredecim annos docendo in Lyceo tranſegerat, quum ſe morbo implicitum ſentiret, Chalcidem abiit, ibique ſupremum diem obiit. Illud autem certum eſt multorum antiquorum, et in his PLVTARCHI, qui vitam cum egregia cura ſcripſit, teſtimonio, quod Alexander M. a ſummo, quo Ariſtotelem olim complectebatur, amore et ſtudio, calumniatorum artibus, mox abductus fuerit, vt primo tantum languere amicitiam facile cognoſcere liceret, deinde vero etiam aliqua faceret, quibus Ariſtotelem contriſtaret, quin minas etiam oſtenderet. Viciſſim Ariſtoteles accuſatur, quod cum Antipatro, aliisque Macedonibus, in necem Alexandri conſpirauerit, venenumque * edocuerit, quo interemtus eſt, tam acre, vt nullo vaſe metallico contineri poſſet, quin illud ſtatim eroderet: ſed vngula mulæ aut aſinæ aſſeruari ſolum poſſet.

* Illa infamia Ariſtoteles a pluribus veterum oneratur, vt ARRIANO *de exped. Alex. Lib. VII.* p. 500. edit. *Blancard.* PLINIO XXX. cap. XVI. Verum ſuſpicionem illam ſatis longo tempore ab Alexandri exceſſu demum ortam, maleque fundatam eſſe, alii, vt PLVTARCHVS *in Alexandro*, contendunt. Venenum dicitur fuiſſe aqua Stygia, quam ſcribunt in Nonacride, Arcadiæ regione, e ſaxo quodam ſtillare, eſſeque frigidiſſimæ naturæ. Chemici aquas Stygias

vocare ſolent illos concentratos ſpiritus acidos, quibus metalla ſoluunt: ſed, ſi quid dare vellemus illi perſuaſioni de Ariſtotelis chemica peritia, certe non video quo pacto talis aqua, ex Macedonia Babyloniam ad Euphratem, in vngula deferri potuerit, nec illam diſſoluerit. Et quum omnes conueniant regem grauiſſima iracundia prius commotum, ex comeſſatione nocturna male habere et febri laborare incepiſſe, et poſt ſeptimum demum diem diſceſſiſſe ex hac vita: facile exiſtimo et Ariſtotelem et alios a veneni exhibiti accuſatione abſolui debere. Plutarchus addit vel ex hoc fabulæ inconcinnæ fidem labefactari, quod Alexandri corpus in tam calida regione, ob ducum diſcordiam, per multos dies a nemine curatum iacuerit, neque tamen vlla ſigna euenerint, ex quibus de veneno iuſte ſuſpicari tunc quisquam potuiſſet.

XXII. A præceptore ad nobiliſſimum diſcipulum ALEXANDRVM Magnum abire liceat, quem qualem Ariſtoteles effinxerit ſuo ſtudio, ex parte iam indicauimus. Is vero medicinæ incrementis ipſis ſuis factis politicis plurimum profuit. Non enim ſolum Aegypto occupata et Græcis hominibus permixta effecit vt illius nationis ſcientiæ ad reliquas gentes facilius emanare poſſent: verum etiam Alexandria fundata effecit vt commercia cum gentibus remotioribus Indis per ſinum Arabicum et mare rubrum facilia nunc eſſent, multumque tam aromatum, quam ad materiam medicam pertinentium, quotannis adueheretur. Vt minime mirandum ſit ſi Alexandriam, præcipue Ptolemæorum ſtudio magis excultam non ſolum florentiſſimum totius orbis emporium videamus, verum a primo ſtatim tempore medicinæ etiam commodiſſimam et florentiſſimam ſcholam.

XXIII. Neque minus etiam reliqua per vniuerſam Aſiam expeditio, et Græcarum coloniarum vbique poſitarum multitudo profuit, vt per commercia facilitata

litata et amplificata terreſtribus etiam itineribus vndiquaque apportarentur, quæ in Græcia ante id tempus forte inaudita, aut ſaltem rariſſime viſa fuerunt.

XXIIII. Longum foret ſi adſertionem hanc pluribus exemplis nunc comprobare vellem. Sed prouoco ad conſiderationem medicinarum, quas ante Alexandriam conditam Græci ſuis in libris commendarunt, vbi nihil, niſi quod indigenum erat, facile inuenimus: aut ad ſummum, quod ex Aegypto et Cyrenaica regione peti poterat. Eiusdem generis erant condimenta ciborum, quorum catalogum ſupra* dedi. Ne aloen quidam in vllo auctore Alexandrinæ vrbis epocha antiquiore inuenies; ſed poſteriores eam crebro adhibuerunt. Eſt de ea apud orientales auctores conſtans traditio claſſem Alexandri ad Sucotram inſulam appuliſſe, animaduerſoque aloes copioſo prouentu illiusque ſucci vtilitate cognita, præſidiarios in inſula reliquiſſe, qui aloes collectioni et transmiſſioni operam darent. Et quamquam orientalium iſti traditioni fidem derogandam eſſe, ex eo contendi poſſe videatur, quod ARRIANVS,** qui expeditionem illam naualem deſcripſit, de eo plane ſilet, et orientales abſurdas circumſtantias adiungunt: vt tamen non omnino rem illam negligam facit recentioris æui ſcriptor hodœporicus,*** qui de diuerſitate notabili incolarum eius inſulæ teſtimonium luculentum exhibet.

* *pag.* 342. §. 21.

** *rerum Indicarum* libro, quem aliqui *de expeditione Alexandri octauum* inſcribunt.

*** Eſt is *P. Vincent. Maria di S. Caterina da Siena*, in ſuo libro *viaggio all' Indie orientali* Lib. V. cap. IX. Memorat autem incolarum alios eſſe nigros, criſpis capillis tectos: alteros albentes, capillis rectioribus, indolis erectioris et nobilioris. Atque hos vltimos exiſtimare licuerit eſſe illorum Græcorum, ſiue ab Alexandri claſſe relictorum, ſiue in-

ſequutis temporibus, forte ab Aegypti regibus huc delatorum poſteros: alteros autem indigenas. Orientalium traditionem videas apud HERBELOTVM *biblioth. orient.* voce *Sabr*, et *Socethorab.* Abſurdum illius narrationis in eo conſiſtit, quod iidem ſcriptores credere videntur Chriſtianam religionem per Alexandrum ibi eſſe introductam. Sed ſolent ſcriptores orientales nomen *Naſſar*, quod Chriſtianum denotat, frequentiſſime per anticipationem tribuere Græcis, qui poſtea Chriſtiani facti ſunt: quo animaduerſo excuſari etiam poterunt.

XXV. Neque dubium eſt quin Alexander M. in ſubiugata a ſe regno medicinam Græcam intulerit: Græcis ſcilicet, vtpote victoribus, ſuos mores ſuamque religionem vbique propagantibus. Hinc Aeſculapii templum Ecbatanis et in Babylone Serapidis nobis commemorant vitæ Alexandri ſcriptores. Viciſſim poſt Alexandri tempora inuenimus Serapidis maxime cultum ad Græcos emanaſſe: vt PAVSANIAS * diſerte commemorat Athenienſes Serapidis religionem a Ptolemæo accepiſſe.

* *Attic.* p. 42.

XXVI. Vidimus ſupram Alexandrum elleboriſmorum ſtudioſum fuiſſe: nunc curioſitatis gratia annotamus iam olim duobus præclariſſimis medicis Vlmenſibus D. D. AVGVSTINO THONERO* et D. D. IOANNI SCVLTETO in animum veniſſe, illam curationem, quam in Cilicia graui morbo decumbens, ſuſtinuit, fuiſſe elleboriſmum.

* videantur *Epiſtolæ* THONERI *VII. VIII. VIIII. X. et undecima:* ſubiunctæ autem ſunt eiusdem laudatiſſimis obſeruationibus inde a pag. 296 - 311.

XXVII. Multos in exercitu ſuo præclaros medicos Alexander ſecum duxit: de quibus deinceps diſpiciam, ſi prius de philoſophis et Ariſtotelis diſcipulis omnino abſoluero. His accenſere Alexandro non ignobiliorem

biliorem Ptolemæum, cognomento Lagi dictum, minime vereor, CVRTII* elogio promtiſſimum quidem bellatorem, ſed pacis artibus, quam militiæ, maiorem et clariorem. De hoc non contemnendis teſtimoniis conſtat, verum ipſius genitorem fuiſſe Philippum Alexandri patrem, qui matrem eius grauidam Lago tradiderat: vnde forte eadem excelſa indoles, quæ in vtrisque fuit, et Ptolemæi ſemper Alexandro fidus animus haud male deducentur. Iam vero ARRIANVS* auctor eſt a Philippo inſtitutum fuiſſe vt Macedonum, qui in aliqua dignitate conſtituti eſſent, filii, quum adoleuiſſent, ad regium miniſterium deligerentur. Coniicio igitur hunc Ptolemæum, Alexandro ætate ſupparem, regio huic filio ſocium et eidem miniſtraturum fuiſſe adiunctum, ſicque eadem cum ipſo educatione gauiſum. Confirmat me STRABONIS ſupra adductum teſtimonium quod Ariſtoteles Aegyptios reges bibliothecas colligere docuerit: quem vero alium, præter hunc Ptolemæum Lagi, docere potuerit, neminem inuenire poſſum.

* *de expeditione Alex. libr. IV. p. 268.*

XXVIII. Quod ſi me coniectura hæc non fallit, facilius inuenire licebit vnde Ptolemæo huic tam generoſa cura inſpirata ſit, qua deinceps omne litterarum genus, præſertim vero anatomicum ſtudium, tam acri ſtudio per Aegyptum excitauerit. Certe nullum inuenimus, cui illud ſtudium anatomen fouendi de Aegypti regibus tantopere prædicatum, ſecurius et iuſtius conueniat præter hunc et ipſius ſimillimum filium, qui philadelphi nomen accepit. Atque his potiſſimum regibus Alexandria omnis ſuæ felicitatis et celebritatis cauſam imputare debet.

XXVIIII. Ab his regio diademate et purpura exornatis Ariſtotelicæ diſciplinæ alumnis progredior ad minoris quidem dignitatis faſtigium conſequutos, ſed laude

laude ac celebritate minime inferiores, Calliſthenem Olynthium et Theophraſtum Ereſium. Et Calliſthenes quidem quod auditor et diſcipulus Ariſtotelis fuerit, diſerte teſtatur ARRIANVS:* quod eidem neceſſitudine ſanguinis coniunctus fuerit, DIOGENES LAERTIVS. Oportet autem Calliſthenem ab Ariſtotele prius profeciſſe, quam ad aulam Macedoniam vocaretur, vel omnino octo illis annis quibus Ariſtoteles Alexandrum docuit, participem illarum doctrinarum fuiſſe.

* *de exped. Alexand. p.* 262.

XXX. Quum Ariſtoteles Alexandrum relinqueret, ipſi hunc ſuum cognatum commendauit itineris ſocium: videturque ipſi mandatum fuiſſe vt et facta Alexandri ſcriberet, et curioſitati ipſius phyſicæ, omnia adnotatione digna conſignando, inſeruiret: Forte etiam vt iuuenes nobiles, quos Alexander ſecum ducebat, in philoſophia erudiret. Enimuero nimis erat philoſophus et grauis, quam vt Alexandrum iam ſe adulatoribus indulgentem ferre poſſet, aut ab ipſo perferri. Quare infelicem vitæ exitum, tribus ante Alexandri obitum annis, inuenit: de quo conſulendi ſunt PLVTARCHVS, ARRIANVS, aliique, qui de vita et rebus geſtis Alexandri expoſuerunt.

XXXI. Referri huc meruit, quoniam, teſte CHALCIDIO,* anatomen exercuit, et ſeorſim de oculo bene ſcripſit. Ab EPIPHANIO** etiam refertur inter illos, qui de radicum herbarumque viribus commentati ſunt. PLINIVS etiam noſtrum laudat inter illos auctores, quibus in concinnanda hiſtoria ſua naturali vſus fuit.

* *in Timæum Platonis comment.* p. 340. edit. Meurſ. de oculi natura *Calliſthenes, Ariſtotelis auditor, et Herophilus multa et præclara in lucem protulerunt.* MEVRSIVS ad hunc locum indicat reliqua viri huius ſcripta.

** *de hæreſib. lib. I.* ineunte.

XXXII.

XXXII. Theophraſtus, ex inſulæ Lesbi vrbe Ereſo ortus, vnde Ereſii nomen tulit, Platonis primo, mox Ariſtotelis auditor factus eſt, eidemque in ſchola ſucceſſor dari meruit: quod munus tanto cum adplauſu ſuſtinuit, vt auditores ad duo millia ipſum ſectarentur. Medicinam is quidem ex inſtituto non tradidit, nec exercuit: ſed ſtudium rerum naturalium exemplo præceptoris ſui coluit. Et quemadmodum ille hiſtoria animalium præcipue occupatus fuit: ſic noſter ſibi regnum vegetabile potiſſimum et minerale illuſtrandum ſumſit: de quibus, non quidem vt medicus, ſed vt philoſophus, commentatus eſt.

XXXIII. Et ad minerale quidem regnum pertinet libellus *de lapidibus*, qui hodieque exſtat, & hiſtoriæ naturali potius quam medicinæ inſeruit. Alterum autem opus, etiam ſuperſtes, *hiſtoriam plantarum* libris nouem tradens, maximam quidem partem philoſophicum, ſubinde vtilia medicinæ præcepta de vſu et viribus earum intermiſcet: quod vtinam edere de republica medica et hac vniuerſitate meritiſſimo CASPARO HOFFMANNO licuiſſet: quoniam vere Augiæ ſtabulum eſt, quale hodie exſtat. Sed bene habet quod non periit labor, aut apud βιβλιοτάφους deliteſcit, ſed in bibliotheca τοῦ χαϱιεστάτου, D. D. GODOFREDI THOMASII ſaluus et incolumis reſtat: vnde ſpes eſt fore vt in publici boni plurimum emolumentum poſſit aliquando produci.

XXXIIII. Superſunt etiam *de cauſis plantarum* libri ſex. itemque *de ſudoribus*, *vertigine et laſſitudinibus* libelli: vt et fragmenta *de neruorum reſolutione*, et *animi defectione*. Sed de ſale, nitro et alumine, de peſtilentiis, de melle, vino et oleo, de amentia, aliique medicum fructum in titulo promittentes libri, quorum indicem DIOGENES LAERTIVS conſeruauit, diu ſunt amiſſi.

XXXV. Huius occaſione meminiſſe liceat viri, quem ex indicio ipſius * cognouimus, quique ætate ſuppar fuiſſe videtur. Eſt is Thraſyas Mantinenſis, quem rei herbariæ peritiſſimum (δεινότατον τὰ περὶ τὰς ῥίζας) fuiſſe teſtatur. Hunc dicit experiendo didiciſſe, quod omnium medicaminum vires debiliores in adſuetis reddantur: quodque ellebori manipulos totos ſine noxa adſumſerit. Eundem nouiſſe et inueniſſe teſtatur, quo pacto ſuccus cicutæ, papaueris et aliorum eiusmodi præparari poſſit. vt minima moles, videlicet drachmæ pondus, mortem certiſſime inferat. Cicutam autem ex Suſis petendam eſſe. Huius etiam diſcipulum laudat Alexiadem, quem rei herbariæ non minus gnarum, ſed et inſuper totius medicinæ peritum vocat. Nec diſſimulat ibidem hanc venenorum doctrinam ſuo æuo magis, quam ſuperioribus temporibus, fuiſſe excultam.

* *hiſtor. plantar. Libr. IX. cap.* XVII. et XVIII.

XXXVI. Venimus tandem ad medicos, qui Alexandri magni occaſione in hiſtoriis celebrantur. Horum facile princeps eſt Philippus Acarnan, cui Alexander ſalutem ſuam, quum in maximo diſcrimine verſaretur, credere non dubitauit, etſi per litteras monitus vt ſibi ab hoc medico, quippe incredibili pecuniæ ſumma a Perſis ad ſe perimendum emto, caueret. Hiſtoria apud multos, ſed forte nullibi iucundius, quam apud PLVTARCHVM, legi poteſt. Curationem illam vere periculoſam fuiſſe eo magis credemus, ſi verum eſt, quod multæ circumſtantiæ docent, elleborum, rege ſic poſcente et iubente, fuiſſe exhibitum: de quo ſupra* iam dixi, Quid eidem hydropicum curaturo apud regem Antigonum acciderit, ex CELSO pariter iam** indicaui.

* *pag.* 366. §. 26. ** *pag.* 354. §. 48.

XXXVII.

XXXVII. Magna et Critodemo fama eſt, qui Alexandrum, in expugnatione vrbis Mallorum in pectore periculoſiſſime vulneratum, exciſo grandi et hamato telo, feliciter curauit. Illum fuiſſe Coum, et ex Aeſculapii ſtirpe, ARRIANVS * auctor eſt. Sed CVRTIVS ** eandem curationem tribuit Critobulo: videtur autem eum in animo habuiſſe Philippi celeberrimum medicum, de quo ſuo loco *** meminimus.

* *de exped. Alex. libr. VI. pag. 397.*
** *Lib. IX. cap. V.* *** *pag. 314.*

XXXVIII. Nec omitti debet infelix Glaucias ille, apud Plutarchum Glaucus dictus, quem Alexander cruci affigere iuſſit, quod credebat ipſum Hephæſtionem, quem nimio amore proſequebatur, peſſum dediſſe: quum ipſe potius, vt Plutarchus auctor eſt, intemperantia ſua periiſſet, idque, vt Arrianus teſtatur, die morbi, (erat autem febris) ſeptimo, adeoque canonice et regulariter. Plura fuere tunc ab Alexandro virtute ſua indigna, ob mœroris vehementiam, perpetrata.

XXXVIIII. Meliori fato gauiſus eſt Alexippus, caſtra eius in Indiam ſequutus, cui comiter gratias egit ipſe rex, ſcripta epiſtola, quod Peuceſtam a morbo reſtituerit, teſte Plutarcho.

XXXX. Atque idem auctor nos edocet etiam de Pauſania medico, cui rex per litteras commendauit Crateri tunc ægrotantis ſollicitam curam, et cautiones circa elleborum dandum inculcauit.

Cap. III.

De Herophilo, Eraſiſtrato, & ab his deductis viris.

CONSPECTVS.

Cur duumuiris his caput hoc conſecratum ſit. I.
Herophili patria. II.
Quo loco & tempore vixerit. III. IIII.
Encomium Herophili. V.
de anatomica eius induſtria. VI.
an homines viuos inciderit. VII.
iudicium hodie difficile, poſtquam ſcripta perierunt. VIII.
humana cadauera certo ſecuit. VIIII.
quibus partibus nomina dederit. X.
Cerebri & nervorum doctrinam perfecit. XI.
Vaſa lactea primus vidit. XII.
Phyſiologiæ ſpecimen. XIII.
Pathologiæ ſpecimina. XIIII.
Pulſuum doctrinam perfecit. XV.
Praxis Herophili. XVI.
ſimplicia maxime curauit. XVII. XVIII.
ſententia eius de medicamentis. XIX.
Empiricis occaſionem præbuit. XX.
Herophili diſcipuli. XXI.
de Mantia. XXII.
de Callianacte. XXIII.
de Callimacho. XXIIII.
de Bacchio. XXV. XXVI.
de Zenone. XXVII.
de Andrea. XXVIII - XXXII.
Quid Galenus de Herophileis pronunciauerit. XXXIII.
Mirum quod nullus eorum anatomica exercuit. XXXIIII.
de Eraſiſtrati patria. XXXV.
de parentibus. XXXVI.
& præceptoribus. XXXVII.
de virilis ætatis occupationibus. XXXVIII.
Senex demum ad anatomen acceſſit. XXXVIIII.
Quæritur vbi illam coluerit. XXXX.
Socio Herophilo uſus eſſe videtur, ob communia inuenta. XXXXI.
In corde valuulas obſeruauit. XXXXII.
Sententia eius de arteriis ſpiritus receptaculis. XXXXIII. XXXXIV.
Cuius cauſa reſpirare nos docuit. XXXXV.
Quantum hoc dogma in theoriam & praxin eius influxerit. XXXXVI.
Vaſa lactea vidit. XXXXVII.
Phyſiologia qualis fuerit. XXXXVIII.
De pulſu quid ſenſerit. XXXXIX. L.
Sententia eius de ciborum in chylum mutatione. LI.
In pathologia humoribus nihil tribuit. LII - LIIII.

Pluri-

Plurimum autem tribuit plethoræ & paremptoſi. LV.
Praxis eius quæ peculiaria habuerit. LVI.
Cur venæ ſectionem repudiauerit. LVII.
Quomodo febres & inflammationes curauerit. LVIII.
Cur purgantia abhorruerit. LVIIII.
vomitus tamen diæteticos permiſit. LX.
quid V. Sni & purgationibus ſubſtituerit. LXI.
quibus remediis plurimum tribuerit. LXII.
Vtrum medicamentis multum fauerit. LXIII. LXIIII.
de ſcriptis Eraſiſtrati. LXV.
de chirurgia Eraſiſtrati. LXVI.
Comparatio Herophili & Eraſiſtrati. LXVII.
de diſcipulis, ſeorſim Stratone. LXVIII.
de Apollonio Stratonis F. LXVIIII.
de Xenophonte. LXX.
de Apœmante & Apollophane. LXXI.

I.

Minime dubito profiteri Græcanicæ medicinæ ſummum vigorem in his duumuiris conſpici, omnique virilem eius ætatem, & robur cum optima venuſtate coniunctum. Dignos itaque exiſtimaui, quibus hoc caput integrum tribuerem, eorumque memoriam, quantum hodie licet, poſtquam ſcripta eorum diu deperdita ſunt, renouarem.

II. Herophili patria fuit Chalcedon, vrbs Bithyniæ, Byzantio in altera continenti e regione oppoſita. Huius nomen veteres nonnumquam ſcribebant * Καλχηδών: vnde facilis fuit ſcribarum error, quo in Galeni codicibus expreſſis alicubi ** Καρχηδόνιος, Carthaginenſis perhibetur.

* videatur ABR. BERKELIVS, *in notis ad Stephanum Byzantinum, voce* χαλκηδών.

** *de vſu partium lib. I. pag. 370.*

III. Vixiſſe eum in Aegypto, ibique potiſſimum anatomen excoluiſſe in celeberrima vrbe Alexandria, ex GALENI * teſtimonio clarum eſt, qui annotat ipſum,

quum cerebelli regionem aliquam calami ſcriptorii nomine inſigniret; talem eius ideam animo habuiſſe, qualis conueniret calamis apud Alexandrinos vſu quotidiano adhibitis. Quo autem tempore vixerit clarum facit SEXTVS EMPIRICVS, ** ex quo diſcimus eum Diodori Croni, philoſophi diſputaciſſimi, argutiolas lepide refutaſſe: hunc autem Ariſtoteli ſupparem fuiſſe ad illum locum notat Celeb. D. D. FABRICIVS. Suppoſititiis Phalaridis epiſtolis factum eſt, vt a quibusdam longe antiquior, ſed præter omnem fidem, perhiberetur: de quo ample diſputauit D. D. CLERICVS. ***

* *adminiſtr. anatom. libr. IX. fine.*

** *Pyrrhon. hypotyp. II. cap.* 22.*ſegm.* 245. vide notam doctiſſimi editoris. *** *hiſtor. medic. p.* 316. edit. nouiſſ.

IIII. Sed & ætatem Herophili ſatis euincit illud, quod Praxagoræ diſcipulus fuit: de quo ſupra diximus. Quos alios præceptores habuerit, equidem non inuenio. Attamen eum dialecticum fuiſſe in laudem eius ponit GALENVS.*

* *meth. medend. I. p.* 38.

V. Quantus vir fuerit GALENI * verbis indicabo: *Herophilus reliquam medicinam perfecte callebat: ſed in anatomica doctrina ad ſummum apicem pervenerat: huiusque tam præclaræ eruditionis potiſſimam partem non in beſtiis, vt plerique alii, ſed in ipſorum hominum corporibus ſibi acquiſiuerat.*

* *de diſſect. matric. pag.* 211.

VI. Non dubium eſt Herophilum illa hominum corpora luſtrandi & diſſecandi libertate potiſſimum fuiſſe gauiſum Ptolemæi primi, Aegypti regis, beneficio. Illud autem ſtudium anatomicæ rei impenſum aliqui vsque adeo extollunt, vt & viuos homines tunc fuiſſe inciſos perhibeant. CELSVS* in hunc ſenſum ſcribit: *neceſſa-*

neceſſarium ergo eſſe incidere corpora mortuorum, eorumque viſcera atque inteſtina ſcrutari. Longeque optime feciſſe Herophilum & Eraſiſtratum, qui nocentes homines, a regibus ex carcere acceptos, viuos inciderint, conſiderarintque, etiamnum ſpiritu remanente, ea, quæ natura ante clauſiſſet, eorumque poſituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, læuorem, confrutum: proceſſus deinde ſingulorum & receſſus, ſiue quid inſeritur alteri, ſiue quid partem alterius in ſe recipit. Et TERTVLLIANVS **: *Herophilus ille medicus an lanius; qui ſexcentos exſecuit, vt naturam ſcrutaretur; qui hominem odiit, vt noſſet, neſcio an omnia interna eius liquido explorarit, ipſa morte mutante quæ vixerant, & morte non ſimplici, ſed ipſa inter artificia exſectionis.*

* *præf. libr. I.* Legimus autem *confrutum*, pro eo, quod editorum alii exhibent, *confractum*, quod hoc loco nullum commodum ſenſum præbet. Nimirum vt a *deferueo* ſit *defrutum:* ſic a *conferueo*, *confrutum.* Illo autem verbo *conferuere* Celſus libro VIII. aliquoties vtitur, quod ex veterum vſu idem ſignificare ac προσφύεσθαι, *apponi, agglutinari;* pluribus oſtendere conatus ſum in diſſertatione *de oſſibus conferuentibus* ad illuſtrandum CELSVM 1727. habita.

** libr. *de anima, cap. X.*

VII. Equidem nolo hic diſquirere verene Herophilus cum Eraſiſtrato, quem eadem accuſatio premit, crudeles manus ad viuorum hominum præcordia adegerint: an forte vulgi perſuaſio rem vero maiorem fecerit: ſed addam PLINII * aliquod luculentum teſtimonium, quod de iisdem exercitationibus anatomicis ille protulit. Nimirum refert, *in Aegypto reges corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecuiſſe.* Non puto ad vllos reges hoc teſtimonium melius poſſe applicari, quam ad Ptolemæos priores, illum Lagi filium & Philadelphum: hos autem ipſos operi manum admouiſſe

mouiſſe minime opus eſt, quum habuerint cognitos ſatis medicos, quorum in hoc negotio vterentur induſtria. Sed illud notabile eſt, ſtudium anatomicum non ſolum eo ſcopo inſtitutum tunc fuiſſe, vt ſtatus corporis humani ſanus & naturalis pateſcerent: verum etiam vt abditæ morborum cauſæ magis innoteſcerent.

* *Hiſt. nat. lib. XIX. cap. V.*

VIII. Omnino optandum videtur, vt Herophili ipſius ſcripta nobis ſupereſſent, vt poſſemus ex ipſo indicare, quantum in vtroque ſcrutinio profecerit. Quum vero iam olim illa nobis temporum iniuria abſtulerit, ex iis, vbi GALENVS, aliique veteres, Herophilum ingenue laudant, indicium capere & referre opus eſt.

VIIII. In anatomico itaque ſtudio ipſi in genere debemus, quod corpora humana certo ſcrutatus ſit, partiumque deſcriptiones, ad verum archetypum exactas, dederit: quod multis antea neglectis nomina primus indiderit: quodque rebus diuerſis, eodem nomine a rudioribus anatomicis antea deſignatis, adeoque confuſioni obnoxiis, nomina clariora inuenerit: etſi perficere omnia non valuit.

X. Sic nomina impoſuit inteſtino duodeno, venæ arterioſæ & arteriæ venoſæ, tunicis oculi retinæ & arachnoideæ, calamo ſcriptorio, torculari, pluribusque aliis: de quibus paſſim GALENVS, RVFVS EPHESIVS aliique veteres, & ex his D. D. CLERICVS.*

* *hiſtor. medic. pag.* 320. 321.

XI. Neruorum & cerebri doctrinam ante omnes melius excoluit: quumque veteres nerui nomen latiſſimo ſenſu adhiberent; noſter merito videtur auctor eſſe illius diſtinctionis, quam RVFVS EPHESIVS* adfert, inter ſenſorios, motuique voluntario ſeruientes, quos a cerebro & ſpinæ medulla prodire videmus, &

copu-

copulatiuos, qui circa artus ſunt, quæque nos ligamenta vocamus, & tendines ex muſculorum finibus prodeuntes.

* *de appellat. corp. hum. part. lib. I. cap.* XXII. & XXXV.

XII. Herophilo etiam tribuitur inuentio certarum in meſenterio vndiquaque diſperſarum venarum, quas ipſorum inteſtinorum nutritioni deſtinatas eſſe propterea credidit, quoniam non, velut aliæ, in hepar tranſeunt, ſed ad certa corpora glanduloſa terminantur. Manifeſtum eſt vaſa lactea ſeu chylifera hic deſignari. Hoc dogma GALENVS* Herophilo diſertis verbis tribuit, & quod mireris, approbat, forte quia venas has eſſe dicit: quum tamen Eraſiſtrati idem inuentum, ſed ſub nomine arteriarum, modo aere modo lacte repletarum, propoſitum, pluribus locis, nec ſine verborum acerbitate, reprehendat.

* *de vſu partium, Libr. IIII.* circa finem. Sane vbique obſerues Herophilo æquiorem ſe præbere GALENVM quam Eraſiſtrato. Nec paucis locis aperte prodit, id ſe Eraſiſtrateorum ſui temporis peruicacia commotum & irritatum facere.

XIII. Phyſiologiæ Herophileæ ſpecimina pauca inuenio. Conſeruauit tamen PLVTARCHVS* eius de reſpirationis negotio doctrinam, quam quatuor diſtinctis actibus, duabus ſyſtolis, totidemque diaſtolis, abſolui docuit. Inque eodem diſcurſu commemorat, quod vires motrices adſcripſerit tribus hiſce, nimirum neruis, arteriis & muſculis.

* *de placitis philoſoph. lib. I. cap.* 22.

XIIII. Pathologiæ Herophileæ fundamentum oſtendit CORNEL. CELSVS,* ſcilicet *in humidis omne eſſe vitium:* in quo videtur Praxagoram præceptorem eſſe ſequutus: particulare ſpecimen dat CAELIVS AVRELIANVS, nimirum quod in pleuritide pulmo ſit affecta pars,

& quod peripneumonia ab ea non aliter differat, quam quod in hac integrum viſcus, in illa vero pars tantum affecta ſit: quod dogma recentiori æuo in ſcenam reuocatum eſſe ſatis conſtat.

* *Libri I. præfat.*

XV. Semiologiam amplificauit pulſuum doctrina ſubtilius exculta, de quo PLINIVS* ita ſcribit: *arteriarum pulſus in cacumine maxime membrorum euidens, index fere morborum, in modulos certos, legesque metricas, per ætates, ſtabilis aut citatus aut tardus, deſcriptus ab Herophilo, medicinæ vate, miranda arte, nimiam propter ſubtilitatem deſertus.* Cum quo fere conueniunt, quæ alio loco idem auctor poſuit,** *omnes ſcholas damnauit Herophilus, in muſicos pedes venarum pulſu deſcripto, per ætatum gradus. Deſerta deinde & hæc ſecta eſt, quoniam neceſſe erat in ea litteras ſcire.* At vero non deſertam Herophili ſectam fuiſſe, deinceps videbimus: quantum vero litterarum fuerit ad dogmata hæc percipienda neceſſarium, iudicare nunc non licet, poſtquam monumenta Herophileæ induſtriæ pridem perierunt. Hic tantum moneo ex GALENI*** variis locis conſtare quod Herophilus pulſuum doctrinam valde coluerit: ſed & quod præceptor eius Praxagoras eandem rem agitauerit. Placebat autem ipſi in arterias, quia ſunt cum corde continentes (συνεχεῖς) per tunicas influere ab illo vim cuius ope, perinde ac cor, dum diſtenduntur, ex omnibus partibus, vnde poſſint, attrahunt, quod impleturum ſit: dum contrahuntur, reddunt. Forte illud ſtudium pulſuum doctrinæ impenſum effecit vt Hippocratem, qui in eo minus elaborauerat, reprehenderet, eiusque librum Prognoſticum impugnaret: quo ſuo exemplo effecit vt ex diſcipulis plures in Hippocraticos libros commentari, & errores indicare minime veriti ſint.

* *Hiſtor.*

* *Hiſtor. natur.* lib. IX. cap. 37. circa finem.
** *Ibid. libr.* XXV. 1.
*** vide *de pulſ. dignoſc. lib.* IIII. *p.* 81. ed. Gr. itemque *de pulſuum differ. lib.* IIII. *p.* 45. ubi Herophilum accuſat, quod obſcuriora fuerint ſcripta de pulſibus. Forteque hæc ratio præcipua fuit, cur Herophilea de pulſibus dogmata fuere deſerta.
* teſte GALENO *comment. I. in prognoſt. p.* 120.

XVI. Verum etiam practicam medicinam Herophilus, ſecundum omnes partes ſuas, agitauit. Præcipuus tamen & longe clariſſimus auctor eſt eius medicinæ partis, quæ medicamentis potiſſimum pugnat: teſte CORN. CELSO,* qui noſtrum, viroſque ab eo deductos, nullum morbi genus ſine his curauiſſe ſcribit: quum ante ipſum victus potiſſimum ratione ægrotis ſubueniretur.

* *Libr. V. præfat.*

XVII. Seorſim autem ipſum ſtuduiſſe medicinarum ſimplicium cognitioni, ex PLINIO * diſcamus, quo auctore ſcimus rem herbariam Herophilo adeo fuiſſe commendatam, vt dixiſſe feratur *quasdam plantas fortaſſis etiam calcatas prodeſſe.* Antea dixerat: pleroſque ita exiſtimare, nihil non herbarum vi effici poſſe, ſed plurimarum vires eſſe incognitas: horumque in numero eſſe Herophilum noſtrum. Idemque auctor ** nos edocet Herophilum veratri vſum haud timide aut parce adhibuiſſe, elleborumque fortiſſimi ducis ſimilitudini æquauiſſe: concitatis enim intus omnibus, ipſum in primis exire.

* *Libro* XXV. *cap.* 2. ** Eodem *cap.* V.

XVIII. Huic ſimplicium medicinarum ſtudio forte non minime fauit Alexandriæ, omnium orientalium mercium diuitis emporii, conditio, de qua antea diximus. Sed & exemplum Aegyptiorum medicorum non minimum huc valuiſſe videtur: apud quos medi-

camentis alterantibus & ſpecificis curare magis, quam apud Græcos priſtinos, in vſu fuit poſitum: vt ex iis, quæ ſuperſunt, ex libris Nechepſi fragmentis intelligere datur.

XVIIII. Neque vero his ſolum ſtuduit, verum etiam compoſitis medicinis pretium ſtatuit: in vniuerſum autem ita docuit, teſte GALENO:* *& nihil eſſe medicamenta per ſe conſiderata: & deorum manus, quando experientia probe ſubactus vir eadem cum recta ratione adhibet.* Neſcio autem an ipſemet magnis compoſitionibus & ex tribus naturæ regnis petitis & conſarcinatis delectatus iam fuerit, quas eadem ætate Eraſiſtratus, vt mox videbimus, ſerio repudiauit.

* *de compoſ. medicam. ſec. loc. lib. VI. pag.* 248.

XX. Hoc autem ſtudio ſuo in medicinam medicamentariam effeciſſe videtur, vt aliqui medicinis nimium tribuerent, omninoque neglecta theoria ſoli experientiæ, & per illam cognitis medicamentorum facultatibus, medicinam ſuperſtruerent: qui homines deinceps empirici vocabantur, de quorum exortu ſeorſim diſpiciemus. Quin ipſemet GALENVS* Herophilum ac Eraſiſtratum tantum ex dimidia parte dogmaticos, ex altera vero empiricos eſſe contendit: forte ex integro ipſis eos annumeraturus, niſi anatomes vrſiſſent ſtudium, quod inſequuti profeſſi empirici omnino contemnebant.

* *meth. medend. III. pag. 63.*

XXI. Herophilo fuere multi & clari diſcipuli, qui dogmata ipſius conſeruabant & propagabant. Ex his, quorum notitiam accepimus, eos tantum hoc loco ſubiiciam, de quibus vel certum eſt quod hac periodo vixerint, vel de quorum ætate omnino nihil expiſcari licuit. Illos vero quos iuniores eſſe manifeſtum eſt,

vt

vt Chryſermum, Heraclidem Erythræum, Apollonium, qui Mus cognominatus eſt, Zeuxidem, Alexandrum & Demoſthenem, Pilalethas cognomine dictos, vt & Ariſtoxenum Alexandri diſcipulum, ac Dioſcoridem Phacan, alii tempori & loco conſeruabimus. Iſtos autem qui ad empiricam ſectam tranſierunt, hoc quoque capite non attingam, ſed ſequenti reſeruabo.

XXII. Ex his eminet Mantias (Μαντέας) quem GALENVS * multis locis valde laudat, ipſique teſtimonium perhibet, quod ſemper manſerit Herophileus. neque vmquam ad empiricorum caſtra transfugerit. Primum fere ipſi locum adſignat inter omnes, qui de re medicamentaria bene ſcripſerunt: quare in libris Galeni huc pertinentibus admodum ſæpe, ſemper honorifice, citatur. Docuit Heraclidem Tarentinum, qui ſe empiricis adiunxit.

* *de comp. med. ſec. loc.* lib. VI. p. 252. *de comp. med. ſec. gen.* lib. II. p. 328.

XXIII. Callianactam huc refero, non propter vllum opus artis mihi cognitum, ſed quod Zeuxis, ipſemet Herophileus, *in memorabilibus Herophili & diſcipulorum eius*, & ex hoc GALENVS,* refert ipſum ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡροφίλου, ex familiaribus Herophili fuiſſe. Non laudabili auſteritate & moroſitate erga ægrotantes memorabilem ſe reddidit. Nam quærenti ægroto, anne moriturus eſſet? Callianax reſpondit: *vtique, niſi te forte pulcra Latona peperit:* (adeoque Apollinis & Dianæ frater es.) Alio tempore idem requirenti alii reſpondit: *mortuus etiam Patroclus fuit, licet te multo præſtantior.*

* *Comm. IV.* in Epidem. VI. pag. 495.

XXIIII. EROTIANVS* commemorat Callimachum, qui ad explicandas difficiliores voces apud Hip-

pocratem operam contulit, teſtaturque eum ἀπὸ τῆς οἰκίας, *ex familiaribus auditoribus*, fuiſſe. Ex hoc opere GALENVS** quædam refert, vnde apparet ipſum non veritum fuiſſe præceptorem ſuum reprehendere, explicationemque ab ipſo datam ridiculam vocare.

* *in præfat. ad Lexic. Hippocrat.*

** *Comment. I. ad Hippocr. Epidem.* VI. p. 446. & 447.

XXV. Inter Herophileos GALENVS * expreſſe refert Bacchium (βακχεῖον) Tanagræum, quam patriam eius prodit modo laudatus Erotianus. Hic pariter in Hippocratem commentatus eſt, meminitque laborum eius in Aphoriſmos & ſextum Epidemiorum illuſtrandum, qui in eosdem libros commentaria dedit, Galenus. Ex antiquioribus Herophileis eum fuiſſe inde apparet quod Galenus ** ipſum Zeuxide & Heraclide priorem fuiſſe annotat.

* *de pulſuum differ.* IV. pag. 47. ubi ſimul eius *acroaſes*, in quibus de pulſibus diſputat, citantur.

** *in* IV. *Epidem. com. primo* pag. 442.

XXVI. Video hunc virum a quibusdam empiricis accenſeri: quod ſi iure faciunt, oportet ipſum in ſenectute deflexiſſe; de quo mihi nihil certum obtigit. Suſpicor autem ipſum in hanc claſſem relatum eſſe, fide alicuius textus Galenici *, quem non prorſus integrum eſſe exiſtimo.

* *Comment.* VII. *in aphoriſm.* pag. 328. Vbi ſic legitur: οἱ πρῶτοι τῶν ἐξηγησαμένων τοὺς ἀφορισμοὺς, ὧν ἐστιν Ἡρόφιλος ὁ Βακχεῖος, Ἡρακλείδης τε καὶ Ζεῦξις οἱ ἐμπειρικοί: quum vero de Herophilo nullibi proditum ſit quod vmquam in aphoriſmos commentatus ſit, legendum exiſtimo ὁ Ἡροφίλειος Βακχεῖος. Eiusdem fere naturæ error commiſſus eſt *Comment.* II. *in Epid.* III. p. 410. vbi pro Ζήνων ὁ Ἡροφίλειος manifeſto errore legitur in Baſileenſi editione Ζήνων καὶ Ἡρόφιλος: quem iam tacite correxit Vir doctiſſimus D. D. FABRICIVS *bibl. Gr. Vol.* XIII. p. 454.

XXVII.

XXVII. Ex Herophileis, quorum ætatem nulla coniectura aſſequor, commemorandus eſt Zenon, quem GALENVS paſſim in libris de pulſibus & commentariis laudat, virumque haud ex multis, neminique Herophileorum ſecundum, pronunciat. Scripſit hic expoſitionem illorum characterum, qui paſſim in tertio epidemiorum libro hiſtoriis ab Hippocrate enarratis ſubnotati viſuntur. Non paucos eum aduerſarios nactum eſſe ex GALENO * intelligimus, ad quem cupidum lectorem remittimus, ſi forte de notis iſtis plura deſideret. Notabilis etiam propterea eſt ille locus, quoniam Regum Aegypti præclarum ſtudium libros, præfertim vetuſtos, conquirendi exponit.

* *Comment.* II. *in Epid.* III. p. 410. ſeqq.

XXVIII. Porro Herophileis annumerari video Andream, ſatis celebrem medicum antiquum, & qui vel inter primos mihi ponendus fuiſſet, niſi iuſta ratio ſuſpicandi fuiſſet eum ad empiricorum caſtra transmigraſſe. Nam GALENVS, * vbi de empirica ſecta ipſi ſermo eſt, hunc præcipue ſumendum ſibi putauit, quem odioſa comparatione cum Hippocrate inſtituta, fide indignum comprobet: quod puto eum propterea feciſſe, vt empiricis ægre faceret. Quum tamen multa requirendo nihil inuenirem, quo certus redderer, volui ipſum hic interſerere, quaſi in confinibus Herophileorum & empiricorum poſitum.

* *Subfigurat. empiric.* pag. 121. edit. Lat. Baſ.

XXVIIII. Citat CASSIVS * Iatroſophiſta aliquem Andream Caryſtium, quem puto noſtrum eſſe. Adducit autem eius ſententiam de calli generatione in oſſium fractorum conſolidatione, quem oriri putat ex medulla cauitatibus oſſium adfuſa & circum labia fracturæ oſſis coagulata indurataque. Certe Andream in chirur-

chirurgico argumento etiam adducit CELSVS,** GALENVS*** & ORIBASIVS.** Vero etiam ſimile eſt noſtrum hunc eſſe illum regis Ptolemæi Philopatoris medicum, de quo POLYBIVS* refert, ipſum noctu in tabernaculo regis ſui obtruncatum fuiſſe a quodam, qui ipſum regem ferire ſe putabat. Accidit autem hoc anno tertio Olympiadis CXXXX.

* *problemat.* LVIII. ** *Libr.* VIII. *cap.* 20.
*** *Comment. in Hippocr. libr. de articulis pag.* 584.
** *de machinamentis pag.* 163. edit H. Steph.
* *hiſtor. lib.* V. *p.* 423. ed. Wech.

XXX. Diximus iam GALENVM minus præclare de hoc Andrea ſentire. Accuſationis hoc caput eſt, quod in iis, quæ de herbis ſcripſit, multas præſtigias, abſurdas oſtentationes & falſas narrationes adiunxerit: quare ipſius, vt & Pamphili, grammatici Alexandrini, de hoc argumento ſcripta legere diſſuadet.* Attamen ipſemet GALENVS paſſim ex eodem Andrea aliquas medicamentorum deſcriptiones adfert. Forte non omnia viri huius ſcripta æque fuerunt reprehendenda. Scripſit autem libellum, cui titulum fecit *Narthex*, quod vocabulum inter alia ſignificat ciſtam vel capſulam vnguentis reponendis idoneam, ſeu, vt noſtro æuo dicere ſolemus, pharmacopolium portatile: quem titulum deinceps alii etiam auctores fecerunt libris, in quibus medico & chirurgo neceſſaria compendio deſcripta ſunt.

* *de facult. ſimpl. libr.* VI. *p.* 68. Pamphili huius imaginem, vt & Andreæ, ex vetuſtiſſimo Dioſcoride MSto, qui in bibliotheca Auguſtiſſimi Imperatoris Vindobonenſi aſſeruatur, exhibet NESSELIVS in *Catalogo MSStorum illius biblioth. Part.* III. *Tab.* C. & D.

XXXI. In vita Hippocratis, quam Sorano male tribui ſupra diximus, citatur Andreæ liber περὶ τῆς ἰατρικῆς γενεαλογίας, *de origine medicinæ*, in quo maligne prodidit,

didit, Hippocratem propterea patria ſua exceſiſſe, quod publicam Cnidiorum bibliothecam igne concremaſſet. Ex quo elucet quo animo ipſe in Hippocratem fuerit: ſed nec male colligitur Galenum, forte ex iuſta indignatione in virum tam maledicum, liberius ſcripſiſſe.

XXXII. ANDREAS TIRAQVELLVS in elencho medicorum veterum, quem nuper Celeb. D. D. FABRICIVS longe meliorem & auctiorem nobis dedit, quo nomine ipſi plurimum debemus, exiſtimat Andream, de quo hactenus diximus, eundem eſſe cum Androne, cuius medicamenta apud veteres ſubinde laudantur. Hunc vero Andronem oportet Andrea multo eſſe vetuſtiorem, quippe GALENVS* de Eraſiſtrato narrat, quid caſu neceſſitatis, quum paſtilli Andronis ad manus non eſſent, iis ſubſtituerit.

* *de comp. med. ſ. l. pag.* 238. Gr.

XXXIII. Atque hi ſunt, quos referre huc viſum fuit, Herophilei. GALENVS* in vniuerſum haud ita præclare de illis iudicat, hominesque loquaces ac ſophiſtas appellat, qui nullam earum virtutum, quæ in Herophilo eluxerant, ipſis operibus artis adſequi et comprobare anniſi ſint. Quod quidem quam ſit verum, in medio relinquere oportet, poſtquam ſcripta eorum diu perierunt. Iam Galeni temporibus Herophileorum libros neglectos, adeoque raros, fuiſſe, ex loco modo adducto patet: quo minus admirari debemus, quod poſt Galenum tam rara Herophileorum mentio occurrit.

* *Comment. II. in epid. III. p.* 410.

XXXIIII. Illud quoque admirandum mihi videtur, qui fiat vt de nullo horum aliquod teſtimonium anatomici ſtudii, ſi non præclare aucti, tamen conſeruati & continuati, reperire liceat: omninoque videtur breui tempore tam lætum vtiliſſimæ diſciplinæ florem in Aegypto elanguiſſe & decidiſſe. Aliquid cauſſæ tribuen-

buendum video virtuti in Aegypti regibus, qui Ptolemæis duobus prioribus ſucceſſerunt, decreſcenti: quippe hiſtorias legenti manifeſtum fit, & reges hos ſequutos mox voluptatibus ſe dediſſe, & haud raro Alexandrinorum ciuium rebelli furore quaſſatos & vexatos fuiſſe: quare non mirum eſt ſi medici, ſe ſatis potenti patrocinio deſtitutos videntes, ab anatome colenda deſtiterunt. Sed & tota medicina in Aegypto primum deſiit eſſe maſcula & operibus artis ſtrenue addicta: empiricique nuper orti, anatomes vel vtilitatem vel neceſſitatem impugnando, amorem eius mox ſuffocarunt: reliquis diuitiis potius in florentiſſimo emporio colligendis, aut in ſchola medica ſophiſtice perorando & diſputando, exiſtimationem, quam ad ægrotorum lectulos eundo ſolidam artis cognitionem, requirentibus: de quibus alio tempore erit dicendi commodior locus.

XXXV. Venimus nunc ad Eraſiſtratum, medicorum veterum, MACROBII* iudicio, nobiliſſimum, Chryſippi diſcipulum. Huic patria obtigit, vt STRABO** auctor eſt, inſulæ Cei, Atticæ vicinæ, vrbs Iulis; quamquam alii ipſum modo Coum faciunt, modò Sicyonium, aut prorſus Samium.

* *Saturnal. VII. cap. XV.* cui non diſſimile eſt PLINII teſtimonium lib. XIV. c. 7. vbi maximum eum vocat medicum.

** *Libr. X. p.* 486.

XXXVI. De matre ipſius pugnantia inter ſe veteres tradiderunt. PLINIVS* ipſum ait Ariſtotelis filia eſſe genitum. Sed SEXTVS EMPIRICVS,** qui tres maritos, quos Pythias illa habuit, & ex his matrimoniis ſuſceptam prolem omnem, accurate exponit, nihil de Eraſiſtrato amplius refert, quam quod Metrodorus, tertius eius maritus, Eraſiſtrato educationis beneficium tribuerit. SVIDAS*** Eraſiſtrati matrem Cretoxenam vocat,

vocat, eamque Medii, de quo ſupra* egimus, ſororem fuiſſe perhibet. Forte conciliari hæc res ita poterit, vt Metrodorum ſupponamus Cretoxenam, commilitonis ſui Medii ſororem, defuncto priori marito anonymo ſuperſtitem, & ex eo Eraſiſtrati matrem, in matrimonio habuiſſe: illa autem defuncta Pythiadem duxiſſe: quo pacto Eraſiſtratus in domum Pythiadis venit, & Pythias, nouerca ipſius, pro matre haberi potuit.

* *H. N. Libr.* XXIX. *cap.* 1.
** *aduerſ. grammat. lib.* 1. *cap.* 12. *pag.* 271. *edit. Fabric.*
*** in voce *Eraſiſtratus,* * *pag.* 353.

XXXVII. Parum forte referet hæc accurate decidere. Sed illud tamen ex eo elucet Eraſiſtratum ipſa naſcendi ſorte incidiſſe in medicos Chryſippea doctrina imbutos, adeoque minime eſſe mirandum ſi tenaciſſimus in dogmatibus ſemel acceptis deprehendatur. Vtrum ipſemet Chryſippum audiuerit, quod Plinius, Galenus & ipſemet apud DIOGENEM LAERTIVM* affirmat, an tantum, vt Sextus Empiricus innuit, a Metrodoro inſtitutus ſit, in medio relinquimus: quemadmodum & illud, quod GALENVS** Eraſiſtrateorum fide refert, eum fuiſſe Theophraſti Ereſiii diſcipulum.

* *Lib. VII.* vita *Chryſippi philoſophi.*
** libello *an ſanguis in arteriis natura contineatur.* p. 225. En ipſa verba: *Non poſſum vos, Eraſiſtratei, magnopere non mirari, qui cum inter Eraſiſtrati laudes illud in primis iactetis, quod Theophraſto conuixerit, rationales diſciplinas adſpernari audetis, ſine quibus nec Theophraſtus, nec Theophraſti præceptor Ariſtoteles, ſcribere quicquam aggreſſus eſt.*

XXXVIII. Virilem ætatem occupationibus practicis ipſum conſumſiſſe vero admodum eſt ſimile, & relatum de ipſo legimus, quod in aula Seleuci, Syriæ regis, magnam gratiam inierit, ſeruato Antiocho, qui ex amore Stratonices, nouercæ ſuæ, grauem morbum

contraxerat, quem non ſolum ingenioſe detexit, verum etiam patri Seleuco admodum prudenti modo aperuit. De quo multis agunt PLVTARCHVS* & APPIANVS,** aliique auctores. PLINIVS *** commemorat ipſum curationis huius præmium centum talenta accepiſſe: quamuis alio loco,**** de re eadem loquens, Cleombroto Ceo illam curationem adſcribit.

* *in vita Demetrii.* ** *de bello Syriac. p.* 204. ſeq.
*** *H. N. lib.* XXVIIII. *cap.* 1. **** *Lib. VII. c.* 37.

XXXVIIII. Non immorabimur dubiis, quæ hanc narrationem premunt, extricandis, præſertim quum iam D. D. CLERICVS in eo laborauerit, ad quem beneuolum lectorem remittere licebit. Illud ex GALENO* conſtat Eraſiſtratum iam ſenem factum, otiumque amplius nactum,** totum ſe theoriæ medicæ diligentius colendæ dediſſe, tuncque anatomen præcipue coluiſſe: vnde factum ſit vt multa ſenex retractaret, de quibus iuuenis aliter ſtatuerat. Cuius rei exemplum adducit, quod antea docuerat neruos tantum a dura matre oriri, medullarem autem a cerebro deductam ſubſtantiam negauerat, quam poſtea, meliora ex ſectionibus crebris edoctus, admiſit & docuit. Ex quo viri ingenuitas & probitas elucet; quam itidem GALENVS *** laudibus effert: etſi non diſſimulat ipſum ſectæ amore aliquando contentioſius in Hippocratem aliosque veteres eſſe inuectum.

* *de dogm. Hippocr. & Platon. libr. VII. pag.* 311. adde finem huius libri p. 318. ** De otio hoc ampliori GALENVS libro *de V. S. aduerſ. Eraſiſtratum* mentem ſuam exponit, ſcilicet quod artis opera exercere deſierit, prorſusque deſidiam Alexandrinorum medicorum, quam toties cum indignatione Galenus reprehendit, induerit. *Fortaſſis*, inquit, *in cubiculo aliquo perpetuo deliteſcens, neque aliquando ægrotum aliquem contemplatus, hæc ſcribebas -- -- domi te continens, vt qui forte ægrotorum viſitationem, vt fertur, paruipendas, quod tibi videbatur, ſcripſiſti.*

*** de

*** *de atra bile.* pag. 361.

XXXX. Quo loco Eraſiſtratus curioſitati ſuæ anatomicæ, & quidem in ipſis hominum corporibus, ſatisfacere potuerit, nullibi quidem diſertis verbis indicatum inuenio: prorſus tamen nihil dubito, quin id factum Alexandriæ potiſſimum fuerit, vbi Herophilum anatomen exercuiſſe ſupra intelleximus: præſertim quum CELSVS noſter hos duumuiros iungat illo loco, quem ſuperius dedimus, quo de viuorum hominum diſſectione ab illis inſtituta agitur. Nec illud clare intelligere mihi licuit, an ſimul iſti viri & eodem tempore aliquando ſtudia iunxerint: vero tamen videtur ſimile Herophilum priorem ad has exercitationes veniſſe, iisque diutius operam nauaſſe, quum de Eraſiſtrato modo intellexerimus, quod ſero tandem & ſenex exſectionem aggreſſus fuerit.

XXXXI. Simul eos aliquandiu nobilem hunc laborem agitaſſe, ex eo licuerit colligere, quod vtrisque fere eadem inuenta tribui videmus. Nam Eraſiſtratus, non minus quam Herophilus, vaſa meſaraica obſeruauit, & in capite, cerebro præſertim & neruis, accuratius ſcrutando elaborauit: adducitque GALENVS * fragmentum aliquod, ex quo clare elucet ipſum ventriculos cerebri, & ex cerebro neruorum ortus & ad ad omnes partes propagationem, bene nouiſſe, & in ipſis hominibus obſeruaſſe.

* *de dogmat. Hippocr. & Plat. Libr.* VII. *pag.* 311.

XXXXII. In thorace recte obſeruauit a corde originem eſſe vaſorum, & certas membranas ſeu valuulas in ventriculis cordis & arteriarum principiis deprehendi, quibus tam receptio quam expulſio eorum, quæ cor vel ſubeunt vel ex eodem exeunt, adiuuen-

 tur:

tur: quibusque ab Eraſiſtrato vel diſcipulis nomina tricuſpidalium & ſigmoidearum fuere impoſita. De vſu etiam harum valuularum longum fragmentum a GALENO* conſeruatum eſt, ex tractatu Eraſiſtrati *de febribus* deſumtum.

* l. c. *libr. VI. pag. 303.*

XXXXIII. Enimuero quo minus vſum valuularum recte viſarum, motusque adeo cordis & ſanguinis, veras rationes adſequeretur, impediuit ipſum falſa perſuaſio, quod ſanguis naturaliter non niſi in venis contineatur, arteriæ autem ſpiritu, id eſt aere, repletæ ſint: quod dogma in plures theoriæ ac praxeôs Eraſiſtrateæ partes ſe diffudit & multorum errorum mater exſtitit. Quare operæ pretium fuerit, ſi paucis ex GALENO* perſpiciamus cauſas, quibus ad hoc tuendum inductus fuerit, quas ipſemet ex Eraſiſtrati vel diſcipulorum ſcriptis attulit. Nimirum capere non poterat, *cur natura, quæ nihil fruſtra molitur, duo receptacula genere diſtincta, vnam rem continentia, fabricaſſet: item & illud, quo pacto in vniuerſum corpus aer, quem reſpirando attrahimus, perueniat, ſi arteriæ ſanguinem contineant: vel, ſi non peruenit, quo modo, prout libuerit, mouere nos poſſimus, aut qua ratione ſine impedimento ſpiritus per arterias ferri queat, quum ſanguis ipſi reluctetur?*

* *libello an ſanguis in arteriis natura contineatur?*

XXXXIIII. Adverſus eos, qui obiiciebant ex arteria vulnerata ſanguinem cum impetu copioſeque effluere, hoc vtebatur effugio, aerem ex arteriis illico erumpere, quam primum vel minima propago arterioſa vulnerata eſſet: quo facto ſanguinem ex proprio ſuo receptaculo, ſcilicet venis, in ſpiritus vias irrumpere, & locum ab egreſſo aere evacuatum occupare: quumque

tota

tota cutis minimis arteriolis vndiquaque pertexta ſit, inde fieri vt in diſſectionibus quibuscunque ſanguinem in*arteriis deprehendamus.

XXXXV. Iam cognouimus quantum aeri, ſeu ſpiritui, Eraſiſtratus tribuerit: quare videbimus vnde ſpiritum hunc ad arterias deduxerit. Scilicet reſpirationem propterea fieri exiſtimauit, vt pulmo aere repleretur, & ad cor eundem demittat, vnde a ventriculo ſiniſtro attractus in arterias diſtribuatur.

XXXXVI. Sed videamus nunc quot quantæque concluſiones ex vno Eraſiſtrati dogmate, de ſpiritu arteriis incluſo, deductæ ſint. Proponam autem ſententiam eius ipſis GALENI* verbis, ex quibus apparebit non ſolum febrium & inflammationum pathologiam inde deduci: verum etiam venæ ſectionis vſum penitus proſcribi: curationum autem nouas rationes inde deductas inferius videbimus.

* *de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum pag.* 1056. *edit Froben. Lat.* Ita autem inquit: *Eraſiſtratus arteriam ſpiritus, venam autem ſanguinis receptaculum eſſe aſſerit. Deinde vero vbi grandiora receptacula diuiſa fuerint, magnitudine quidem illa diminui, numero autem effici plura: ac cum nullus locus detur, vbi circa terminum vnius, vas aliud non exiſtat: illa vndequaque per corpus delata in tam minutos fines deſinere, vt contentus in illis ſanguis, præ extremorum oſculorum conniuentia, intus retineatur: ob idque, etſi oſcula venarum arteriarumque inter ſe vicina ſint: ſanguinem tamen propriis terminis circumſeptum, ac nullibi in vaſa ſpiritalia inſilientem permanere: & eo vsque ſane animal legibus naturæ dirigi. Simulatque vero cauſa quædam violenta irruerit, tum ſanguinem ipſum in arterias transferri, & animal iam neceſſario ægrotare. Cauſas item huius rei aliquas, præcipuamque illarum ſanguinis abundantiam eſſe, a quo & venarum tunicas diſtendi reſerarique fines, qui prius clauſi fuerant; transfundi etiam in arterias ſanguinem, qui poſtea ſpiritum a corde delatum perturbans, illiusque motum alterans, ſiquidem e directo, atque prope principem partem conſtiterit, iam id febrem eſſe; ſi autem ab ipſo*

retro

retro repellatur, ac in finibus arteriarum condenſetur, inflammationem tunc exiſtere. Et talibus ille rationibus inflammationem ex plenitndine adſtruit. Verum quæ ex vulneribus contingit, eam quoque ſanguinis ex venis in arterias transſultu fieri ait: cuius rurſum transſultus cauſam illam, quæ ad euacuationem fit, ſucceſſionem eſſe putat. Cum enim ſciſſis arteriis poſt inflictum vulnus ſpiritus vniuerſus ex læſa parte effuſus fuerit, & periculum inſtet ne vacuus fiat locus, ſanguinem illo tempore ſpiritus euacuati greſſum per oſculorum reſerationem conſequi ſolere. Si ergo ſpiritus foras emiſſus fuerit, hunc quoque effundi, occluſo autem illo & obſerato, etiam hunc vi ſpiritus a corde demandati impulſum in locis vulneri vicinis cunctum coaceruari & ea ratione inflammationem efficere.

XXXXVII. Ante quam vlterius prouehamur, æquum iudicamus ſilentio non inuoluere pulcerrimum Eraſiſtrati inuentum, quo in meſenterio capellarum vidit, poſtquam bene paſtas inciderat, vaſa lacte impleta, quæ arterias eſſe interpretatus eſt, alio tempore aere repletas. (ἀρτηρίας ἀεροειδεῖς, ὕστερον δὲ γάλακτος πληρουμένας) Vſque adeo tempore opus eſt, vt nobilia inuenta ad maturitatem ſuam perducantur, & præiudicia, quibus occæmur, deponantur. Vidit idem Herophilus & Eraſiſtratus: ſed vterque, licet in arte exercitatiſſimus, verum ex tam nobili inuento fructum impetrare non magis potuit, quam Galenus, qui multis poſt eos ſæculis, inuenti huius conſcius fuit. Scilicet dies diem docet, ſuntque, vt aliis hominum negotiis, ſic artibus etiam & inuentis, ſuæ periodi & quaſi fatalia tempora.

* GALENVS libello *vtrum ſanguis in arteris natura contineatur pag.* 223. conf. *admin. anat. VII. pag.* 184.

XXXXVIII. Phyſiologiæ Eraſiſtrateæ ſpecimina requirens, inueni ipſum fere alienum a rationibus multis & longiuſcule petitis, quippe plerumque ad naturam ipſam, vt artificioſam ſimulque prouidam animalis gubernatricem *, tamquam ad aſylum, ſeſe recipiebat, quo-

quoties a curioſiori aduerſario vrgebatur: quin Pyrrhonianam ruſticitatem Eraſiſtrati ſectatoribus GALENVS** obiicit, qua, quoties argumentis & experimentis conuictos ſe videbant, non æquum eſſe clamabant medicas conſiderationes dialecticis curioſitatibus ſubiicere.

* *de V. S. adu. Eraſiſtratum.*
** de eo *an ſang. in arter. nat. contin.*

XXXXVIIII. De pulſu ita ſenſit: * *pulſare contra, ac cor, arterias. Illud, cum diſtenditur, repleri eo, quod comitatur vacuatum, arterias, cum replentur, diſtendi: repleri autem immiſſo a corde dicit ſpiritu. Simul itaque fieri vtrumque eſt neceſſe, diſtentionem & repletionem eorum: verum alteram antecedere alteri rationem cauſæ obtinentem in corde diſtentionem & repletionem in arteriis.* Hunc locum illuſtrat alius**: *Eraſiſtrateorum eſt opinio cor primum præ omnibus arteriis diſtendi atque contrahi, immiſſo autem in arterias ſpiritu, ab illo, ſimul atque impleantur, diſtendi: primum ipſi cordi vicinas, deinde quæ has conſequuntur, mox his proximas, atque ita continenter ad extremas omnium arterias motum penetrare; omni ipſis arteriis facultate vacantibus, tum peculiari, tum a corde ipſis ſuppeditata, cuius ſe ipſæ ope diſtendant, vt cor, contrahantque.*

* *de different. pulſ. Libr. IV. p. 247. Lat.*
** Ibidem *pag.* 256.

L. Quod vero pulſui, tamquam ſigno, multum Eraſiſtratus attenderit, equidem haud inuenio, atque in eo me confirmat GALENVS* quando in hunc modum ſcribit: *quando legimus apud veterem aliquem medicum ſolam pulſare inflammatam partem, aut motum tantum in inflammatione arteriarum appellare eos pulſum; in corpore autem ſano hoc vocabulo vti numquam: non omnem motum arteriarum colligimus, ſed aut magnum &*

vehementem, aut quem ipſe poteſt ægrotus animaduertere, pulſum vocari. In hunc modum videtur & Eraſiſtratus pulſus nomen vſurpauiſſe. Etſi vero de Eraſiſtrato hoc verum puto, tamen de diſcipulis omnibus idem non exiſtimo, quippe poſt Herophili exceſſum longum exarſit de pulſibus certamen, cui ſe omnium ſectarum aſſeclæ, & inter hos etiam Eraſiſtratei, immiſcuerunt.

* *de different. pulſ.* IIII. p. 250. ed. Lat. adde p. 265.

LI. De ratione, qua cibi in ventriculo præparentur, quam Hippôcrates coctionem dixerat, ipſe, CELSO* auctore, ſtatuit, quod per attritum id fiat. MACROBIVS** de eadem re ex Eraſiſtrato referens, ſubigi illic & digeri eſculenta ſcribit: quod ita intelligendum puto, quod ventriculi muſcularium fibrarum contractio & per vices remiſſio eadem ſæpe ad ſe inuicem terendo diſiungat & comminuat. Idem Macrobius refert, quod ſe Platonis errori, qui potum ad pulmones deſcendere perhibuerat, oppoſuerit: in quo quidem fidem ipſi facile tribuo, ſed ante Eraſiſtrati tempora hanc quæſtionem iam agitatam fuiſſe plus ſimplici vice ſuperius indicaui.

* *præfatione libr. I.* conf. *Gal. de natur. facult. Lib. II. pag.* 1071. & 1073. *Lat.*
** *Saturnal. VII. cap. XV.*

LII. De pathologia Eraſiſtrati dicturus, initium ab eo faciam, quod GALENVS toties conqueritur, *Eraſiſtratum cauſas & culpam morborum in prauos humores reiicere omnibus modis cauere:* & totam artem de humoribus eum euertiſſe:*** quam relationem de hoc viro non conuellit, quantum exiſtimo, amplus ille ſermo quem ſuperius*** attuli, in quo febrium & inflammationum cauſam in eo quærit, ſi quando vel ſanguis in ſpiritus, vel ſpiritus in ſanguinis vias irrupit: quum manife-

nifeſtum ſit ſpiritus vel ſanguinem, ex Eraſiſtrati mente, morborum cauſas non perhiberi, quatenus praui & corrupti ſunt, ſed quia locis inconuenientibus detinentur. Reprobauit igitur illas veterum cacochymias pituitoſas, biliosas, atrabilarias & id genus alias, præſertim a Praxagora inculcatas & ab Herophilo ſtabilitas, quippe qui, teſte CELSO, *in humidis omne vitium eſſe* docuerat.* Repletioni autem ſeu humorum abundantiæ, quam plethoram dicimus, inter morborum cauſas vel præcipuum locum aſſignauit, vt pariter ex adducto textu manifeſtum eſt.

* *de atra bile pag.* 147. *Lat.* ** ibid. *p.* 153.
*** §. XXXXVI. in nota ſubiuncta.
**** Præfat. lib. I. Apparet non ex hoc ſolum, quod inter Herophilum & Eraſiſtratum æmulatio fuerit: verum etiam ex eo, quod infra §. 64. ex Plutarcho adducam, teſtimonio, quippe Herophilus medicamenta compoſita & præcipue magnas compoſitiones et antidotos, Deorum manus dixerat, de quibus Eraſiſtratus frigide, imo cum contemtu loquutus eſt.

LIII. Quantum vero cunque ſtuduit in pathologia humores prauos excludere, tamen ipſum non potuiſſe euitare, quo minus eosdem aliquando accuſaret, idem GALENVS eodem loco oſtendit. Nam paralyſeos ætiologiam ex ipſo hanc adducit: *Affectus hic exoritur, quando in vaſa pulmonum fit illapſus humiditatis illius, quæ in neruis continetur, per quos motus voluntarii complentur; illabitur autem id nutrimentum, quo nerui illi nutriuntur; illud autem eſt ſuccus lentus, tractitius & qui non facile excernitur.* Enimuero nec hic Eraſiſtratus ſuam hypotheſim mihi videtur deſeruiſſe, quum non ſuccum nerueum male conſtitutum accuſet, ſed in alienum locum delatum, viasque ſpiritus obſtruentem, ne ille, vtpote quem ad liberum et facilem motum requirebat, hanc vel illam partem libere adire poſſet.

LIIII. Porro etiam hunc locum pathologiæ & ex parte phyſiologiæ illuſtrandæ idoneum, ex Eraſiſtrato ibidem adducit: *binoſa porro humiditas quod neceſſario excernenda ſit, teſtes ſunt plura hinc accidentia: icteri puto, & inflammationes hepati ſuperuenientes, aliique complures affectus. Vtrum autem in cibi præparatione, quæ in ventriculo fit, bilis generetur, an vero in aſſumtis præexiſtat & cum illis corpori inferatur; de hoc multum diſceptare nullam medicinæ vtilitatem affert.* Atque illam in cauſis nonnullorum requirendis ſecuram negligentiam GALENVS* alibi valde reprehendit, præſertim quum non de omnibus æque ſecurus fuerit, ſed ſententiam de modo, quo hoc vel illud fiat, in medium attulerit.

* *de facult. natur. II. pag.* 1067. ſeqq. Lat.

LV. Ceterum in pathologia Eraſiſtratea vel præcipuum caput fuiſſe plethoram & τὴν παρέμπτωσιν, id eſt, quando ea, quæ naturaliter quouis in loco contineri debent, ſtatu præternaturali in alium migrant, ex iam adductis ſpeciminibus ſatis, credo, elucet: quemadmodum etiam clarum eſt, quod illam paremptoſin non ſolum reſpectu ſanguinis ſpirituumque, verum etiam fluidi neruei, ſtatuerit. Atque hæc ſpecimina pathologiæ ſufficiant.

LVI. Nunc de praxi Eraſiſtratea, quantum hodie de ea reſcire licet, exponemus. Ea quidem ab priſca medendi ratione valde deſcivit, in eo maxime quod venæ ſectionem repudiabat, & purgantia remedia proſcribebat, ægrotos autem vel inedia macerabat, vel ad exercitia compellebat. Equidem cur ſanguinem, inciſa vena, mittere vetuerit, puto clarum eſſe ex eo, quod de paremptoſi, febrium & inflammationum matre, ample diſſeruimus: cur vero purgantibus bellum indixerit, eius cauſam aliam non hariolari poſſum, quam quod vel Aegyptiorum & Pythagoreorum ſcholis, ex quibus

quibus præceptor eius Chryſippus prodierat*, metum illorum debuerit: vel obſeruauerit ab infauſto & intempeſtiuo illorum vſu febres & inflammationes excitari: adeoque arguerit hæc remedia apta nata eſſe ad paremptoſin excitandam: præſertim quum fugam vacui ipſum in animo habuiſſe, ex dictis & adductis ſatis eluceat: vnde procliue fuit omnem copioſam euacuationem, eamque ſubitam, ſuſpectam habere, & ne in locum ſubtractorum humorum alii irruant, extimeſcere.

* Quantum Eraſiſtratus præceptorem Chryſippum fecerit, quantumque omnibus veteribus eum prætulerit, non ſine indignatione declarat Galenus *de V. S. adu. Eraſiſtratum*, pag. 1063. Lat.

LVII. Et quod quidem venæſectionem, etiam in vrgentiſſimis caſibus, neglexerit, ex eo apparet fragmento apud GALENVM*, vbi Chryſippum præceptorem laudat, quod homini ſanguinem reiectanti venam non ſecuerit, ſed vinculis ad tibias & alas iniectis ipſi ſuccurrerit; ſubdita hac ratione, *eum non ſolum præſentia intuitum eſſe, ſed etiam imminentis periculi curam geſſiſſe. Huic enim periculo, quod ab reiectione inſtat, aliud ex inflammatione imminet: in quo quidem offerre aliquid cibi perquam difficile eſt: rurſum autem ei, qui a venæ ſectione famem longo tempore tolerare debet, ne diſſoluatur & viribus deficiat, verendum eſt.*

* *de V. S. aduerſ. Eraſiſtratum. p.* 1054. *Lat.* Addatur totus liber *de V. S. aduerſus Eraſiſtrateos Romæ.*

LVIII. Mentem Eraſiſtrati plenius percipiemus ex ea ratione, qua febribus & inflammationibus mederi præcepit, quamque ipſius propriis verbis GALENVS* prodit: quem totum textum ſtatim ſubiiciam.

* loco citato p. 1056. ſeq. *Doceat igitur ipſe nos iam medicaminum ſeriem. Ait autem cum in multis aliis locis, tum in primis in tertio de febribus tractatu: Circa ægritudinum igitur initia ac*

inflammationum generationes omnem ſorbitionum oblationem auferre oportet. Inflammationes enim quæ febres faciunt, vt plurimum ex repletione fiunt. Si itaque hoc ipſo tempore adiectiones factæ fuerint, & concoctione diſtributioneque ſuas actiones perficientibus, vaſa alimento repleta fuerint, inflammationes multo vehementiores perſæpe fieri contingit. Hæc quidem ille de inflammationibus protulit, quæ citra vulnus ex plenitudine eueniunt. De illis vero, quæ ex vulnere ſuboriuntur, in primo de febribus libro denuo in hanc ſententiam recenſet: Iſtis autem ſubſequuntur medendi rationes, quæ vulnera omnia ab inflammatione libera efficiant. Medicamenta enim cum ſanis partibus illinuntur, claudendo atque obturando probibent ne ſanguis deſuper fuſus in loca diſſecta irruat: in partibus autem nihil paſſis ſanguis, qui poſt venarum & arteriarum anaſtomoſin in arterias tranſilierat, facile in venas quoque transſumetur. Quamobrem conſequens rurſus eſt, vt vulneratis nihil prorſus cibi inflammationis tempore offeratur: venæ namque, quum alimento vacuæ exiſtunt, longe facilius ſanguinem in arterias ingeſtum reſument, quo ſane ita peracto inflammationes minus contingent.

LVIIII. Quod iam ad purgationes attinet, exhibebo nunc etiam quæ ad Eraſiſtrati mentem percipiendam idonea apud veteres inueni. Ita autem apud GALENVM * lego: *Eraſiſtratus, tametſi non ſine modeſtia, vniuerſum tamen de purgantibus medicamentis caput euertit, quum actiuam maxime ac naturæ conſuetam attrahendi vim nusquam ſuis in ſcriptis agnoſcat, ſed eius loco ea, quæ vacuum conſequitur, inanitione vti maluerit. — Qui Eraſiſtratum ſequuntur, vniuerſos aiunt tam purgationibus, quum ſanguinis egreſſu, pariter euacuari, vnde nec purgare reuera quicquam, ſed cum immutatione quadam & euacuandorum corruptela inanire dicunt.*

* *de purgant. medic. facult.* ab initio.

LX. Quum Eraſiſtratus purgationes per medicamenta proſcripſerit, proinde tamen diæteticos lenes modos ventriculum excitato a cœna vomitu, in illis qui

ad

ad vomendum propenſi ſunt, aut inteſtina per clyſteres minime acres a ſaburra exonerandi, minime reprobauit: in quo praxin antiquam Aegyptiorum, quam omnis etiam Græcia admiſerat, retinuit. Clare id Eraſiſtrati propriis verbis GALENVS* iterum comprobat, in longo fragmento, quo exponitur, quo pacto repletio nimia per diætam poſſit curari.

* *de V. S. aduerſus Eraſiſtrateos Romæ*, *pag.* 1088. *ſeq.* Lat. Aduerſus mentem Eraſiſtrati & praxin veterum eſſet, ſi hic intelligere vellemus vomitum medicamento ſumto excitatum: quum potius talis ſuadeatur, qualem CELSVS *lib. I.* 3. præcipit: *qui vomere poſt cibum volet, ſi ex facile facit, aquam tantum tepidam ante debet aſſumere: ſi difficilius, aquæ, vel ſalis, vel mellis parum adiicere.*

LXI. Loco reprobatarum a ſe ſanguinis miſſionum, & euacuationum per purgantia, ſuaſit Eraſiſtratus, iis, qui adſueti eſſent, exercitationes paululum vltra conſuetudinem intenſiores, frictiones, balnea, inediam aut alimentorum, tam reſpectu quantitatis quam qualitatis, ſubtractionem. En qualem menſam inſtruat a repletione nimia liberandis: *prandium ſubtrahendum eſt, ſed & cœna minor ſolito aſſumenda. Tum qui offeruntur cibi nutrimento fere careant, veluti ſunt olera pleraque, tam cruda quam cocta, cucurbitæque ac cucumeres, peponesque teneri, & ficus recentes: legumina item cum oleribus cocta. Panis quoque omni vitio careat. Nam ſic vniuerſa talia aluum lubricam reddent, partim nutrimenta, quæ ex illis fiunt, neque copioſa neque fortia efficient. Verum a carnibus piſcibusque ac omnibus rebus cum lacte, alica aut amylo elixatis, & ceteris id genus, dicto tempore abſtinendum aut prorſus paucis vtendum.*

LXII. Porrro externe cataplaſmatibus & fotibus, vt & ligaturis, multum tribuebat: eratque in his adeo curio-

curioſus, vt ipſi vitio datum ſit nimium illud ſtudium, quo annotat & edocet quo pacto cataplaſmata coquenda ſit. Sed in pluribus illa nimia curioſitas, &, minimis circumſtantiis edocendis, prolixitas eius a GALENO oſtenditur, præcipue adducto longo ſermone, quo accuratiſſime modum cichoria apparandi edocet. Ac neſcio ſane annon etiam inſigne ſpecimen ἀκριβολογίας ſuperfluæ illud ſit, quod CELSVS* noſter de eodem refert, ipſum cholera morbo laborantis potionem primo tribus vini guttis aut quinis adſpergendam iuſſiſſe, deinde paulatim merum adiiciendum: & annon recte de eo Celſus iudicet: *ſi vehementem infirmitatem adiuuari poſſe tribus guttis putauit, errauit.*

* *Lib. IV. cap. XI.*

LXIII. Idem CELSVS,* quando dixerat medicamentis antiquos auctores multum tribuiſſe, Eraſiſtratum primo loco ponit, deinde empiricos, tandem Herophilum & ab illo deductos viros. At vero ex illis curationum exemplis, quæ GALENVS in ſæpius dictis libris, vbi aduerſus Eraſiſtratum & Eraſiſtrateos diſputatur, adduxit, pauca medicamenta licet eruere. Vnicum, quod memini, laudat, nimirum pilulas de caſtoreo, a quibus aluum expeditam fuiſſe dicit. Laudat quoque CELSVS** aliquam Eraſiſtrati compoſitionem recte ſuper purulenta naturalia imponendam; quamquam deſcriptionem non ponit.

* *Libr. V. præfat.* ** *Libr. VI. cap. XVIII.*

LXIIII. Vt vero haud negauerim Eraſiſtratum præter illam curandi rationem, quæ victu morbis medetur, aliquid etiam medicamentis tribuiſſe: in eo tamen ab aliis valde diuerſus fuit, quod amplas & diffuſas compoſitiones vituperauit. De quo egregium teſtimonium apud PLVTARCHVM* exſtat: *Eraſiſtratus redarguit*

guit nimiam curioſitatem quin abſurditatem eorum qui ſimul metallica & vegetabilia, quin a venenatis animalibus deſumta, & viſceribus terræ eruta & a fundo maris petita in vnum permiſcent. Melius ageremus, ſi relictis hiſce medicinam intra ptiſanam, hydrelæum, cucurbitam ſubſiſtere permitteremus; id eſt, diæteticam priſtinam rationem ſequeremur, quæ decumbentibus ptiſanam, dubia valetudine vtentibus tenuem victum, exercitationes, balnea, inunctiones, clyſteres & id genus alia iuſta lege & commodo tempore adhibenda præſcribebat.

* *Sympoſiac. IV. quæſt. I.*

LXV. Ex Galeni libellis ſæpius laudatis multorum ab Eraſiſtrato ſcriptorum librorum notitiam haurire licet: ex quibus aliqua fragmenta adduximus, plura ibi legere poſſumus. Sunt autem *de reiectione ſanguinis*, *de febribus*, *de affectibus alii*, *de virium reſolutionibus*, *de podagra*, *de ſalutaribus*, commentaria *de diuiſionibus*, opus caſuale-practicum vt ex allegatis apparet *de vulneribus*. De reliquis operibus vide D. D. FABRICIVM.*

* *bibliothec. Græc. Vol. III.*

LXVI. De chirurgia Eraſiſtrati CAELIVS AVRELIANVS nos edocet. Nam, hoc auctore,* *in iecoroſis præcidens ſuperpoſitas iecori cutes ac membranam, vtitur medicaminibus, quæ ipſum iecur late amplectantur, tum ventrem diducit, audaciter partem patientem nudans.* Sed paracenteſin abdominis hydropicorum minime laudauit,** vt nec dentes, niſi vacillantes, eximere ſuadet,*** ſed vbi aliqui ad hanc operationem vel inſtituendam vel ſuſtinendam ſe offerebant, dicere illis ſolebat in Apollinis templo alicubi oſtendi forcipem pro dentibus euellendis ex plumbo factam, quo homines intel-

 ligant

ligant non alios eximentos eſſe, niſi qui tam debili inſtrumento vinci poſſent.

** tardar. paſſ. III. cap. 4.* *** l. c. cap. 8.*
**** ibid. lib. II. cap. 4.*

LXVII. Apparebit autem ex dictis in quo Herophilo & Eraſiſtrato conuenerint, & in quibus a ſe inuicem fuerint diuerſi. Studium anatomicum vtrique commune fuit, ſed Herophilus & prior ipſi operam dediſſe & longius in hoc labore verſatus videtur. Vterque Hippocrati libere contra dixit.: ſed Eraſiſtratus ab antiquitate longius receſſit Herophilo, quippe hic & varios humores ab Hippocrate olim propoſitos retinebat, morboſque ab iis fieri docebat, & venæ ſectionem & purgantia, vsque adeo elleboriſmos, retinuit. Partem medicinæ, quæ per medicamenta potiſſimum curat, Eraſiſtratus non condemnauit ſed admiſi & moderate iisdem vſus eſt: Herophilus etiam ad exceſſum ipſi fauit. In pulſuum autem negotio non ſolum diuerſa ſenſerunt, verum etiam Eraſiſtratus ſubtilitatem Herophileam adſpernatus fuit.

LXVIII. Tempeſtiuum nunc videtur ad Eraſiſtrati diſcipulos progredi, illoſque recenſere, quos ad periodum noſtram pertinere iudicamus. Hos inter primo loco merito ſuo ponimus Stratonem, quippe qui familiariter ipſo per longum tempus vſus fuit, amanuenſis Eraſiſtrati, vt GALENVS * interpretatur, vel ſecundum alios ſeruus eiusdem. Eius teſtimonium adducit Galenus, quo Eraſiſtratum vel hoc præcipue nomine commendat, quod ea omnia, quæ veteres per venæ ſectionem curare conati ſunt, ille ſine hac cura inuenerit & docuerit. Ipſum quoque libros edidiſſe medicos, & ſectatores habuiſſe Stratoniceorum (forte Stratoneorum) nomine inſignitos ex eodem intelligimus.

** de V. S. adu. Eraſiſtrateos p. 8. Gr. pag. 1073. Lat.*

LXVIIII.

LXVIIII. Huius Stratonis filius fuiſſe videtur, quem inter Eraſiſtratri diſcipulos GALENVS * laudat, Apollonius Stratonis F. quem etiam a patria vocant Memphitanum. Scripſit *de appellationibus membrorum corporis humani.* Eius quoddam medicamentum ad ſugillationes oculorum conſeruauit AETIVS.**

* *de differ. pulſ.* 4. circ. finem.

** *Tetrabibl. II. ſerm. III. c. XX. pag.* 307. *ed. H. Steph.*

LXX. Ante hunc Apollonium vixit, ſaltem ſcripſit, Xenophon, qui appellationes corporis humani pariter ſcripto propoſuit, teſte GALENO.*

* *Iſagoges pag.* 375. Gr.

LXXI. Apœmantem cum Stratone GALENVS coniungit ſed nihil commemoratione dignum de eo affert. Pariter Apollophanes Seleucienſis, Regis Antiochi Soteris medicus, ipſique inprimis carus inter Eraſiſtrati primos diſcipulos referri ſummo iure meretur. Quantum ipſi rex fiſus fuerit, & quam ſalutaria in arduis rebus conſilia dederit POLYBIVS * nobis recenſet. Videtur autem hic vir poſt Antiochi obitum aulam reliquiſſe & Smyrnam conceſſiſſe vbi Eraſiſtrateorum celebrem ſcholam ſua adhuc ætate floruiſſe STRABO ** auctor eſt. Chronologiæ rationes credere perſuadent forte primum ſcholæ huius antiſtitem hunc fuiſſe. Smyrnæi vt aliorum ſcholæ medicæ antiſtitum, ita huius quoque memoriam honorauerunt nummis ipſius nomine ſignatis, de quibus egit celeberrimus Londinenſium medicus D. D. RICHARDVS MEAD, in diſſertatione *de numis quibusdam a ſmyrnæis in medicorum honorem cuſis:* ex quo ad hunc virum pertinentia excerpſit celeb. D. D. FABRICIVS.*

* *hiſtoriar. ſui temporis lib. V. p. m.* 400. & 402. *edit. Wechel.*

** *Geograph. lib. XII. p.* 580.

* *Bibl. Gr. Vol. XIII. pag.* 77.

LXXII. Reliquorum Eraſiſtrateorum obſcura ſunt nomina & incerta ætas, præter paucos qui ad ætatem periodo noſtra inferiorem pertinent: quare de illis hic nihil commemoramus. Omnibus his, GALENO quidem paſſim conquerente, tanta fuit præceptoris ſui veneratio vt ipſum tamquam Deum venerarentur, dictaque vt oracula amplecterentur, parumque mouerentur ſi ad præceptoris doctrinam curati ægroti vita excederent: quod minime mirandum videtur, quum omnibus ſectæ addictis idem quotidie accidere videamus.

Cap. IIII.

De Sectæ empiricæ exortu.

CONSPECTVS.

Experientiam medicinæ matrem eſſe Hippocrates oſtendit. I.
vt & Celſus. II.
quidnam empiricæ ſectæ occaſionem præbuerit. III.
Vnde Philinus Cous ad eam deductus ſit. IIII. V.
Quid anatomen contemnendi anſam præbuerit. VI.
Quis Philinus Cous fuerit. VII.
de Serapione Alexandrino. VIII.
Eius medicamentis. VIIII.
& praxi. X. XI. XII.
Elogium eius ex Galeno. XIII. XIIII.
quod principium cognoſcendi ab empiricis ſit ſtatutum. XV.
quotuplex experientia, ſecundum empiricos. XVI.
quomodo experientia comparanda ſit. XVII.
tripus medicæ artis. XVIII.
obſeruationis obiectum. XVIIII.
Non omnes empirici vnum idemque ſenſerunt. XX.
Differentiæ præcipuæ inter dogmaticos & empiricos. XXI.
anatomen qualem laudauerint. XXII.
quo argumento abditarum cauſarum ſcrutinium reiecerint. XXIII.
breuis epicriſis in empiricos antiquiſſimos. XXIIII.
de reliquis empiricis, ſeorſim Apollonio. XXV.

de

de Glaucia. XXVI.
de Heraclide Tarentino eiusque ſcriptis. XXVII - XXVIIII.
Specimina practica. XXX-XXXIII.
Reliqui empirici, vtpote iuniores, differuntur. XXXIIII.

I.

Vetuſtus auctor libri *de veteri medicina*, qui Hippocrati tribuitur, bene ac perſpicue oſtendit medicinam omnem vſu & experientia eſſe inuentam, quum homines primi his vel illis eduliis, aut alio, ex rerum non naturalium cenſu vſi, bene vel male ſe habere hinc identidem ſentirent; quumque morbis circumuenti attenderent quo pacto ſic vel aliter viuentes ali citius alii tardius liberarentur aut fatis concederent. Sero tandem acceſſiſſe homines qui nouo quodam modo ex certis hypotheſibus cauſas rerum requirere, & per experientiam cognita ad ſcientiam reducere conarentur.

II. Nihil ab hoc diuerſus eſt Latinus Hippocrates, CORN. CELSVS, qui artem poſt prima rudis æui tentamina a philoſophis demum ſuſceptum fuiſſe, donec Hippocrates ab ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc, primus quidem ex omnibus memoria dignis, ſeparauit, non vt diſiungeret & philoſophiam excluderet, ſed vt ſeorſim eam colendo incrementa artis promoueret. Manſit itaque in Hippocratis & diſcipulorum ſchola firmum & perpetuum, per experientiam viſorum & repertorum cauſas quærere, & rerum quoque naturæ cognitionem ſibi vendicare, tamquam ſine ea trunca & debilis medicina eſſet.

III. Enimuero poſtquam, vt ſuperius intelleximus, diſſenſiones antiſtitum medicinæ exortæ ſunt, & alter alterum diſputando vincere inſtituit: præcipueque Herophilus corporum accurato ſcrutinio multa vete-

rum errata detexerat, hocque ipſo certaminibus augendis occaſionem dederat, ex auditoribus eius Philinus Cous præſcindendis litibus, in quibus ſæpe dialectici medicos experientiſſimos ſuperabant, animum aduertit. Rem hanc GALENVS* ita exponit: *Empiricæ præfuit Philinus Cous, qui primus medicinam a rationali diſciplina abſcidit, occaſione ab Herophilo ſuo præceptore accepta, a Philino autem Serapionem Alexandrium ea ſecta floruiſſe.* Sed CELSVS** noſter eam ſiue laudem ſiue culpam Serapioni tribuit, quippe *qui primus omnium nihil hanc rationalem diſciplinam pertinere ad medicinam profeſſus, in vſu & experimentis eam poſuit.*

* in *Iſagoge*, ſtatim ab initio.

** *præf. libr. I.*

IIII. Diſpiciendum itaque nobis erit quanam potiſſimum re Herophilus empiricæ ſectæ condendæ occaſionem præbere Philino Coo potuerit. Et ſi vero in re facti meris coniecturis, verum attingere difficile eſt; haud tamen diſſimile vero videtur illud eum facere potuiſſe ſcriptis & ſermonibus crebris, quibus Hippocratem, rationalis medicinæ parentem, & ſine dubio alios quoque, (nam nec præceptori ſuo Praxagoræ eum pepercisse ex Galeno conſtat) errorum coarguit. Quod cum Philinus animaduerteret, Hippocratemque, cum aliis, inrebus ad anatomen ſpectantibus reuera erraſſe ex demonſtratione occulari cognoſceret: attamen cogitaret quanti viri, & quam præſtantes operibus artis, fuerint nihilo minus ipſi illi, qui hæc ignorauerant, quam Herophilus, qui errores detexerat: procliue ſane fuit in eiusmodi cogitationes incidere, quæ præ vſu & exercitatione omnia, quantumuis ſubtiliter inuenta & diſputata, parui pendunt.

V. Ac-

V. Acceſſit ex parte Herophili quod tanto ſtudio medicinarum tam ſimplicium quam compoſitarum ſcrutinio inhiabat, & ſine dubio auditoribus ſuis, vt idem facerent, & ſingulorum effectibus attenderent auctor erat: quod quum ſine crebra experientiæ commendatione fieri non poſſet, facile arripi in illam partem potuit, quæ ratiocinio medico derogaret.

VI. Equidem haud ſcio an omnia ſectæ iam conditæ & confirmatæ dogmata Philino, primo auctori, tribuere liceat, & ſeorſim illud, quod anatomicis exercitationibus derogat: ſi vero idem iam cogitauit & docuit, magnopere non eſt mirandum. Etenim veroſimile eſt longe tunc magis, quam hodie, fuiſſe homines qui abominarentur nouum illud inſtitutum, priſcis Græcorum moribus haud conueniens, & abhorrerent a talibus, qui iſtiusmodi tractarent: quare non mirum eſt ſi vir aliquis mollior, vel ipſe ſerio manus ſuas cadauerum tabo ac ſanguine polluere veritus fuit, vel, vt aliis placeret, pariter delicatis & meticuloſis, ſe non delectari talibus perſuaſerit: & ne bona cum ratione aliis haud pariter mollibus inferior videretur, publice profiteri & contendere inſtituerit, talia, præter id quod fœda, impia & crudelia ſint, inſuper arti medicæ nullum prorſus fructum adferre.

VII. Hæc ſunt quæ cogitanti mihi de hoc negotio viſa fuerunt Philino occaſionem præbere potuiſſe. Ceterum de vita & factis eius apud veteres nihil inuenio. Apud GALENVM ſemel iterumque citatur, in libris vbi compoſitarum medicinarum formulæ ponuntur, & ex Athenæo diſcimus, ipſum de plantis ſcripſiſſe: quod argumento eſt ipſum Herophileæ doctrinæ & induſtriæ hanc ſolam partem & vnam imitatum eſſe. Sed & in Hippocratem, Herophileorum more, commentatus eſt.

VIII. Sed

VIII. Sed forte non penitus formam ac vires nouo dogmati dare Philinus potuit: quare factum eſt vt a Serapione Alexandrino ſectæ empiricæ deducerentur initia. Hunc poſt Philinum fuiſſe GALENVS * teſtatur: ex quanam vero ſchola prodierit, a nemine veterum diſerte notatum video. Clariſſimus medicus Londinenſis D. D. RICHARDVS MEAD ſerapionem e ſchola Eraſiſtrateorum prodiiſſe autumat ex eo, quod CAELIVS AVRELIANVS ** ipſum ſimilia Eraſiſtrato ordinaſſe ſcripſit. Idem produxit nummum a Smyrnæis in honorem Serapionis cuſum cum inſcriptione ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ CΑΡΑΠΙΩΝ, putatque hunc noſtrum illum eſſe, qui in hoc numo deſignatur: quod omnino in medio relinquo.

* *Iſagoge. l. c.*

** *in diſſ. de numis a Smyrnæis in medicorum honorem percuſis* citante D. D. FABRICIO *bibl. Græ. Tom. XIII. pag.* 393.

VIIII. Sæpius citatur a veteribus, ſed vix aliter niſi in argumento medicamentario & practico. Sic CELSVS * ad impetiginis ſpecies ſanandas ab ipſo laudatum medicamentum ex nitro & ſulphure, reſina copioſa excipiendum, refert. Emplaſtrum ipſius melinum AETIVS ** commendat, etſi deſcriptionem non dedit. Apud NICOLAVM MYREPSVM *** autem legitur ipſius quædam antidotus *choragus*, i. e. *munus præbens*, dicta, propter ea quod ſenibus & eneruatis ad coitum ineptis tentiginem ciet. Principale ipſius ingrediens eſt Satyrion & ſcincus: diciturque, fide Philonis, vt exiſtimo Tharſenſis, ipſum illud in oppido Diphthera inueniſſe.

* *Lib. V. cap. XXVIII. ſect.* 17.

** *Tetrabibl. II. ſerm. II. cap. XCVI.*

*** *de antidot. ſect. I. cap. LXVI. pag.* 375. ed. H. Steph.

X. CAE-

X. CAELIVS AVRELIANVS* citat Serapionis *librum primum ad ſectas*, ſed exiguo elogio. Idem curationum libros, primum ſæpius, ſemel etiam tertium, allegat: ex quibus citationibus ſpecimina praxeos ipſius intueri aliqua licet. Sic refert** quod ſynauchicos clyſteribus euacuauerit, atque phlebotomia & cataplaſmatibus atque vnguentis acrioribus vſus ſit, & prouocatiuis & aperitiuis, quæ anaſtomotica appellant: præcauerit autem in omni abſtinentia cibum vel potum dare. Tetano correptos, perinde vt phreneticos curare præcepit.***

* *Acut. I. cap. 6.* ** *Acut. III, cap. 4.*
*** Ibidem *cap. 8.*

XI. Idem auctor, vbi de choleræ curatione agit,* commemorat catapotia quædam Serapioni & Heraclidæ Tarentino communia, ex ſemine hyoſcyami, aniſi & opio, vbi in ſingulas doſes opii granum vnum & quatuor ſeminis hyoſcyami adſumuntur. Vix apud alios vſum opii internum frequentiorem obſeruabimus, quam apud empiricos, eritque de eo locus iterum dicendi, quando ad Heraclidem Tarentinum deducti fuerimus. In curatione iliacæ paſſionis, ſerapion, eodem teſte, vſus eſt catapotio ex plumbi ramento, cocco Gnidio, ſale, elaterio, reſina, caſtoreo & diagridio: vbi duo notamus, plumbi ramentorum internum vſum, forte vt pondere deprimerent: & caſtoreum purgantibus admixtum: quod vltimum propterea etiam conſiderari meretur, quoniam & Eraſiſtratus pilulas ex caſtoreo alui ſoluendæ cauſa adhibuit. Ceterum caſtorei frequens itidem vſus empiricis fuit, vt ex aliis compoſitionibus huius ſcholæ apud CAELIVM AVREL. relatis facile intelligitur.

* *Acut. III. cap. 21.*

XII. Vbi CAELIVS AVRELIANVS* epilepſiæ curationem proponit, affert ex Serapione longum catalogum medicamentorum antepilepticorum, vt caſtoreum, equorum lichenas, cameli cerebrum ac fel, coagulum vituli marini, itemque medicamentum ex crocodili terreſtris ſtercore confectum, & leporis corde & lumbis, & teſtudinis marinæ ſanguine, vel teſtibus apri, vel arietis, aut galli gallinacei. His vero vt ſpecialiter paſſioni congruis, præmiſit ſanguinis detractionem, & purgatiua medicamina nunc per ſuperiora, vt elleborum album, nunc per inferiora, vt ſcammoneam & nigrum elleborum: ex quo materiæ æque medicæ ac praxeos Serapionis ſpecimina puto conſpici. Citatur etiam eiusdem liber *de medicamentis facile parabilibus*, ſeu euporiſtis.

XIII. GALENVS* noſtri cum exigua laude meminit, dicitque ipſum aduerſus maximum noſtræ artis exornatorem Hippocratem, temerario ore, tamquam nouum Aeſculapium, oblatrare auſum eſſe tanta impudentia, vt ſuos commentarios paſſim videas propriis laudibus refertiſſimos. Antiquos autem viros probatiſſimos, quorum monumenta totam artem illuſtrauere, præteriiſſe omnes, nec dignos putaſſe, qui vel minima quidem laude exornandi ſint.

* *de ſubfigurat. empiric. p.* 126. ed. Lat.

XIIII. Serapionem vero, antiquorum dogmatum loco, triplicis ſermonis ambages explicuiſſe, ibidem ſcribit. Quid vero ſit triplex ille ſermo ex dicendis deinceps de empiricorum veterum dogmatibus clarius elucefcet. Legendi de eo ſunt GALENI libri *de ſectis, & de ſubfiguratione empirica*, ex quo vltimo nunc potiſſimum referemus empiricæ doctrinæ conſpectum: commendamus autem vt CELSVS, quem ſtudioſorum manibus quotidie teren-

terendum exiſtimamus, de eodem argumento addatur.

XV. Principium cognoſcendi in medicina vnicum admittunt, experientiam, quæ Græce ἐμπειρία vocatur: vnde ſe nominari, non a quodam ſectæ ſuæ auctore vel antiſtite, voluerunt.

XVI. Experientiam vocabant cognitionem autopſia comparatam: autopſiam autem vel *fortuitam* eſſe, vt ſi cui, ſine humano conſilio, ſolo caſu, aliquid contingat, quo a morbo liberetur: e. g. ſi quis capite dolens ita ceciderit, vt ipſi vena frontis vulneretur, emiſſoque ſanguine dolorem amittat: vel ſi febricitanti hæmorrhagia narium accidat, isque inde leuetur: vel *conſultam*, vt ſi quis in monte vel agro a ſerpente morſus, obuiam herbam impoſuerit, ab eaque ſalutarem effectum obſeruet, aut ſi quis id, quod ſemel iterumque iuuit, ſimili caſu ſæpius adhibeat & euentus notet: hocque vocabant imitationem. Hoc pacto comparari habitum experimentalem, quo gaudentes theoremata ſibi formant de eo quod ſemper, quod plerumque, quod vtrouis modo, quod raro fiat.

XVII. Ad hunc practicum habitum conſequendum commendabant τήρησιν ſeu obſeruationem propriam; & lectionem hiſtoriarum, id eſt obſeruationum ab aliis fideliter conſignatarum, quæ ordine referant quid in morbis acciderit, & quid hoc vel illud remedium effecerit. Inde hunc fructum conſequi, vt quis ab vno morbo alium poſſit concludere, & nouis forte morbis incidentibus, ex iis, quæ illi cum iam cognitis communia habent; concludere quid agendum ſit. Vocabant hoc epilogiſmum, aut ἀπὸ τοῦ ὁμοίου μετάβασιν, quod Latine redditur tranſitus ad ſimile, aut, vt D. D.

CLERICVS mauult, ſubſtitutio ſimilis reddi ſignificantius poſſet.

XVIII. Adeoque autopſia, hiſtoria & epilogiſmus ſ. tranſitus ad ſimile, ſiue vt alii efferebant, ſenſus, memoria & epilogiſmus, tamquam tres medicinæ columnæ habebantur: aut, vt Glaucias denominauit, ὁ τρίπους τῆς ἰητρικῆς, tripus artis medicæ.

XVIIII. Præcipue autem obſeruationem ad duo debere attendere, primo vt cognoſcat, quæ ſint ſalubria, quæ neutra: ſecundo qualis ſymptomatum concurſus qualem morbum faciat. Non enim quodque ſymptoma morbum appellabant, ſed talem tantum eorum concurſum, quæ ex longa obſeruatione ita ſimul conuenire comperta ſunt: vt pariter incipiant, augeantur, vigeant, declinent & recedant: talemque coniunctionem compendii gratia, vno tantum morbi nomine appellari couſueuiſſe.

XX. Non defuere quidem inter empiricos, qui in quibusdam hic diſſentirent, præſertim in diuiſione medicinæ: ſed hæc fere, tamquam ad ſummam rei parum facientia, vix inter illos attendebantur.

XXI. Præcipua empiricorum & dogmaticorum differentia in eo verſabatur, quod empirici non neceſſariam iudicabant requiſitionem cauſarum abditarum, quæ vel ſanitatem faciunt, vel morbos inducunt: indeque deſumendas, ex dogmaticorum doctrina, indicationes exſibilabant: ſed tantum euidentium rationem habebant, vt ſi quis a frigore, inedia vel nimia repletione læſus fuiſſet.

XXII. Eodem ipſo, quod abditas cauſas requirere inter ſuperflua numerabant, etiam anatomes culturam negligebant primo, deinde, vt in feruore diſputatio-

tationum fieri ſolet, etiam vituperabant. Commendabant autem medico ſuo τὴν κατὰ περίπτωσιν ἀνατομὴν, hoc eſt, ſi quando miles, aut gladiator in arena, vel viator a latrone vulneretur: vbi occaſio ſit interna hominis, vt ſe viua habent, contuendi, & per miſericordiam, absque crudelitate vel fœditate, cognoſcendi.

XXIII. Abditarum cauſarum ſcrutinium eo maxime argumento impugnabant, quoniam infinitus argumento impugnabant, quoniam infinitus regnat in medicina & philoſophia, circa illarum declarationem diſſenſus: adeo vt cui potiſſimum fides habenda ſit, non facile poſſit intelligi aut ad liquidum demonſtrari: quum interim medici etiam in his per omnia diſſentientes morbos feliciter tollant, medicinæ congruæ legitimo vſu.

XXIIII. Certe, ſi quod res dicere licet, empirici illi veteres fuerunt cordati & probi viri, qui bene intellexerunt ibi medicum deſinere, vbi philoſopus incipit: quique pro eo ſtatu, qui tunc erat, non poterant non cogitare de obice diſputandi libidini obtrudendo; nec omnem omnino medicinam amitterent. Quod vero diſputationum feruor longius eos, quam decebat, abripuerit, negari non poteſt: quoniam omnem viam, qua abditæ plurimæ cauſæ ſatis manifeſtæ redduntur, & ab illo tempore redditæ ſunt, præcludebant. Pulcram diſſertationem de hoc argumento hiſtoriæ ſuæ medicinæ inſeruit celeberrimus D. D. CLERICVS,* dignam ſane quæ iterum iterumque legatur & omnibus omnino medicis commendetur. Non multum ab eius mente recedit Illuſtris præceptor meus D. D. STAHLIVS, qui *parænesin ad allotria a medicina ſeparanda*, & diſſertationem admodum elegantem *de empiria rationali* ſcripſit.

* *Hiſtor. med. Part. II. Lib. II. capit. VI. pag.* 355 - 370. edit nouiſſ.

XXV. Auctoribus & parentibus empiricæ ſectæ nunc ſubiiciemus claros viros, qui in ea ætate hac floruerunt. CELSVS* Serapionem ſequutum eſſe ſcribit Apollonium. Sed non exigua eſt difficultas ex tot homonymis inuenire illum, qui hoc loco iuſtiſſime intelligendus fuerit. Si GALENVM** addimus, ille nobis duos Apollonios, patrem & filium, Antiochenos, laudat empiricæ ſectæ antiſtites. CELSVS*** ipſe in catalogo celebrium chirurgorum duos quoque Apollonios laudat: ſed ſi illos in animo habuit, quos Galenus, cur non hic quoque plurali numero eos laudauit. Apud CAELIVM AVRELIANVM** laudatur quidam Apollonius Glaucus, qui de interioribus morbis ſcripſit: & credere liceret apud Celſum ex vno Apollonio Glauco duos viros ſcribarum errore factos fuiſſe, niſi, Glaucias, tamquam empiricæ ſcholæ antiſtes, ab aliis toties eſſet laudatus. Plerique exiſtimant illum Apollonium, qui Mus cognominrtus eſt, parentem eſſe, & filium eius Glauciæ diſcipulum faciunt: ſed chronologiæ rationes nimis repugnant, nam Apollinii muris condiſcipulus fuit Heraclides Erythræus Straboni coæuus, qui circa tempora natiuitatis Chriſti floruit. Nomina Apolloniorum viſurus adeat Cel. D. D. FABRICIVM.* Nos in tanta incertitudine omnia in medio relinquimus, præſertim quum nihil, quod valde notatu dignum ſit, referre de ipſis poſſimus.

* *præfat. libr. I.* ** *in Iſagoge.*
*** *præfat. libr. VII.* ** *chronic. IV. cap. VIII.*
* *biblioth. Gr. Vol. XIII.* p. 74. ſeq.

XXVI. Glauciam poſt Apollonium ponit CELSVS, & aliquanto poſt Heraclidem Tarentium floruiſſe, commemorat. Eius crebra eſt mentio apud GALENVM,* ſed vix aliud memoratu dignum adfert, quam quod in Hippocratem, & ſeorſim librum epidemiorum ſextum,

com-

commentatus fuerit: id quod medicamentorum compoſitiones quasdam ab ipſo profectas laudat. PLINIVS** refert eius teſtimonium, quo boleti ſtomacho vtiles perhibentur: & quod dracontium ſilueſtre arum pronunciauerit***: ex quo colligimus ipſum etiam de plantis ſcripſiſſe.

* vide *Comment. in Epidem. VI. pag.* 442. Gr.
** *Hiſt. natur. lib. XXII. cap.* 23.
*** *libr. XXIIII. cap. XVI.*

XXVII. Nobiliſſimus veterum empiricorum & ſine controuerſia doctiſſimus pariter ac optimus fuit Heraclides Tarentinus, quem Mantiæ Herophilei diſcipulum, eumque imitatum fuiſſe non ſolum in re medicamentaria vlterius perficienda, verum etiam in parte medicinæ diætetica colenda, GALENVS* teſtatur. Seorſim duumuiris his hanc laudem tribuit, quod optimi ſint in hoc argumento auctores, nihilque ſcripſerint niſi quod optimum eſſet & ab experientia comprobatum.

* *comp. medic. ſec. l. lib. VI. p.* 252. *it. de comp. med. ſec. gen. lib. II.* ineunte, *& p.* 334. *ed. Gr.*

XXVIII. Etiam de ſimplicibus medicamentis ſcripſit, teſte eodem GALENO* & Diuo EPIPHANIO,** qui noſtrum inter auctores, qui *de herbis* ſcripſerunt, recenſet. Sed & in doctrina de pulſibus allegatur, in qua Herophilo contradicere auſus eſt. Chirurgia quoque tractauit in libro *de ratione curandorum eorum, quæ extrinſecus ſunt*, cuius quartum cum ſingulari auctoris encomio citat GALENVS***, quem quia de re notatu digna & iam olim hodieque controuerſia agit totum adſcribam: *Femur aliquando manere, ſi repoſitum ſit, locupletiſſimus teſtis Tarentinus Heraclides eſt, vir profecto, qui neque decreti confirmandi cauſa mentitus eſt, vt plerique*

plerique ex dogmaticis & decreta ſectantibus conſueuerunt: ſed, ſi quisquam alius fuit, ipſe operum medicinæ admodum peritus exſtitit. Subiungit deinceps longiuſculum Tarentini ſermonem, ex quo apparet ipſum chirurgiam feliciter exercuiſſe, duobusque pueris femur elapſum repoſuiſſe, vt loco manſerit: quibus exemplis illos refutare vult, qui perhibuerunt femur repoſitum non manere, propterea, quia diuulſus neruus fuerit, qui ad acetabulum coxæ femur continet.

* *de medic. ſimpl. facultat. lib. VI.* ineunte.
** *de hæreſibus I.* ineunte.
*** *Comment. IV. in Hipp. de articulis p.* 653. conf. CELSVS *lib. VIII. cap. XX.*

XXVIIII. In omnia Hippocratis opera noſtrum commentaria ſcripſiſſe GALENVS* etiam auctor eſt. Et practicorum eius operum notitiam præbet CAELIVS AVRELIANVS, *qui interiorum paſſionum curationum libros* laudat, & ex iis paſſim aliqua ſpecimina, quorum quædam mox viſuri ſumus, affert: Idemque auctor commemorat eius *librum regularem* ſeu diæteticum: vt & alium *Nicolaus* inſcriptum.

XXX. Quod ad praxin pertinet CORN. CELSVS* laudat illud conſilium, quo iubet febricitantibus, vbi aut bilis ægrum, aut cruditas male habet, per modicas potiones ſubinde nouam materiam corruptæ miſceri: ſed febris quartanæ curationem ab eodem propoſitam minime probat.** Iuſſerat autem primis diebus aluum ducere: deinde abſtinendum in ſeptimum diem dixerat: quod vt ſuſtinere aliquis poſſit, tamen etiam febre liberatus vix refectioni valebit, adeo, ſi febris ſæpius acceſſerit, concidet.

* *Libr. III, cap.* 6.
** *eodem, cap. XV.*

XXXI.

XXXXI. Apparet ex dictis Heraclidem, & reliquos empiricos, quantumuis medicamentariæ rei ſtuduerunt, proinde tamen non neglexiſſe partem diæteticam, quæ præcipue abſtinentia, & cibis potuque tempeſtiue dandis, pugnabat: vereque CELSVM ſcripſiſſe: *in duas partes ea quoque, quæ victu curat, medicina diuiſa eſt, aliis rationalem artem, aliis vſum tantum, ſibi vendicantibus.*

XXXXII. Vt vero eumdem etiam videamus per medicamenta curantem, ex CAELIO AVRELIANO* intuebimur, quo pacto anginæ ſit mederi ſolitus. Poſtquam ſanguinem deduxerat, vomitum concitabat, panace Heracleo, origano, rhoe et cæpulis germanis contuſis et in mortario æneo ſatis diu, affuſo vino, relictis; quam maſſam vſus tempore hydromelite diſtemperabat. In eodem morbo elaterium dabat ſatis magna doſi.

* *de paſſion. acut. Lib. III. cap.*

XXXXIII. Diximus ſupra frequentem caſtorei et opii vſum fuiſſe empiricis. Huius aſſerti exemplum dabimus antidotum Heraclidæ noſtri, ex eius libro ad Aſtydamantem a GALENO* allatam, & ad omnes venenatorum animalium morſus, dolores vehementiſſimos, vt & vteri ſtrangulatum, commendatum. Accipit autem *ſucci cicutæ, hyoſcyami, ſingulorum drachmas quatuor, caſtorei, piperis albi, coſti, myrrhæ, opii, ſingulorum drachmam vnam. Haec comminuta, paſſi cyathis duobus additis, in ſole tam diu commiſcebis, quoad denſeſcant, inde rotulas confinges, quæ magnitudinem fabæ Græcæ non excedant; harum ſingulas ex vini cyathis duobus tradito.*

* *de antidot. II. pag.* 451. Gr.

XXXXIIII. Heraclidem noſtrum CAELIVS AVRELIANVS* vocat *poſteriorem atque omnium probabiliorem in-*

ter ſuos. Neſcio an lectio ſit integra, & annon exciderit vocula *nemini.* Sed ſi ſane ita ſcripſit, minime recte calculos poſuit; inuenimus enim recentiores, vt Menodotum, qui demum poſt Aſclepiadem ſcripſit, aliosque, de quibus alio tempore diſpiciemus.

CAP. V.

De Medicinae in tres partes diductione.

CONSPECTVS.

Celſi locus de medicinæ diductione in tres partes. I.
Quid illud diduci denotet. II.
Non intelligendum eſſe de diſſectione aut diſtractione. III.
Quo pacto medicina diducta ſit. IIII.
Comprobatur ſententia noſtra ex ipſo Celſo. V.
Aliorum ſententia. VI. VII.
Quæ ab ipſo Celſo refellitur. VIII. VIIII.
Quo pacto res medicamentaria amplificata ſit. X.
Illi miniſtrabant pharmacopolæ. XI.
Quorum aliqui circumforanei & agyrtæ erant. XII.
Neque minus herbarii: eorum vanitates. XIII.
Et ſeplaſiarii. XIIII.
de chirurgis claris; ſeorſim Nileo. XV.
de Nymphodoro. XVI.
plures chirurgi a Celſo laudati. XVII.
de Ammonio lithotomo. XVIII.
de Soſtrato, Herone & Gorgia. XVIIII.
de ſtatu felici chirurgiæ huius periodi. XX.

I.

CORNELIVS CELSVS* poſtquam dixerat morborum curationem & rerum naturæ contemplationem ſub iisdem auctoribus natam eſſe, Hippocratem vero primum ex omnibus memoria dignis, ab ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc ſeparauiſſe: poſt quem Diocles Caryſtius, deinde Praxagoras & Chryſippus, ſic artem hanc exercue-

ercuerunt, vt etiam in diuerſas curandi vias proceſſerint: hæc deinceps ſubiungit: *Iiſdem temporibus in tres partes medicina diducta eſt, vt vna eſſet quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu mederetur Primam* διαιτητικὴν, *ſecundam* Φαρμακευτικὴν *tertiam* χειρουργικὴν *Græci nominauerunt.* Valde notabilis hæc medicinæ diductio in partes videtur: adeoque operæ pretium fuerit illam paulo accuratius conſiderare. *

* *præfat. Libr. I.*

II. Notanter autem Celſus dicit *diductam eſſe*, quod quidem, ex vſu Latinæ linguæ, idem eſſe, mihi quidem, videtur, ac ſi dixiſſet compreſſas antea et contractas artis ſalutaris partes, poſtquam illa ab Aſclepiadis primum, deinde philoſophis, liberata fuit (quorum illi eam ſuperſtitionibus innexam tenebant, hi tamquam parergon tractabant, & ſophiſticis diſputationibus irretiebant) amplius ſeſe explicuiſſe, quemadmodum flores tempeſtiue diducuntur, aut manus compreſſa explicatur, omnesque ſuas partes pulcre libereque oſtendiſſe; atque, vt verbo dicam, quicquid ad perfectionem partium ſuarum requiri poterat, breui conſequutam eſſe.

III. Celſo autem in animum non veniſſe, vt dicere vellet medicinæ totum corpus diſſectum quaſi aut diſtractum in tres diſiunctas partes fuiſſe, quisquis attente ipſum legit, ſtatim intelligere debet: & tota hiſtoria, quam hactenus proſequuti ſumus, docet, non ſolum Hippocratem, Dioclem, Praxagoramque æque victu præſcribendo ac medicamentis & chirurgiæ præſidiis hominibus profuiſſe: verum etiam Herophilum, Eraſiſtratum, atque ab his deductos viros, itemque empiricos, qui rationalem diſciplinam abdicauerant, non minus victu, quam medicamentis & manuum inſtrumentorumque opera, pro eo ac neceſſitas poſtulauerat, ægris ſuccurriſſe.

IIII. Illud igitur diduci non aliud quid ſignificat, quam quod ab hominibus, qui ſe medicinæ ſeorſim colendæ totos conſecrauerant, variis modis locupletata fuerit: aliis rationem per victum & exercitia, perque balnea frictiones & inunctiones, bonum habitum corporis vel comparandi vel reparandi perficientibus, aliis medicamenta, præſertim alterantia & appropriata quibusuis morbis, adinuenientibus, vel ab aliis inuenta ad vſum certiorem & frequentiorem non amplius celantibus, ſed ſcripta eadem ſine inuidia communicantibus: aliis demum compendia varia oſtendentibus, quibus iis, qui manuum aut inſtrumentorum ope indigebant, ſuccurri poſſit.

V. Atque eam eſſe Celſi mentem ipſemet ſatis declarat. Sic vbi librum quintum orditur, ita infit: *Dixi de his malis corporis, quibus victus ratio* MAXIME *ſubuenit: nunc tranſeundum eſt ad eam medicinæ partem, quæ* MAGIS *medicamentis pugnat. — Id ante omnia ſcire conuenit, quod omnes medicinæ partes ita connexæ ſint, vt ex toto ſeparari non poſſint; ſed ab eo nomen trahant, a quo plurimum petunt. Ergo vt illa, quæ victu curat, aliquando medicamentum adhibet, ſic illa, quæ præcipue medicamentis pugnat, adhibere etiam rationem victus debet, quæ multum admodum in omnibus malis corporis proficit.* In ipſo autem ſermonis progreſſu, vbi curationem gangrænæ docet,* hæc effatur: *præcipueque in hoc caſu petendum, non a medicamentis ſolum, ſed etiam a victus ratione, præſidium eſt.* Atque idem auctor, vbi ad chirurgica præſidia tradenda progreditur, ſeptimi libri initio hæc ponit: *tertiam eſſe medicinæ partem, quæ manu curet, & vulgo notum & a me propoſitum eſt. Ea non quidem medicamenta atque victus rationem omittit: ſed manu tamen* PLVRIMVM *præſtat.*

* *Lib. V. cap. XXVI. §. 34.*

VI. Sunt

VI. Sunt qui diductionem hanc ita accipiunt, tamquam ex eo tempore medicus, pharmacopœus & chirurgus medicinæ profeſſionem inter ſe fuerint partiti, ſic vt medici diætetica parte contenti, & reſeruato quaſi iure architectonico in pharmacopolam & chirurgum, huic manuali omni opera, illi medicamentorum præparandorum cura, ceſſerint: quem conceptum ex hodierna medicinæ conditione ad veterem eius ſtatum, ſaltem ad hæc tempora, de quibus nunc agimus, ſecure referre non licet.

VII. Porro aliqui videntur, vt ſibi conceptum de priſtina medicina pharmaceutica & chirurgica formarent, diſpoſitionem Celſi de medicina librorum maxime reſpexiſſe, quorum primi quatuor de diætetica, quintus & ſextus de pharmaceutica, duo poſtremi de chirurgica parte agunt. Adeoque credunt chirurgo olim nihil aliud relictum fuiſſe, quam vbi ſcalpello in manu opus eſt: id eſt, vbi ſecare & vrere oportet: ſed curationem vulnerum & vlcerum, quatenus imponendis emplaſtris, mundificantibus, ſanguinem ſiſtentibus, ceteris, pugnatur, ad pharmaceutam olim pertinuiſſe.

VIII. Enimuero ipſemet CELSVS hanc ideam veteris chirurgi tollit initio libri ſeptimi, vbi profitetur chirurgos vulnerum quoque & vlcerum multorum curationes ſibi vindicare: atque ſe quidem, doctrinæ diſtinctioris cauſa, de his alibi dixiſſe; libris ſcilicet quinto & ſexto: ſeptimo autem & octauo ea reliquiſſe, in quibus vulnus facit medicus, non accipit; & in quibus vulneribus vlceribusque plus profici manu, quam medicamento, credidit: tum, quicquid ad oſſa pertinet. Adeoque clarum eſſe puto Celſum non id curaſſe, vt determinaret quid pharmaceutæ vel chirurgo ſuſcipere

liceat vel incumbat, ſed lectori conſulere voluiſſe, vt de quauis curatione ſuo loco poſſet inſtrui.

VIIII. Interim ego neutiquam nego fuiſſe olim aliquos, qui interiorum morborum curatione aliis relicta, chirurgiæ ſoli exercendæ ſeſe traderent: aut prorſus ex late patenti eius ambitu ſolam & vnam partem ſibi ſumerent, in qua toto ſtudio elaborarent, exemplo medicorum oculariorum: verum vmquam fuiſſe tales chirurgos, qui nil niſi inciſiones facerent, cauterium applicarent, aut luxata fractaque curarent, reponendo; deinde vero ſanguinis ſiſtendi curam pharmaceutæ traderent, vel eſcharæ lapſum poſt inuſtionem eidem procurandam relinquerent, omninoque medicamentorum vſum euitarent: tales, inquam, vmquam fuiſſe nullo pacto perſuadere mihi poſſum, omniumque minime a Celſo, vel probabili argumento, ad hoc credendum inducor.

X. Quum hæc clara ſatis ſint, addere nunc decet ea, quæ nobis comperta ſunt, ad rem pharmaceuticam & chirurgicam huius noſtræ periodi pertinentia. Et rem quidem medicamentariam valde auctam eſſe iam ſupra variis locis innuimus: peculiariter autem doctrinam venenorum, & ſingulis venenis opponendorum alexipharmacorum, magno ſtudio cultam eſſe, ſupra,* vbi de Thraſya Mantinenſi loquebamur, innui. Eam oportet hac ætate iam valde fuiſſe prouectam, ſiquidem Eraſiſtratus theriacalium magnarum compoſitionum cenſuram, vt ſupra vidimus, inſtituit. Sed quod illud argumentum a poſteris magis excultum fuit, Mithridatis & Attali Pergameni maxime ſtudio, quorum ætas in vlteriora tempora incidit: vbi ad ea deuenerimus plura de hac re diſſeram.

*pag. 470. §. XXXV.

XI. Me-

XI. Medicamentariæ rei inſeruiebant multi, qui integram medicinam nec callebant, nec profitebantur. Tales erant pharmacopolæ, quorum conditionem ex THEOPHRASTO ERESIO*cognoſcimus. Scilicet is aperte diſiungit pharmacopolam & medicum, vbi Thraſyam pharmacopolam vocat; de diſcipulo autem eius Alexiade refert, quod reliquæ etiam vniuerſæ medicinæ gnarus fuerit. De Eudemo Chio, etiam pharmacopola, refert, quod vno die viginti duas ellebori albi potiones adſumſerit, nec tamen purgatus aut impeditus fuerit, quo minus in foro apud merces ſuas ſederet, (ἐν τῇ ἀγορᾷ καθήμενος ἐπὶ τῶν σκευῶν.) donec ad cœnam abire tempus moneret.

* *Hiſt. plant. lib. IX. cap. XVIII.*

XII. Apparet ex hac hiſtoria iſtiusmodi homines fora frequentaſſe, &, vt emtores allicerent, ſuarumque mercium fiduciam ipſis facerent, ad oſtentationes iſtiusmodi veniſſe, quales in agyrtis iam olim obſeruatæ ſunt, nec raro hodie viſuntur. Inde nomina etiam acceperunt varia; vocantur enim modo ἀγυρταὶ, modo ὀχλαγωγοὶ, quod populum ad ſe allicere ſuis nugis ſolebant, modo ἐπιδίφριοι, *ſellularii medici*, quod in foro mercibus ſuis aſſidebant.

XIII. Pharmacopolis porro & medicis inſeruiebant οἱ ῥιζοτόμοι, *herbarii*, & videntur illi ſæpe ſimul pharmacopolæ fuiſſe, id eſt merces ſuas hinc inde collectas per fora & compita venum expoſuiſſe. Eodem THEOPHRASTO * auctore diſcimus, herbarios de plantis & radicibus colligendis & effodiendis multas tradidiſſe obſeruationes, quarum quaſdam, de tempore & modo, non omnino improbat: plurimas autem ad vanam oſtentationem aut impias ſuperſtitiones pertinentes, traducit. Sic mandragoram enſe ter circumſcribere iubebant,

bebant, & alterum ſuccidere ad occaſum ſpectando: alterum circumſaltare, plurimaque de re venerea recitando; aut libamina offerenda & quæ ſunt aliæ id genus ineptiæ, de quibus, præter Theophraſtum, alii etiam auctores nos certiores reddunt.

* *hiſtor. plant. Lib. IX. cap. IX.*

XIII. Quemadmodum vero herbarii ea vegetabilis regni ſimplicia, quæ indigena aut propinqua erant, in promtu habebant, medicisque petentibus ſuppeditabant: ita reliquas merces, & præſertim peregre aduehendas, ex ſeplaſiis petere debebant, quæ non ſolum pro medicinis, verum etiam in vſum pictorum, tinctorum & omnis generis artificum & opificum, talia procurabant. Sed apud Romanos, PLINII * quidem æuo, ſeplaſiarii non ſolum materias crudas vendebant, verum etiam præparata & compoſita exhibebant: quod quidem an hoc tempore, de quo nos agimus, apud Græcos & Alexandrinos etiam factum ſit, compertum non habeo.

**Hiſtor. natur. lib.* XXXIIII. *cap.* XI. En ipſius verba: *atque haec omnia medici, quod pace eorum dixiſſe liceat, ignorant, pars maior & nominibus in tantum a conficiendis medicaminibus abſunt, quod eſſe proprium medicinæ* SOLEBAT. *Nunc quoties incidere in libellos, componere ex his volentes aliqua, hoc eſt, impendio miſerorum experiri commentaria, credunt ſeplaſiæ, ea omnibus quidem fraudibus corrumpenti: factaque iam pridem emplaſtra & collyria mercantur, tabesque mercium. Fraus ſeplaſiæ ſic exteritur.* Manifeſtum autem eſt Plinium de ſuæ ætatis conditione loqui, bene gnarum, quod medici olim ipſi componere medicamenta fuerint ſoliti.

X.V. Sed de pharmaceuticæ rei conditione, qualis poſt aliquod tempus illa euaſit, alibi diſpiciemus: nunc de chirurgicæ diſciplinæ diligentioribus clarioribusque cultoribus aliquid ſubiungendum eſt. Heraclides

Taren-

Tarentinus apud GALENVM * adductus laudat, præter alios iam allatos vetuſtiores, Euenorem, Nileum, Molpidem & Nymphodorum: quos ſingulos ad periodum noſtram pertinere exiſtimo: ſed parum, quod referre operæ pretium faciat, de ipſis adfert, præter hoc vnum, quod femoris articulum elapſum reponi & retineri poſſe adfirmauerint. Nileum vero non ſolum chirurgiam amplexum eſſe, ſed morbis etiam internis medelam afferre ſtuduiſſe præſidiis pharmaceuticis, ex eodem GALENO ** intelligimus, qui eius malagma valde laudat, & ſatis ab antiquo celebrem omnibusque notam medicinam vocat. Forte illud eſt quod CELSVS *** nobis conſeruauit: qui eundem celebrioribus chirurgis pariter adnumerat. ** Apud ORIBASIVM * eſt deſcriptio machinæ tractoriæ quæ Nilei plinthium vocatur, ob figuram quadratam oblongam, qua præditum fuit.

* *comment. IV. in de artic. pag.* 653. Gr.
** *de compoſ. medic. ſec. loc. lib. II. pag.* 182.
*** *Lib. V. cap.* 18. §. 9. ** *lib. VIII. cap.* 20.
* *de Machinamentis cap. VIII.*

XVI. Nymphodorus etiam apud CELSVM * laudatur inter eos qui machinas luxatis partibus adinuenerunt: eſtque apud ORIBASIVM ** deſcriptio gloſſocomi ab ipſo inuenti. Hunc quoque rem medicamentariam agitauiſſe diſcimus ex PAVLO AEGINETA *** & AETIO qui vltimus paſtillos eius ad dyſenteriam commendat Archigenis auctoritate, & deſcriptionem ponit. Sunt autem in clyſtere diſſoluti ano iniiciendi, multumque auripigmenti, calcis viuæ & ſandarachæ habent.

* *libr. VIII. c.* 20. ** *Libr. VII. cap. XII.*
*** *tetrabibl. III. ſerm. I. cap.* 49. Scribitur quidem nomen apud Aetium Nymphodotus: videtur tamen nihil eſſe diuerſus.

XVII. Quum de his ab Heraclide laudatis ſatis eſſe certi poſſimus quod noſtra periodo iuniores eſſe nequeant: de illis, quos CELSVS * laudat, magis incerti dubiique ſumus ad quam illi ætatem referri debeant. Ita autem ſcribit: *in Aegypto quoque chirurgia increuit, Philoxeno maxime auctore, qui pluribus voluminibus hanc partem diligentiſſime comprehendit. Gorgias quoque & Soſtratus & Herones & Apollonii duo, & Ammonius Alexandrinus, multique alii celebres viri, ſinguli quaedam repererunt.* Alibi etiam Protarchum laudat inter eos, qui machinas extendendo femori luxato repererunt. Inter hos laudati Apollonii iam ſupra fuere attacti, deque iis dixi obſcuram eſſe eorum ætatem omnemque hiſtoriam ob homonymos plures, quos non facile extricare & diſcernere licet.

* *Libr. VII. præf.*

XVIII. De Ammonio CELSVS* hoc ſingulare prodit, quod lithotomus fuerit appellatus, quoniam calculos veſicæ maiores, quique niſi rupta ceruice extrahi non poſſint, findendos docuerit. Modum id perficiendi Celſus non omiſit, apud quem relegatur. Hunc quoque medicamentariæ rei ſtuduiſſe, comprobat apud AETIVM** commendata compoſitio ex ſandaracha, auripigmento, chalcitide & calce, quæ ad cruſtam inurendam, & ſanguinem citra mordacitatem & efficaciter ſiſtendum laudatur, & ad Ammonium chirurgum refertur.

* *Libr. VII. cap. 26. §. 3.*

** *tetrabibl. IIII. ſerm. II. cap. LI. pag. 718. ed. H. Steph.*

XVIIII. Gorgiam Soſtratum & Heronem CELSVS * noſter iterum adducit, vbi de hernia vmbilicali agit. Sed de ætate illorum mihi prorſus nihil conſtat.

* *Lib. VII. cap. 14.*

XX. Vti-

XX. Vtinam ſcripta horum virorum ad nos perueniſſet, liceret ſane de omnibus copioſius referre. Illud ſatis apparet quod chirurgiam tunc non timide tractauerint, ſed operationes magni momenti, vt calculi exciſionem & herniarum chirurgicam curationem ſuſceperint. Iſtud etiam manifeſtum eſt, quod non omnia ſolis inſtrumentis manibusque peragere conati ſint, ſed quod iidem etiam medicamentariam opem ægrotis ſuis adhibuerint; ſine dubio etiam diætetica præſidia tempeſtiue ordinauerint: prorſus vt ſecure perhiberi nequeat hac noſtra periodo ſollemnem diuiſionem trium medicinæ partium in totidem ſeparatas profeſſiones factam fuiſſe.

CAP. VI.

De Medicinæ Græcanicæ apud Romanos aduentu.

CONSPECTVS.

Ante Archagathum medicinam Romæ fuiſſe. I.
Romanorum medicina religioſa. II.
Quid in publica lue fecerint. III.
Apollinis & Aeſculapii religio Romam translata ex Græcia. IIII.
Cultus Aeſculapii aperitis exceptus Romam ſimul translatus eſt. V.
Tabulæ votiuæ in templo Aeſculapii Romano. VI.
Templum Aeſculapii extra vrbem fuit. VII.
Et medici ante Archagathum Romæ fuerunt. VIII. VIIII.
de ſexcentis annis, quibus Roma medicis caruiſſe dicitur. X.
Nullam vmquam legem fuiſſe, qua medici Roma pellerentur. XI.
Inconcinnitas fabulæ huius. XII.
Quomodo Plinius, de ſexcentis annis loquens, intelligendus ſit. XIII.
Qualis medicina inquilina Romanorum fuerit, ex Catone oſtenditur. XIIII - XVI.
De Catonis odio erga Græcos & ſeorſim medicos. XVII.

de cauſa odii tanti. XVIII.
Archagathi fata. XVIIII.
Vnde Romanorum auerſatio maſculæ chirurgiæ orta ſit XX.
Quid Archagathi exemplo inſequuti medici didicerint. XXI.
de Archagathi libera conditione. XXII.

I.

Ante quam Græcanicæ medicinæ in vrbem orbis dominam aduentum referamus: non iniuria quærimus, quali medici hæc vrbs vſa fuerit, antequam Græci cum ſua aduentarent. Nam quum, teſte PLINIO *, conſtet primum e medicis veniſſe Romam Peloponneſo Archagathum Lyſaniæ filium, L. Aemilio & M. Liuio Coſſ. anno vrbis DXXXV. fieri non potuiſſe videtur, vt tam longo tempore respublica illa medicina carere potuerit. Ipſeque Plinius, qui ante hæc tempora medicos Græcos Romæ fuiſſe negat, medicinam fuiſſe concedit his verbis: *ceu vero non millia gentium ſine medicis degant, nec tamen ſine medicina: ſicut populus Romanus vltra ſex centeſimum annum. nec ipſe in accipiendis artibus lentus, medicinæ vero etiam auidus, donec expertam damnauit.*

* *Libr.* XXIX. *cap.* I. Nolo iam multis inquirere ſatis ne recte vel conſules hic denominati ſint, vel annus DXXXV. adſcribatur: certe in chronologia Liuiana CAROLI SIGONII his conſulibus annus DXXXI. numeratur.

II. Equidem hiſtorias conſulens inuenio non pauca, quæ in publicis morbis religioſe fieri ſolebant, ſiue vere patres Romanæ reipublicæ crediderunt deos flecti ad commiſerationem ſic poſſe & debere, ſiue ad ſuſtentandam populi patientiam, ſpemque erigendam talia ſuſceperunt. Satis autem manifeſtum eſt & obuium illos publice voluiſſe credi & morbos in genere a diis immitti, & ſeorſim publicos illos ſeu epidemios. Nam quod febrem pro deo coluerint, ipſique fanum,

vel plura etiam fana, in vrbe dedicauerint, ex teſtimoniis CICERONIS,* PLINII** & AVGVSTINI*** indubium tenemus. Sed & priuatis morbis auerrunci dei erant. Sic Syluanum deum per noctem ingredi & puerperas vexare; id vero ne fiat impedire tres deas, Intercidonam, Pilumnam & Deuerram, M. VARRO apud AVGVSTINVM ** auctor eſt. Supra * attigimus quas partes Marti furenti in peſtilentia Græci tribuerint: viderique poteſt Romanos non diſſimilia credidiſſe, ſi quis ſeditioſorum tribunorum orationem apud PLVTARCHVM ** conſiderauerit.

* *de nat. Deor. III. febris*, inquit, *fanum in palatio conſecratum videmus.*

** *lib. II. c.* 7. ad quem locum DALECHAMPIVS notat tria omnino Romæ fuiſſe fana febri dicata.

*** *de ciuitat. dei. lib. IV. cap.* 15.

** Ibidem *lib. VI. cap.* 9. * *pag.* 69. §. 6.

** in *vita Marc. Cai. Coriolani*, cauſantur ibi, indignum minimeque ferendum eſſe, quod pauperum hominum turba in vrbem contagioſo aere infeſtam & cadauerum inhumatorum aceruis repletam, tamquam in barathrum, detrudi deberet, vt ibi apud peregrinum & ſanguinarium deum habitent; (ἀλλοτρίῳ δαίμονι καὶ παλαμναίῳ συνοικιζομένους.) vbi quidem Martem intelligi exiſtimo.

III. Quoties itaque publica aliqua calamitas in ciuium vitam valetudinemque ſæuiebat; quod ſæpius factum eſſe vel ex vno LIVIO ſatis intelligitur, * pontifex maximus piacula iræ deum conquirere iubebatur, decemuiri libros inſpicere debebant Sibyllinos, & ex iis, quæ malo medela adhibenda ſit, exquirere. Tunc fere Apollini, Aeſculapio, Saluti, dona vouebantur, ſupplicationes valetudinis cauſa edicebantur, lectiſternia fiebant, ludi ſcenici peragebantur, & clauus dextro lateri ædis Jovis O. M. figebatur, ea ex parte, qua Mineruæ templum eſt: cui ritui dictator ſeorſim creari de-

bebat. De ſingulis his prolixius hic agere neque licet, neque opus eſt, quum ex Romanæ hiſtoriæ principe LIVIO ſatis hæc & facili opera intelligi quæant.

* Adde LANCISIVM *de aduentitiis Romani cœli qualitatibus*, ubi *Marſilium Cagnatum* laudat, qui ſtudioſe numerum earum collegerit. Ipſe vero bene iudicat non fuiſſe omnes veras peſtilentias, ſed epidemias ex aquarum ſtagnantium vitio ortas: quibus emendandis ſtudium patrum inſudauit cloacis ſtruendis & reliqua aquarum ſumptuoſiſſima cura.

IIII. Illud tantum addimus peſtilentiæ cauſa factum fuiſſe, vt ædes Apollini, pro valetudine populi, voueretur: quod A. V. CCCXXI. accidit: & Aeſculapius ab Epidauro Romam A. V. CCCCLX. accerſeretur. De hoc quidem multi auctores referunt: ſed in epitomis Liuianis*, ſequentia legimus: *Quum ciuitas peſtilentia laboraret, miſſis legatis, vt Aeſculapii ſignum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui ſe in nauem eorum contulerat, in quo ipſum numen eſſe conſtabat, deportauere: eoque in inſulam Tiberis egreſſo, eodem loco ſedes Aeſculapio conſecrata eſt.*

* *libr. XI.*

V. VALERIVS MAXIMVS, vbi de Aeſculapio Romam aduecto exponit, * inter alia notanter hæc ſcribit, *legatos Romanorum cultu anguis a peritis excepto* Epidauro ſoluiſſe. Vero autem ſimile & Apollini ac Aeſculapio Romam perducto ſacerdotes ſuos tributos fuiſſe a quibus patrio ritu colerentur: vnde nihil vereor affirmare, ab eo tempore, quo Aeſculapius Romam accitus venit, aliquid Græcanicæ medicinæ ibidem ſtabilitum; ſaltem Aſclepiadarum illam priſtinam ibi introductam fuiſſe.

* *libr. I. cap. VIII.* quod *de miraculis* inſcribitur.

VI. Neque multum a vero hanc ſententiam abludere, vel illud confirmat, quod antiquitatum Romanarum collectores nobis aſſeruarunt quaſdam inſcriptiones

ptiones ex Romano Aeſculapii templo deſumtas, in quibus conſignatum eſt quid auxilii cauſa Aeſculapius ſuggeſſiſſet. Has vero vt dubitet aliquis antiquiſſimas eſſe; ſaltem illud comprobare mihi videntur, Aeſculapio Romanos, perinde vt Græci ſuo, fuiſſe vſos, ab eoque morborum auxilia petiiſſe: quæ quoniam ipſe putatitius deus per ſe dare non poterat, dediſſe ſacerdotum habitu velatos medicos conſequitur: vt adeo illud a Plinio traditum Græcanicæ medicinæ apud Romanos principium haud omnino ſit adeo certum, vt non antiquiorem in ipſa vrbe Roma ſedem illius intelligamus.

VII. Nolo iam multis inquirere in cauſas illas, cur Romani templum Aeſculapio extra vrbem poſuerint. Videtur PLINIVS* ex eo elicere velle, factum id ex contemtu quodam fuiſſe. Enimuero cur Romani honorifica legatione ab Epidauriis petierint, quem contemnebant? Sine dubio extra vrbem ægrotantium perfugium propterea poſuerunt, quod Epidauri etiam Aeſculapius quinque millia paſſuum ab vrbe remotus habitabat; & quod omnino vtilius ciuitati videbatur, ſi ægroti extra illam potius confluerent, quam in media vrbe.

* *Libr. XXVIIII. cap.* I. adde PLVTARCHVM *in Quæſt. Rom. quæſt.* 94.

VIII. Sed nec ante hæc tempora apud Romanos defuiſſe medicos, cuiuscunque inſtituti fuerint, ex DIONYSIO HALICARNASSENSI colligo. Is namque de ſæua peſtilentia, quæ A. V. CCLXXXII. Romæ graſſabatur, inter alia ſcribit, * *quod contra medicamenta, aliaque morborum leuamina, contumax fuerit.* Idemque auctor longe clarius de illa lue, quæ vrbem anno CCCI. depæſta eſt, commemorat, ** nec medicos in tanta ægrotantium multitudine ſuffeciſſe, nec domeſticorum atque amicorum miniſteria, vnde factum fuit vt multæ domus deſolarentur ob curantium inopiam.

* *Antiquit. Rom. lib. IX. pag.* 599. ** Ibidem *libr. X. pag.* 677.

VIIII.

VIIII. Fuere itaque Romæ ante Archagathi aduentum medici & medicina: neque dici poteſt quod omnino nihil Græcanicæ medicinæ admixtum fuerit, quum totus Aeſculapii cultus a Græcis vt comiter petitur, ſic benigne traditus fuerit. Quum vero nihil conſignatum ſit qualis tam medicorum conditio, quam ipſius medicinæ illius fuerit, præter paucula, quæ ex Catone PLINIVS conſeruauit: ex illis ſpecimina ejus capere deinceps volumus.

X. Ante vero quam ad hanc indagationem deſcendamus, quærere debemus ſexcentos illos annos, in tot libris decantos, quibus Roma medicis & medicina caruiſſe perhibetur, non quod nulli apud eos hanc artem agitare voluerint, ſed quod ſenatus conſulto medici Roma pulſi fuerint. Hanc fabulam vsque adeo ſecure nonnulli clari medici admiſerunt, vt etiam in ſcriptis ſuis oſtendere laborarent nullam ex hoc exſilio ignominiam in medicorum ordinem redundare debere. En vnius verba: *medicina culpa ſeueri illius Catonis, paulo ſerius ad Romanos peruenit. Ille enim binas ob rationes lege cauerat, ne medicus Græcus, aut Arabs Aegyptiusue intraret vrbem. Prima harum erat, quod a ſæuitia atque crudelitate abhorreret medentium, qui morbos vrendo & ſecando ad ſanitatem perducere conabantur. Artem enim ipſam non damnabat, verum eius profeſſores. Altera ne Romana caſtitas, ſobrietas, fortitudoque Aegiptiorum, maxime autem Græcorum luxu effoeminaretur: — Hæc lex ſeueriſſime eſt obſeruata ad annum* V. C. DXXXV. *quo Archagathus Lyſaniæ filius primus ex Peloponneſo Romam venit.*

XI. Etſi vero hic fabuloſum illud tempus ſexcentorum annorum diſertis verbis non expreſſit, alii tamen facile obuii auctores clare teſtantur ſe credere fuiſſe olim

apud

apud Romanos legem latam, quæ medicos vrbe pelleret & per ſexcentos annos ab ea detineret; huiusque ferendæ auctorem fuiſſe Catonem. At vero eiusmodi lex numquam certe lata fuit; omniumque minime a Catone lata fuit aut ferri potuit. Notum quidem eſt Catonem Cenſorium in illa nobili trium ſapientiæ procerum ab Athenis legatione, audito Carneade, quam primum legatos dimittendos eſſe cenſuiſſe, quoniam illo viro argumentante quid veri eſſet haud facile diſcerni poſſet: illumque ſemper alioquin vniuerſos ex Italia pellendos cenſuiſſe Græcos *: enimuero reliquos Romani ſenatus patres ipſi conſenſiſſe & Græcos, Arabesue aut Aegyptios medicos Roma pepuliſſe, id numquam probari poterit.

* videatur PLINIVS *libr. XIX. cap. I.* conferatur PLVTARCHVS *in vita Catonis Maioris*, vbi & mores huius viri bene deſcribuntur, & ſeorſim exponitur quid illius legationis occaſione, iam tum ſenex, egerit. Duos tantum legatos adfuiſſe, Carneadem Academicum & Diogenem Stoicum, Plutarchus ſcribit.

XII. Non iam dicam quam inconcinnum ſit quod Arabes medici hoc tempore illis adiungantur, qui Romam venire prohibebantur: ſed illud tantum oſtendam, contra omnem hiſtoriæ & chronologiæ fidem dici, legem a Catone latam ſeueriſſime obſeruatam fuiſſe, vsque ad illum annum, quo Archagathus ex Peloponneſo Romam venit, illorumque ſexcentorum annorum finem fecit. Nam Cato ille Cenſorius tunc temporis, quo Archagathus Romam appulit, puer quindecim admodum annorum fuit, qua ætate ipſum leges ferre non potuiſſe manifeſtum eſt.

XIII. PLINIVS igitur, quando Romam ſexcentis annis ſine medicis fuiſſe ſcribit, numerum rotundum poſuit, aut reſpexit illum annum, quo Cato viuere deſiit, qui fuit vrbis conditæ DCIIII. Medicos autem profeſ-

ſos & Græci inſtituti intellexit, quorum ad hæc vsque tempora Roma & Italia nondum multos habuerat. Legem autem iſtiusmodi a Catone latam & inſequutis temporibus obſeruatam fuiſſe, tantum abeſt vt vllo idoneo argumento comprobari poſſit, vt potius ab hoc tempore Romam Græcos medicos ſemper habuiſſe, & numquam Græcorum magnos patronos Romæ defuiſſe, manifeſtum ſit.

XIIII. Qualis igitur Romanorum inquilina, ante Græcos admiſſos, medicina fuerit, diſpecturi, cogimur Marcum Catonem, toties iam dictum, in ſubſidium vocare, etſi cum ipſa pueritia noſtram periodum iam migrauit. De hoc viro PLINIVS, vbi librum hiſtoriæ ſuæ XXVIIII. orditur, commemorat, quod commentarium ſcripſerit de medicina, qua vſus & ſe & coniugem vsque ad longam ſenectam perduxerit, qua filio mederi ſolitus ſit & ſeruis familiaribus. Dicit deinde, ea ipſa in hoc libro fuiſſe poſita, de quibus in hoc libro tractare conſtituerit. Agit autem in illo de medicinis ex animalibus capiendis. Cum Plinio bene conuenit PLVTARCHVS,* qui docet *ſcriptum ab eo eſſe librum de ratione, quam in curandis domeſticorum morbis teneret: nemini ſe ægroto ieiunium indixiſſe, ſed oleribus, carnibus anatum, palumbis aut leporis nutrire: hanc victus rationem facilem eſſe & commodam laborantibus, niſi quod multa edentibus in ſomnis apparerent; his ſe remediis & victus ratione vſum, valetudinem ſuam ſuorumque conſeruaſſe. Hac in re non videtur iuſta reprehenſione caruiſſe, vxore & filio amiſſis. Ipſe quidem firmo corporis habitu & robore fultus, diu perdurauit, vt & ſenex admodum cum muliere conſuetudinem haberet, & præter ætatem nuptias contraxerit.*

* in *vita Caton. majoris.*

XV. Quod PLVTARCHVS de oleribus modo dixit, id PLINIVS * illuſtrat, quando inter braſſicæ laudes illud

commemorat, quod ante omnes Pythagoras & Cato eam non parce celebrauerint: *cuius*, inquit, *ſententiam vel eo diligentius perſequi par eſt, ut noſcatur qua medicina vſus ſit annis* DC. *Rom. populus.* Sed non braſſica ſola fuit, verum plura etiam ex vegetabili regno, attigit, ex eoque capiendum fructum oſtendendum ſibi ſumſit, teſte iterum PLINIO **, boum etiam medicina non omiſſa.

* *Libro XX. cap. IX.* ** *Libr. XXV. II. Primus*, inquit, *& diu ſolus idem ille Cato, omnium bonarum artium magiſter, paucis duntaxat* herbarum vſum *attigit.*

XVI. Sed non ſola hæc fuiſſe, quibus Cato vtebatur, morborum remedia, ſed quod inſuper incantationes adhibuerit, apparet ex eius *de re ruſtica* * ſuperſtite libro, vbi ad luxationes carmine magico reſtituendas verba ſenſu carentia ſuppeditat, & ritum adminiſtrandi totam curationem edocet.

* *cap.* 160. En totam illam: *Luxum ſi quod eſt, hac cantione ſanum fiet. Harundinem prende tibi viridem P. IV. aut V. longam. Mediam diffinde, & duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare in alio S. F. motas væta daries, dardaries, aſtataries, diſſunapiter, vsque dum coeant. Vbi coierint & altera alteram tetigerit, id manu prende & dextra ſiniſtra præcide. Ad luxum aut fracturam alliga, ſanum fiet. Et tamen quotidie cantato in alio, S. F. vel luxato. Vel hoc modo, huat, hanat, huat, iſta, piſta, ſiſta, domiabo, damnauſtra & luxato. Vel hoc modo: huat, haut, haut, iſta ſiſtar ſis ardannabon, dunnauſtra.*

XVII. Erat de reliquo hic Marcus Porcius Cato Græcis in vniuerſum iniquior, & patrii priſci moris tenaciſſimus, quem leuitate Græcorum introducta labefactari poſſe metuebat. Sed peculiariter ipſum medicos ſuſpectos habuiſſe, apud PLINIVM, propriis ipſius verbis, exponitur, quæ huc apponam: *Vincam nequiſſimum & indocile genus Græcorum: & hoc puta vatem dixiſſe: Quandocunque iſta gens ſuas litteras dabit, omnia corrum-*

rumpet. Tum etiam magis, ſi medicos ſuos huc mittet. Iurarunt inter ſe barbaros necare omnes medicina. Sed hoc ipſum mercede faciunt, vt fides iis ſit & facile diſperdant. Nos quoque dicunt barbaros, & ſpurcius nos, quam alios, opicos appellatione foedant. Interdixi tibi de medicis.

XVIII. Cauſam illius odii ſcite indicat PLVTARCHVS: *Cato non philoſophos modo Græcos odit, ſed & medicinam Romæ facientes Græcos ſuſpectos habuit. Quumque audiuiſſet Hippocratem a Perſarum rege multorum talentorum mercede vocatum, numquam ſe barbaris, Græcorum hoſtibus, operam nauaturum affirmaſſe: omnium medicorum commune eſſe iuramentum dixit, filiumque, vt ab vniuerſis ſibi caueret, monuit.*

XVIIII. Nunc vero videbimus quæ fata Archagathus Romæ expertus fuerit. Ea PLINIVS ſic exponit: *ei ius Quiritium datum, & tabernam in compito Acilio ob id publice emptam. Vulnerarium eum tradunt fuiſſe vocatum, mireque gratum aduentum eius initio: mox a ſæuitia ſecandi vrendique tranſiſſe nomen in carnificem, & in tædium artem omnesque medicos.*

XX. Plura equidem de hoc viro non inuenio. Sed hæc Romanorum auerſatio medicinæ maſculæ & efficacis meretur ſane notari. Si quid auguror traxerunt hoc a Pythagoreorum, in Italia ſine dubio celebrium, praxi, quippe quæ, vt alibi monui, maxime excolebat partem diæteticam, pharmacis minus, & vix alibi quam in vulneribus & vlceribus curandis, vtebantur: vnguentis & cataplaſmatibus, magis quam reliqui, interdum etiam incantationibus curabant, omnium autem minime ad ſecandum vrendumque veniebant.

XXI. Eadem Romanorum mollities videtur effeciſſe vt Archagathum inſequuti medici, ne fortunæ ſuæ in ampliſſima hac vrbe officerent, abſtinerent a medicina

omni

omni, medendique ratione actiuiori, dediſcerentque ægrotis imperare duriora. Quare potiſſimum Eraſiſtrateos in vrbe inuenimus, aliosque id genus medicos, qui obſequio beneuolentiam & lucrum captabant.

XXII. Archagathum hunc ſponte ſua Romam veniſſe, & iure Quiritium donatum fuiſſe, manifeſtum & indubium eſt: quare nec vlla eſt ratio dubitandi eum fuiſſe liberum & honeſtum virum: longeque plurimos, qui poſt ipſum in eandem vrbem venerunt, liberæ fuiſſe conditionis, & minime eodem loco cum iis habendos ſeruis medicis, quos in Romanorum monumentis quam plures inuenimus. De his noſtro æuo acre certamen in Britannia exarſit. Quoniam vero editorum in hac cauſa ſcriptorum nihil omnino impetrare adhuc licuit, omnem de hac controuerſia diſputationem lubens omitto, & in aliud tempus differo, præſertim quum paullo inferiora Romanorum tempora commodam de hoc argumento diſſerendi occaſionem ſint præbitura.

INDEX I. RERVM.

A.

Abaris ſcytha. 185
Abel primum mortis exemplum. 6
Abianum Aeſculapii templum. 118
Abonotichitarum Aeſculapii templ. ibid.
Abraham an auctor Aegyptiæ medicinæ. 49
Abutige, opii hodie ferax Aegypti oppidum. 39
Aceſias, antiquus medicus. 314. de eo prouerbium. ibid.
Aceſius. 134
Aceſo. 82
Acetum ſcilleticum Pythagoras inuenit. 171
Achilles. 106. eius haſta. ibid. Patroclum docet medicinam. ibid.
Achilleos herba. 106
Acon, exercitii genus. 195
Aconitum. 100
Acopon, quid 276
Acrochiriſmus luctæ ſpecies. 195
Acron Agrigentinus 175. auctor empiricæ ſectæ perhibetur. 187. Athenas a peſtilentia liberaſſe dicitur. ibid.
Acumenus medicus Athenienſis. 314. Eryximachus eius filius. ibid.
Acupunctura Sinenſium & Japanenſium. 54
Adamus quo modo ſtatui poſſit primus medicus. 5. 6. an ex characteribus vires & naturam omnium creaturarum cognouerit. 7
Aeetas rex Colchidis. 98
Aegeenſe in Cilicia Aeſculapii templ. 118
Aegimius primus de pulſu ſcripſit. 200
Aegienſe in Arcadia Aeſculapii templ. 118
Aegirenſe Aeſculapii templ. ibid.
Aegle. 82
Aegypti diuitiæ. 45
Aegyptiæ medicinæ origo. 17
Aegyptii mortalium ſaniſſimi. 31 carnes omnino ederunt. 32 an vina habuerint. 33. munditiei ſtudebant, 35. omnes medici. 48. ſideribus multa tribuerunt. 29. videntur dies criticos primi obſeruaſſe. 249. reges, libros antiquos conquiſiuerunt. 383
Aegyptiis debentur vnguenta. 40
Aegyptiorum animalia ſacra. 28. diæta. 30. frugalitas. 33. medicina qualis. 26. praxin Eraſiſtratus ſequebatur. 399

Aegy-

Aegyptus a Perſis ſubiugata 157. quid occaſionem dederit. 159
Aeris flos & ſquama. 266
Aerugo ibid.
Aeſculapii regnum. 82. medicina qualis & quanta. ibid. comitatus & habitus. 133. religio quamdiu durauerit. 141. ipſi primum derogarunt philoſophi. 119
— templorum notitia 119. ſeqq.
Aeſculapius. 80. expeditioni Argonauticæ intereſt. 81. puer, adoleſcens, ſenex. 132. Græcus forte numquam fuit. 116. Aegyptius apud Græcos cultus. 125. Romam accitus Epidauro. 430. ejus templum extra vrbem. 431
Agameda Augeæ filia. 107
Agenorides Tyriorum. 83
Agones ſacri 193. περίχωροι. ibid.
Agoniſticum inſtitutum. 193. latius patet quam athleticum. 194
Agrigentina ſchola medica. 146
Agrigentinum Aeſculap. templ. 118
Agyrtæ veteres. 423
Ακρατοποσία ſublata. 90
Alchemia Aegyptiorum. 45
Alcmæon Crotonienſis. 127. pri-primus phyſica & anatomica ſcripſit. 173
Alexander M. φιλίατρος & naturæ curioſus. 356. 357. elleboriſmum docet & in ſuo corpore experitur 366. in quo medicinæ profuerit 364. commerciis facilitatis materiam medicam amplificauit. 365. in deuictas gentes medicinam Græcam intulit. 366
Alexandrum veneno ſublatum eſſe fabula videtur. 364
Alexandria ſimplicium ſtudio fauit 379
Alexandrini medici quales 301. 386
Alexanor Machaonis F. 111. 113
Alexiades Thraſyæ diſcipulus doctrinam venenorum perfecit. 370
Alexippus medicus in exercitu Alexandri M. 371
Alimentorum præparationes Diocles docuit 342
Alipheræum Aeſculapii templ. 118
Aliptarum munia & conditio 198
Aliptæ ſe pro medicis geſſerunt 198. ab iis origo medicorum ſeruorum ibid.
Aloe Hippocrati ignota 267. ſuccotrina an Alexandri M. inuentum. 365
Alterantia & ſpecifica Aegyptii prius-

priusquam Græci cognouerunt 380
Alterantia pauca Hippocrates nouit 272
Altercum 95
Ambe Hippocratis 285
Ammon 16. 18
Ammonius lithotomus 426
Amoris inſani remedium 107. 108
Amphiaraus 123
Amuleta 84
Amyclæum Aeſculapii templ. 118
Amytis, Megabyzi vidua 150
Ἀναγκοφαγία 196
Anatome Aegyptiorum 26. 27. 28. Hippocratica 223. ſeqq. Aſclepiadarum 144. empiricorum 413
Anatomes deficientis cauſa 385. 386. rudimenta ex mactatis animalibus 163. practicæ apud Hippocratem veſtigia 243
Andreas Herophileus 383. chirurgus celebris 384. malignus in Hippocratem ibid. & 210. eius ſcripta Galeno non laudantur 384
Andreas & Andron an iidem 385
Angerona 103
Anginam vt Hippocrates curauerit 295
Anginæ conuenit elaterium. 297
Angitia 102
Anima rationalis & natura, an unum idemque ſint Hippocrati 228
Anima duplex ſecundum Platonem 317. quomodo creata 316
Animæ morbi propter corpus 324
Animarum migratio Platonica 321
Anni climacterici Aegyptiorum inuentum 29. a Pythagora propagati 171
Anthemis ſ. chamæmelum 160
Anticyræ duæ 88
Antigonus pentagonum Hygeæ in cœlo videt 133
Antoninus Epidaurium templum inſtaurat & leges ejus emendat 130
Anubis 40
Apis 40. 125
ἡ Ἄπνους ab Empedocle curata 174
Apoemantes Eraſiſtrateus 403
Apollini quæ ſacra 71. maxima celebritas ob vaticinia ibid.
Appollo 14. 19. 69. cur arcu inſtructus 70. ἰατρόμαντις 71 expiator ædium ibid. Οὔλιος. Σωτὴρ & alia epitheta. 72 obſtetricio munere fungitur an idem qui Pæan. 72 (76
Apollo Leucatas 107

Apollonides Cous 149
Apollonius Hippocr. diſcipulus 335
Apollonius Stratonis filius 403 idem eſſe videtur Memphitanus. ibid.
Apollonius, clarus empiricus 414. plures huius nominis. ibid.
Apollophanes Eraſiſtrateus 403
Apoplexia quid Hippocrati ſignificet 297. pathologia eius Hippocr. 240
Aqua Stygia 87. 363
Arca Noachi 12
Archagathus quo tempore Romam venit. 332. 428
Argiuum Aeſculapii templum 118
Argo nauis 98
Argonautæ 48. eorum epocha 68
Argonautica expeditio 97. 98
Ariſtæus. 96. 97
Ariſtogenes Gnidius Chryſippi diſcipul. 353
Ariſtomenes Meſſenius 164
Ariſton, medicus antiquus 311
Ariſtoteles Stagirita 355. Alexandrum M. educauit & amore medicinæ impleuit 356. anatomen coluit 357. de ea ſcripſit libros cum figuris ibid. ad ſcribendum hiſtoriam animalium magnis ſtipendiis conductus 357. de quo diſſona ſunt veterum teſtimonia 358. an chemicus fuerit 362. a Macedonia Athenas migrat 363 Alexandri gratia excidit ibid. an Hippocrati multum debuerit 359. 360. an hominum corpora diſſecuerit ibid. eius anatomes ſpecimina ibid. ſeqq. bibliothecam primus collegit 359. quos auctores anatomicos habuerit ibid. quid de partu octimeſtri docuerit 361. quid de formatione & nutritione foetus ibid. ſcripſit medicinalia ibid. plagii accuſatus 152
Ariſtotelis ſcripta eſſe commentarios in philoſophiam Hippocratis 209
Armeniacus lapis 161
Aromatici horti Salomonis 153
Artemis 96. 73
Artemiſia vnde dicta 73
Arum 148
Aſclepiadæ 86. caſtra olim ſequebantur 145. Romani 430
Aſclepiadarum ſcholæ 143. fortunæ & reditus ibid. æmulatio 146. anatome 144. laudes et merita 143. medicina qua-

qualis 145. 220. res peſſumdederunt medici periodeutæ 178
Aſclepiadis ſuperinducti medici publico ſtipendio allecti 178
Aſclepiea an fuerint aſyla 139 eorum notitia 118. ſeqq. in Peloponneſo frequentiſſima 128
Aſclepieorum Aegyptiorum apud Græcos notitia 127. 128
Aſclepius Aegyptius 22
Aſſa rex Iudæorum 155
ad Aſopum Aeſculapii templ. 119
Aſtrologiæ, numquid Hippocr. tribuerit 245
Athenæ peſtilentia vexatæ 187 an ab Hippocrate ſint liberatæ 188
Athenienſia Aſclepiea 119 127
Athletæ vnde dicti 193. illorum diæta 196. vomitus 197 apotherapia ibid.
Athleticum inſtitutum 192. quo iure in medicinæ hiſtoria conſideretur 197 eius fatalis terminus 198
Athleticus habitus qualis 195 196
Athotis rex et anatomicus 27
Auditus tranſitus 171. inuentum Alcmæonis 173
Auguralis ſcientiæ antiquitas 91
Aulonium Aeſculapii templum 119
Aureum vellus 97
Aurifodinæ Aegyptiorum 47
Autolycus 107
Autopſia empiricorum 411

B.

Baaras radix 153
Babylone Serapidis templum 366
Babyloniorum medicina 77
Bacchius Herophileus 382. an iure accenſeatur empiricis ibid.
Bacchus 76. an Noachus 15
Baculus nodoſus Aeſculapii 137
Balanagrium Aeſculapii templ. 119
Balnea 30
Balneatores noſtri ſunt propago veterum aliptarum 198
Balſamifera ferula 152
Belulcum Dioclis Caryſtii 342
Bilis ſecretionem ſe neſcire Eraſiſtratus fatetur 396
Boeatarum Aeſculapii templ. 119. 127
Boeotiorum Serapidis templum 127
Boeotii ab Aeſculapio alieni 128 ab Hercule morborum medelas petebant ibid.

Boleti ſtomacho vtiles 415
Bramines 54
Braſiatarum Aeſculapii templ. 119
Braſſica euacuans Hippocraticum 261. laudata 171. 350. 353
Buraicum Aſclepieum Aegyptii inſtituti 127

C.

Cæſtus, quid 195
Calamus ſcriptorius 374
Callianax Herophileus, medicus auſterus. 381
Callias Athenienſis cinnabarin inuenit 148
Callimachus Herophileus 381
Calliſthenes Olynthius, Ariſtotelis diſcipulus 368. anatomen coluit ibid.
Caluariarum diuerſitas 159
Caluntium Aeſculapii templum 119
Cambyſes ſacra Aegyptiorum violat 160
Canem in Aegypto ſecare non licebat 28
Cantharides 268
Carnes caninas, aſininas, vulpinas veteres edebant 256
Caro ſuilla aſſa cibus athletarum 196
Carthagine Aeſculapii templum 120
Caſeus recens & ficus cibus athletarum 196
Caſtorei vſus empiricis frequens 409
Cataplaſmata Hippocr. adhibuit 276. eadem Eraſiſtrato frequentia & Pythagoreis 436
Cauſium Aeſculapii templum 120
Centaurea. 93
Cerebri vaſa ex mente Hippocr. 240
Ceres 18
Cereuiſiæ inuentor 18
Certamina gymnaſtica Iphitus renouauit 193
Chalcanthum 148
Chamæmeli flores antifebriles 160
Chamo Aegyptus obtigit 16
Chamus Chemiæ inuentor 15. 16
Charonium antrum 129
Chemiæ antiquitas 8. 9. a Chamo 16. 17
Chemia Malabarum 58. an Hippocrates eam coluerit 278-281
Chiron Centaurus 92. educat Aeſculapium 81. quam medicinæ partem ſeorſim coluerit 93. venationis magiſter 93 eius diſcipuli 94. ſeq. mors 96
Chironia vlcera 93
Chirurgiæ prima operatio. 5

Chirurgia Hippocratis 281.ſeqq. Dioclis 341. Praxagoræ 345 Eraſiſtrati 401
Chirurgia pars tertia medicinæ, quando coli accuratius coeperit 420.421
Chirurgi veteres victu & medicamentis vtebantur ibid.
Choragus antidotus. 408
Chronologia Aegyptiorum 20
Chryſippus Cnidius 351. ſeqq. eius diſcipuli 353. filium homonymum habuit 351
Cibos multos nobis inſuetos veteres aſſumebant 256
Cicuta 370. interne data 417
Cinnabaris quando inuenta 148
Cinnus 274
Circe 98.101.102
Circulationem ſanguinis an Salomon nouerit 152. an Plato 318. an Hippocrates 223. an Sinenſes 53
Circulatores medici 308
Circumforanei veteres 423
Circumciſi an fuerint Aegyptii 36
Clauus in peſtilentia Romæ figebatur 429
Cleombrotus Ceus 388
Clinicæ medicinæ inuentor 86
Clitorium Aeſculapii templ. 120
Clyſteres inuentum Aegyptiorum 30. eorum vſus Hippocr. 262
Cneorum ſ. Cneſtrum 265
Cnicus 266
Cnidia ſchola 146. eius defectus 147
Cnidiæ ſententiæ 146. earum editiones 149
Cnidii medici vnde dicti 147
Cnidium Aeſculapii templ. 120
Coa Aſclepiadarum ſchola 146
Cochleam auris Empedocles nouit. 173
Coccus Gnidius 147.265
Colchis 97
Colchi Aegyptiorum coloni 99 an alchemiæ gnari 48
Collyria Hippocrates adhibuit 276
Colocynthis 266
Comam non alebant Aegyptii 35
Conceptio, quo fiat modo 229
Condimenta priſca Græciæ 342
Contraria contrariis medentur 258. paulatim inducenda ſunt 259
Conuulſionis ratio 283
Corinthium Aeſculapii templum 120.127.
Coronæum templum 120
Cos patria Hippocratis 206
Coum Aeſculapii templum 120
Cotyledones quid 343.344
Cretenſes in plurimis diſſoni a religione Græcorum 76

Criſi

Criſi & criticorum dierum obſeruationi Hippocr. multum tribuit 248. ſed rationes eorum quærere ſuperfluum iudicauit 249. ſcrutati quid ſuppoſuerint ibid. ab Pythagora hæc doctrina videtur veniſſe 171. cur nobis non æque ac veteribus reſpondeat 250

Critobulus medicus Philippi Maced. 314

Critodemus Alexandrum M. curauit 371

Cronus ſ. Saturnus eſt Noachus 15

Crotone Pythagoras ſcholam erexit 169

Crotonienſis ſchola 146. medicos phyſicos multos dedit 172

Crotonienſium medicorum gloria 178

Cteſias Cnidius 149

Curſus 194

Cybele mater deorum 68. eius medica beneficia 69

Cyceon, quid 274. floridus ibid.

Cyclaminum. 266

Cyllenium Aeſculapii templum 120

Cyrenaica ſchola medica 146

Cyrus medicinam amauit. 157

D.

Dardanus 86. Dardaniæ artes 87

Daria fluuius aurifer 160

Deligationes quales Hippocrates probet 283

Demæneti templum Aeſculap. 120

Democedes Crotonienſis 156. 176. 177. eius dexteritas, fataque ibid.

Democritus Abderita 178. hiſtoria eius eſt anceps & intricata. ibid. an Hippocratem docuerit 209. an ab Hippocrate ſanatus ſit 213. de hac curatione epiſtolæ ſunt ſuppoſititiæ 180. an fuerit chemicus 180. qualia experimenta fecerit ibid. chamæleontem membratim diſſecuit & deſcripſit. *addit.*

Deorum ſanguis albus 111

Deriuatio reuulſioni aliquando præferenda 259

Deſtillatio per deſcenſum 44. deſtillationis origo fabuloſa. 156

Deuerra 429

Deus an cauſa morborum 243. auctor medicinæ 4

Diæta athletarum 196

Diagoras Melius ἄθεος 182. 183. Opium damnauit. ibid.

Diana, 69. cur arcu inſtructa 70.

70. Epione 129. οὔλιος 72. 73. podagra. 74. propylæa 76. προθυραία ibid. Σώτειρα 73
Diaulos 193
Dieuches 350. braſſicam laudauit ibid.
Digitale vomitorium. 197
Dii medici 68
Diluuium medicæ rei mutationem attulit 14
Diocles Caryſtius, eius ætas & merita 336. ei tributa epiſtola 337. eius anatome. 338. ex ſcriptis Empedoclis profecit 339. 174. partus octimeſtres vitales credidit 339. medicinam liberaliter fecit 343. eius graphiſcus 341. quod alii belulcum vocant ibid.
Diocletianus libros de alchymia conquirere & comburere juſſit 48
Dionyſius Siculus an medicus 328
Dionyſus 18. 76
Dioxippus, eius dogmata & praxis 333. 334
Diſci iactus 194
Diuinatio ex palpitationibus & næuis corporis 92
Diuretica Hippocr. medicamenta 268
Dogmaticorum & empiricorum differentia 412
Dolichodromus 194
Draco Hippocratis F. 300
Dracones Aeſculapii 135. an ſoli Aeſculapio iungantur dracones 136. draconum viſus acumen ibid. draconitis lapis ibid.
Druydes 60. Gallorum medici *addit.*
Dynameron liber 86
Dyſenteriæ curatio Hippocratica 294

E.

Eclegmata ab Hippocrate adhibita 277
Ecbataneum Aeſculapii templum 120. 366
Edris ſiue Enochus 21
Effoeminati Scytharum 243
Egregori chemiam propalant 9
Εἰλείθυια 75
Elaterium 266. an Cnidiorum inuentum 147. 148. eius antiquitas & præparatio 148. recens 296
Electiue purgantia dari credidit Hippocrates 262
Elleboriſmorum antiquitas 88. 89
Elleborus inuentus 87. 88. niger an recte addatur infuſis vinoſis 264
Elleboro crebro vſi veteres 346. diuerſos adhibendi modos excogi-

cogitarunt 347. non parce vtendum 379
Ἕλκος Hippocrati ſignificat vulnus recens 261
Empedocles Agrigentinus 173. auris fabricam rimatus eſt & cochleam nouit ibid. medicinam magia interpolauit 174. eius diſcipulus Pauſanias. ibid.
Empiricæ medicinæ exortus 404. ſeqq.
Empiricis occaſionem dedit Herophilus 380
Empirici veteres laude digni 413
Emplaſtra Hippocrates non commemorat 276. fractis veteres non imponebant 285
Epicharmus Cous, Pythagoreus philoſ. 175
Epidaurium Aeſculapii templum 127
Epilepſiæ pathologia Hippocratica 240. 241. aliorum ſuperſtitioſa 242. remedia empirica. 410
Epilogiſmus, quid 411
Epimenides Cretenſis 167. peregrinator medicus 168
Epione Aeſculapii vxor 82
Eraſiſtratus 386. ſeqq.
Eraſiſtrati familia, educatio, præceptores 387. commoratio in aula Seleuci Syriæ regis. ib.
Eraſiſtratus ad anatomen ſenex demum acceſſit 388. retractat multa quæ iuuenis ſcripſerat. ibid. præſertim in doctrina de cerebro & neruis 389. valuulas cordis deſcripſit. ibid. in arteriis ſpiritum contineri docuit 390. cur ſanguinem excluſerit & quid experimenta obiicientibus repoſuerit ibid. 391. cibos in ventriculo teri docuit 394. curioſioribus ratiociniis non fauebat 392. 393. de bilis ſecretione ignorantiam ſuam profitebatur 396. humorum doctrinam in pathologia neglexit 394. praxeos eius ſingularia 396. compoſitiones diffuſiores odit 400. eius chirurgia 401. & ſcripta ibid.
Eraſiſtrateum dogma apud Platonem 326
Eraſiſtrateorum obſeruantia præceptoris ſui 404
Eryximachus Acumeni F. 314
Euacuationum lex generalis Hippocr. 260
Euamerion 134
Euanum Aeſculapii templum 121
Eudemus 347. anatomicus nobilis, glandulas & cerebrum accuratius rimatus ibid. glandulas ſaliuales eorumque ductus excretorios, forte etiam pancreaticum, nouit. 348

Eude-

Eudemus ſenior ab Ariſtophane citatus 349. pharmacopola fuit, & ſuperſtitioſa vendidit ibid.
Eudoxus Cnidius Philiſtionis diſcip. 311. 312. mathematicus, aſtrologus & medicus. ibid. Chryſippi Cnidii præceptor ibid.
Eudoxus Cnidius alius ibid.
Euenor, chirurgus vetuſtus 425
Euryphon 148. Hippocrate antiquior 309
Exercitia Aegyptiorum 34
Exercitia leuia, grauia 195
Exoterica medicina Aegypti 48
Experientia mater medicinæ 405. quid & quotuplex 411. quomodo ſit comparanda. ib.
Expiatores medicorum nomen affectant 308
Ezechias libros Salomonis combuſſit 154

F.

Febris pro deo apud Romanos culta 428
Febrium intermittentium generatio ſecundum Hippocr. 237. 238. 239. ſecundum Platonem 324. ſecundum Praxagoram 345. ſecundum Eraſiſtratum 391
Febres omnes ſymptomaticæ 339
Febribus vt mederi ſolitus ſit Petron 335. vt Eraſiſtratus 397
Ferri uſus medicus antiquiſſimus 91
Feſtum Aeſculapii ῥάβδου ἀνάληψις. 137
Ficus, vt ad durationem comparentur 155. cibus athletarum 196
Filii dei, qui 9
Fiſtulas vt Hippocr. curauerit. 283
Flatibus multum in pathologia tribuit Hippocrat. 237
Foetum articulatum facit ſpiritus 231. mortuum Hippocr. extraxit 287
Foetus formatio 229. nutritio 230. cur decimo menſe exitum quærat 232. rudimenta qualia Hippocrates viderit 230. quanto tempore articuletur 232
Fons alyſſos 87. 88
Fracta vt curauerit Hippocrates 284
Frictiones 30

G.

Galenus inconſtans in Aſclepiadis laudandis 144
Gallus gallinaceus Aeſculapio iungitur 137
Gemelli quomodo concipiantur 233

Gerenium Aeſculapii templum 121
Germanicæ medicinæ antiquitas 60
Geſneri oxymel elleboratum 264
Glandulæ ſaliuales, earumque ductus excretorii pridem cogniti 348
Glaucias infelix medicus 371
— clarus empiricus 414
Gorgaſus Machaonis filius 113
Gorgias Leontinus Hippocr. præcept. 208
Gorgias, chirurgus vetuſtus 426
Gortynium Aeſculapii templ. 121
Græcanicæ medicinæ ſummus vigor 373. eius veſtigia Romæ ante Archagathum 431. 432
Graphiſcum diocleum 341. 342
Gymnaſtæ, qui 193
Gymnaſticum inſtitutum 192. eius auctores heoes 193. antiquius eſt medicina gymnaſtica 193
Gymnaſticæ medicinæ auctor Aeſculapius 85. Verius autem Herodicus Selymbrianus 191
Gytheatarum Aeſculapii templ. 122

H.

Habitas athleticus qualis 195. 196
Harpocrates 126
Hecate 98. 100
Hedera, cur Baccho ſacra 78
Helena 39. 109. eius ſigillum. ibid.
Helenium 109. an ſit noſtra enula ibid.
Henochi ſcriptum apocryphum
Heracleum, planta 95 (9
Heraclides Hippocratis pater 206
Heraclides Tarentinus, nobiliſſimus empiricus 415 -- 417
Heraclitus Epheſius 181. hominum & medicorum oſor 182. principia eius in medicinam introducta ibid. 209
Herbariam rem auxit Herophilus 379
Herbarii veteres 423. eorum nugæ & ſuperſtitiones ibid. 424
Hercules 14. 94. Anticyræ veratrum bibit 94. inſtituit certamina gymnaſtica 193. qualis ſit leonina pellis, qua obtectus fuit 95. eius labores 94. cur ἀλεξίκακος dictus 95
Hercyne, Trophonii uxor 128
Hermes 17. eius varia nomina 20. medicinæ inuentor, a Borrichio vindicatus 19. aurificem alchemiam calluit 45. palæſtræ inuentor 35

Hermetes tres ex orientalium traditione 21. 22
Hermionenſe Aeſculapii fanum 127
Hernias Hippocrates non commemorat. 287
Heron, chirurgus vetuſtus 426
Herodicus Selymbrienſis 190. incertum an Prodicus rectius ſcribatur ibid. medicinæ gymnaſticæ inuentor 191. 199. an Hippocratis præceptor fuerit 207. 208. ab Hippocrate reprehenditur 208. a Platone traducitur ibid. eius eſſe videntur libri *de diæta* Hippocrati tributi 256
— quidam, an Prodicus, diſcipulus Hippocratis 333. librum ſcripſit de natura humana ibid.
Herophilus Chalcedonius 373. Praxagoræ diſcipulus 374. Anatomen in Aegypto ad ſummum apicem deduxit. 374. an viuos inſecuerit homines 357. morbo defunctos, ad ſcrutandos morbos, inſecuit ibid. vaſa chylifera vidit. 377. quibus partibus nomina dederit 376
Herophili dogma de reſpiratione 377. eius ſtudio pulſuum doctrina ſubtilius culta 378. in quo ad Pythagoram deflexiſſe videtur 170. pathologiæ fundamentum in humoribus poſuit 377. ſcripta perierunt 376. obſcuritatis accuſata 379
Herophilus rem herbariam auxit 379. medicamentariam in primis coluit ibid. compoſitis quoque ſtuduit 380. quo ipſo forte empiricis occaſionem dedit 380. 406. 407. Semiempiricus a Galeno dictus 380. Hipocratem libere impugnauit 378
Herophilei quales elogio Galeni 385. nemo eorum anatomicum ſtudium prouexit. ibid.
Heſiodus an medicus 165. 166
Hippo Chironis filia 94
Hippocrates Cous, eius hiſtoria eſt valde obſcura & dubia 206. ob tot ſuppoſititias & confictas chartas 212. 213. vnde ad medicinam profecerit 207. an cum Democrito verſatus ſit 180. 179. 209. 213. Homericum dicendi genus ſectatur 281. ſummus philoſophus fuit 209. Heraclito in multis conſentiens ib. eius phyſica qualis 222
— a Cnidiis profecit 147. an in peſtilentia Atticis ſuccurrerit 210

Hip-

Hippocrates an de Deo recte ſenſerit 227. ſuperſtitionis acerrimus hoſtis fuit 242. qualis anatome eius 223. an circulationem ſanguinis nouerit ibid. an valuulas in corde 224. an ſceleta habuerit 225. vix potuit homines diſſecuiſſe ibid. phyſiologia eius 223. ſeqq. pathologia 236. ſeqq. ſignorum doctrinam diligenter coluit 250. 251. Prognoſis eius, accurata & cauta. ibid.

Hippocratis praxis 253. ſeq. regulæ generales praxeos Hippocraticæ 257. pharmacia eius. 278. an fuerit chemicus ibid. 279. -- 281. chirurgiam coluit 281. quas operationes non deſcripſerit 287

Hippocrates quomodo medicinam a philoſophia liberauerit 221. quo jure princeps rationalis medicinæ vocetur 221. 222

Hippocratis ſcripta 215. valde ſunt interpolata 218. 301. aliena ejus nomine inſcripta ſunr 301. 302. epiſtolæ & alia operibus ſubiuncta νοθείας poſtulantur 213. 214

Hippocratis mores inculpati 218 ingenuitas maxima 219. 285. calumniis tamen oneratus eſt. 385. & omnino incendiarius abſurde factus eſt 210

Hippocratis familia 299

Hippocratis filii, prouerbium 303. 304

Hippocrates Draconis filius 300

Hippolochus Podalirii F. 114

Hippopotamus venæ ſectionem docuit 38

Hippophaes 265

Hoamti rex auctor medic. Sinenſis 52

Homerus an medicus 166. medicis legendus 166. 167

Homo, quo pacto creatus ſit, ſec. Platonem 316

Horus 18

Humores corporis noſtri ſec. Praxagoram 335. eos Eraſiſtratus in pathologia abiecit. 394. Herophilus ſtabiliuit 377

Hydra & cherſydrus 14

Hydra Lernæa 95

Hydropis generatio 240

Hydrops incurabilis ob intemperantiam 354. vt ab Hippocrate curatus ſit 290. 291

Hygea 82. 133. eius pentagonum 133

Hypocritica pietas ab Hippocrate caſtigata 308

Hypotheſes in medicina nouæ 405

Hypſium Aeſculapii fanum 122

I.

Iachen, medicus Aegyptius. 50
Japonenſium medicina 52
Jaſo, Aeſculapii F. 82
Jaſon 97. 102
Jaſpis viridis 161
Jatroaliptarum vectigal 199
Jatroſophiſtæ Alexandrini 37
Ibis auis 30
Iccus Tarentinus, medicus & athleta 200
Icterum vt Hippocr. curauerit 289. 290
Ἰδιώτης, quid Hipocrati 255
Jecinors officium ſec. Platonem 320
Ignis ope peſtilentia curatur 187
Incantamentum 83. 84. 85
Incubatio in templis Aeſculapii 139. 140. vt & in templ. Iſidis & Serapidis 40
Inediæ plurimum tribuit Eraſiſtratus 398
Infantes quomodo purgandi 266
Inflammationum generatio ſec. Eraſiſtratum 391. curatio ſecundum eundem 397
Intercidona 429
Jobus an alchemiſta 64
Joſephus patriarcha 49
Iphiclus 91
Iphitus certamina gymnaſtica renouauit 193
Iſis 17. 18
Iſidis & Serapidis cultus quousque durauit 41
Italica medicorum ſchola 146
Judaicus lapis 161
Juno 18. Lucina 75
Jupiter 18. 69

K.

Καθαρμὸς quid veteribus 89. 90
Korſolki an ὕδωρ χρυσοῦλκον veteribus celebratum 180

L.

Labor & temperantia ſanos faciunt 255
Lac in dyſenteria Hipoocrates dedit 295. aſininum qua doſi detur ibid. 261
Lac bubulum, equinum, caprinum 261. equinum ebutyratum ibid.
Lactis ſerum 261
Lacedæmonia Aſclepi ea 122. 128
Lapis Panis piſcis 109
Laſerpitium 97
Laſium Aeſculapii templum 122
Lebadeæ Boeotiorum erat antrum Trophonii 128
Lebenæum Aeſculapii templ. 122
Leo Nemeus, an quadrupes, an bipes 95
Leproſi, de illis leges 62
Leucas petra 107
Leucus, Vlyſſis ſocius. ibid.

Leu-

Leuitæ 62
Leuctricum Aeſculapii templum. 122
Liber pater 76. medicinæ cauſa cultus 129
Liber de *ſalubri diæta* eſt dubiæ auctoritatis 309
Lienis uſus ſec. Platonem 320
Linctus ab Hippocr. præſcripti (277
Linigeri ſacerdotes 35
Lino abundat Aegyptus ibid.
Linus poeta medicus 104
Lipe rex auctor medicinæ Sinenſium 52
Λοχεία Diana 73
Longæuitatis primorum hominum cauſæ 8. 11. 12
Lorum vomitorium 197
Luci ſacri templis Aeſculapii adiuncti 129
Lucina 73. 75. Soſipolis 76. eius templa ibid.
Lucta quid 195
Ludi Olympici, Pythici, Nemei, Iſthmiique 193
Luſtrandi ritus, & in eo adhibita 69. 89. 90. 168
Luxata vt Hippocrates curauerit 285. vt Cato 435

M.

Machaon Aeſculapii F. 82. 111. eius filii ibid. vbi ſepultus 112
Magi, medicorum nomen affectantes 308
Magica ægyptiorum medicina 40
Magnes purgans 265
Malabarica medicina 54
Malabarum medicina cum Aegyptiis conuenit 59. theoria medica qualis 55. chemia 58
Malum hypochondriacum a Diocle deſcriptum 339
Mandragora ab Hippocrate commendata 273
— nigra, cum radice baaras collata 153
Mantias Herophileus 381
Marcus Cato Græcorum omnium & medicorum hoſtis 436 an medici per ipſum fuerint Roma pulſi 432. eius medicina qualis 434
Maria Moſis ſoror 63
Margaritæ ex ſanguine albo 63
Mars peſtilentiæ auctor 63 429
Marſus 101
Marſorum gens ibid.
Marſus rex Germaniæ 60
Marſyas Phryx 71
Matricaria 74
Meconium Hippocratis purgans 273
Medea 98. 102. eius inuenta 103
Medicamenta deorum manus 380

Medicamentaria res per quos au-
 cta 422
Medicina hypotheſi non eget
 219.220
— an perfectiſſima Hippocratis
 æuo 309
— eſt ablatio & appoſitio 258
— Romanorum religioſa 428
Medicinæ initium 164
— Aegyptiorum encomium
 26
— clinicæ inuentor 86
— forenſis antiquiſſimum veſti-
 gium 234
— inſtitutio, qualis olim 207
— in tres partes diductio quo-
 modo ſit intelligenda 418
 419
Medici & ICti mala neceſſaria
 326
— an Roma vmquam pulſi 432
— periodeutæ Aſclepiadarum
 res peſſumdederunt 178. cu-
 ius euitandi cauſa in Aſclepia-
 darum collegia recepti ſunt
 ibid.
— fora frequentantes 308
Medicorum Aegyptiorum con-
 ditio 24. varii gradus digni-
 tatis 25. leges ibid.
Medicorum Hippocr. tempore
 conditio 306. ſeq. quo pacto
 inclareſcere ſtuduerint 307
 publica auctoritate & ſtipen-
 diis conſtituti aliqui erant 307
 nomen falſo ſibi arrogantes
 308
Medicus, quis optimus, ſec. Pla-
 tonem 326
Medius, Chryſippi diſcipulus
 353
Medulla partium corporis origo
 317
Megalopolitanum Aeſculap. tem-
 plum 122
Megarenſe Aeſculap. templum ib.
Melampus 87. Bacchi cultum
 Graecos docet 77. eius ſcri-
 pta 91. elleborus ab ipſo vo-
 catur melampodium 88. ipſi
 tributa diuinitas 90. templa
 ipſi conſtructa. 91
Menecrates Syracuſanus, ſuper-
 bus medicus 313
Menodotus empiricus 418
Mercurialis cenſura librorum
 Hippocratis 214..217
Mercurius medicinæ inuentor 78
 eius libri 24. κεϱοφόϱος 78
 & Trophonius idem 129
Mercurii plures 21.22
Meſſenia Aſclepiea 122.128
Methanæum Aeſculap. templum
 128
Metallorum tractatio antiquiſſi-
 ma 11
μετεμψύχωσις Pythagorea 170
 a Platone propagata 321

Metha-

Methanæum Aſclepieum 128
Meton Athenienſis, medicus & aſtronomus 312
Metrodorus Cous philoſophus Pythagoreus 175
Metrodorus Eraſiſtrati præceptor, Chryſippi diſcipulus 354
Mieza nobile nymphæum 356 357
Mileſium Aeſculapii templum 123
Minerua 69. 74. Hygea. 129
Mizraim an Zoroaſtres 17
Mneſitheus 349. duo cognomines ibid.
Mneuis taurus 40
Molpis, chirurgus vetuſtus 425
Moly 101
Morbi ſacri ætiologia Platonica 324
— quotnam ſint ex mente Malabarum 57
Morborum generatio, ſecund. Platonem 323
— naturæ medicatrices 226
Morbus Herculeus 95
Morbum quid dixerint empirici 412
Moſes 61. quid de medicina conſtituerit 62. an chemicus fuerit ibid.
Motiones corporis quas probauerit vel improbauerit Plato 325
Muhammedanorum perſuaſio de libris Adamo cælitus miſſis 4
Mumia Perſica 44
Mundus animal, Platone auctore 315. eius creatio ſecund. Platonem 316
Μῦρον, quid ſignificet veteribus 276
Myſæum Aeſculapii templum 123

N.

Næui corporis, ex iis diuinatio 92
Natura quid Hippocr. deſignet 221. 225
Naturæ morborum medicatrices 257
Naupactium Aeſculapii templ. 123
Nechepſus 50. idem qui Pharao Necho 160. quæ bona ſcripſit 160
Nereus 108
Nerium 109
Nerui nomen antiquis late patebat 234
Nepenthes 39. 109. 166
Nicomachus Ariſtotelis pater 313
— Machaonis filius 113
Nicomedienſe Aeſculapii templ. 123
Nileus, chirurgus vetuſtus. 425
Nili aqua. 33

Nitrum Aegyptiorum 44
Noachus 12. an Bacchus vel Cronus 15
Nodus Herculeus 96
Nominum impoſitio an iuxta characteres inſitos facta ſit 7. 8.
Nymphodorus, chirurgus vetuſtus 425

O.

Oculi ſcarificatio Hippocratica 286
Oedemata vt Hippocr. tractauerit 282
Oenone 110
Oetylorum Aſclepieum 128
Opii vſus empiricis frequens 409
Opium Thebaicum 39
— an Hippocrati cognitum 273
— Diagoras Melius damnauit 183. externe tamen adhibuit ibid.
Opopanax 95
Organon Philiſtionis 311
Orpheus, de plantis ſcripſit 103
Oropium Aeſculapii templum 123
Oſiris Aegyptius 17. 125. an Bacchus 77
Oſymanduæ ſepulchrum 45. 46
Ouula feminina Hippocrates nouit 230
Oxymel elleboratum Geſneri 264

P.

Pæon Apollo 70. 72
Παιδοτρόφος Diana 73
Paganorum de medicinæ ortu perſuaſio 4
Palamedes 110
Palæſtrici modi luxata reponendi 285
Pallas 69. 74. Hygea ibid.
— omnium fanorum κλειδοῦχος, ad dextram Iouis ſedet 75
Paludum noxa 14
Pan 18
Panacea 70. 82
Pancratium, quid 195
Pancreaticus ductus veteribus fuit cognitus 348
Papauer ſpumeum 95. album purgans 264
paracenteſis abdominis & pectoris 286
paraſchiſta 42
paremptoſis Eraſiſtratea 391 396
Partus octimeſtris 332. 339
— legitimus 232
Paſtilli Hippocratis 277
Paſtophori 24
Pathologia Aegyptiorum 29
— flatuoſa Sinenſium 54. Hippocratis 237. ſeq.
Pathologiam veterum quid commendet. 247
Patrenſia Aſclepiea 123. 128

Pau-

Pauſanias Empedoclis diſcipulus 174
Peleus 106
Pellanæum Aeſculapii templum 123
Pentagonum Hygeæ 133
Peplium 264
Pergamenum Aeſculapii templ. 123
Periapta 84
Perſæ medicos habebant primo Aegyptios, deinde Græcos 156. 157
Perſarum temperantia 158
— pollinctura 44
Peſtilentia Athenis graſſata 187 a Thucydide accurate deſcripta 188
Peſtilentiæ remedia Romana 429
Petron ſ. Petronas 335. eius curatio febrium ibid. iunior quidam 336
Petoſiris 161
Phaon, medicus antiquus 310
Pharis Aeſculapii templ. 124
Pharmacopolæ veteres 423
Pharmacum immortalitatis 18
— longæ vitæ 8. 11
Pheræum Aeſculapii templum 124
Pherecydes Syrius 169
Philetas, medicus antiquus 310
Philinus Cous 406. ſectæ empiricæ antiſtes ibid. Herophili diſcipulus & imitator in quo 407
Philippus Acarnan, Alexandri M. medicus 370
Philiſtion Siculus, antiquus medicus 310. an Hippocrateus ibid. dogma eius aliquod 311 organon eius ibid.
Philoſophi medicinæ auctores 145. 165. medicinam in libertatem adſeruerunt 220. ſed ratiociniis iterum implicuerunt ibid.
Philotimus Praxagoræ auditor cerebrum inutile dixit 346
φλεψ, quam varia ſignificet 234
Phliaſiorum Aſclepiea 124. 128
Phœnicum de Aeſculapio perſuaſio 116
Phoſphorus Noachi fabuloſus 12
φθοίσκοι Hippocratis, quid 277
Phyſica, quæ medico vtilis 121 122
Phyſiologia Aegyptiorum 26 medicæ & phyſicæ differentiæ 226
Pilulas Hippocrates non commemorat 278
Pilumna 429
Pittalus, medicus antiquus 314
Pix cedria 43. 44
Plato philoſopho medicus 314.

Eius philoſophia quæ dogmata miſceat 315. medicinæ ſyſtema Timæo - Platonicum ibid. quid de medicina gymnaſtica ſenſerit 192. quid de pulmonis vſu 319. quid de ſpermate virili 321. an circulum ſanguinis nouerit 318. vterum animal viuum eſſe docuit 321. mira philoſophia de generatione. ibid. conferueſcentiam quandam in corpore ſtatuit 318. vt & rete quoddam arteriarum & venarum 322. quæ valetudinis conſeruandæ præcepta dederit 324. pathologia eius 322. ſeqq.
Plethoræ in pathologia Eraſiſtratus multum tribuit 396
Pliſtonicus Praxagoræ diſcip. 346. de ciborum concoctione quid ſenſerit. ibid.
Plumbi ramenta interius adhibita 409
Podalirius 82. 113
Polemocrates, Machaonis F. 111. 113
Pollinctores Aegyptii 25
Pollinctura Aegyptiorum 42. 50. anatomen parum iuuit 27. aliarum gentium 44
Polybus, gener Hippocratis 301. ſcripta eius 302. 303
Polydamna 39. 109
Polyidus 91
Potus ad pulmones deſcenſus a Platone creditus 319
Practicæ regulæ Hippocratis. 257. ſeqq.
Praxagoras Cous 343. anatomicus rudior ibid. ſanguinem in arteriis contineri negauit 344. neruos a corde deduxit ibid. venæ cauæ nomen indidit ibid. pulſuum doctrinam coluit 344. 378. eius diſcipuli 345
Proeti filiæ 87
Prodicus, vid. Herodic.
Prognoſis poſt Hippocratem ſtudioſe culta, cur 253
Prometheus 78
Prophetæ Judæorum medici. 155
Protarchus, vetus chirurgus. 426
Proteſilaus 108
Pſyllorum gens 101
Ptolemæus Lagi, videtur cum Alexandro Ariſtotelis diſciplinæ particeps fuiſſe 367
Ptiſana, eiusque differentiæ 274
Pugilatus 195
Pulmones expurgandi modus 269
Pulſui, vt ſigno, Hippocrates aliquando attendit 250. vbi & vnde

vnde ſecundum Hippocratem 235
Pulſuum obſeruatio apud orientales 52. 55. doctrinam ſubtilius coluit Herophilus 378
Pulſus ab Eraſiſtrato negligitur 393. quid differat a ſpaſmo & tremore 344
Purgantia Hippocrati familiariora 267. draſtica confidenter dedit 262. 263. etiam in acutis 267
Purgantibus bellum indixere Chryſippus 352. Eraſiſtratus 396. 398. Plato 325
Purgatio vteri 270
Pythagoras Samius, magnus peregrinator 169. medicinæ ſtudioſus ibid. incantationibus aliisque ſuperſtitioſis fauit 171. braſſicam celebrauit. ib.
Pythagoras Samius aliptes 176. eius inſtitutum circa athletas ibid.
Pythagorea medicina qualis 170. dogmata in Eraſiſtrati ſchola 396. 397
Pythagorici numeri 249
Pythius coluber 14. 70
Pythii ludi 70

Q.

Quartanæ cura & remedia Hippocratica 273. 287 -- 289
Quatuor venarum paria a capite 224

R.

Rabbinorum de medicinæ origine doctrina 4
Radix amara Homeri 166
Raſura Aegyptiis familiaris 35
Raziel præceptor Adami 4
Reges Aegypti libros antiquos conquiſiuerunt 383. quinam mortuorum corpora inſecuerint 27
Religio Aegyptiorum ſanitatem reſpexit 36
— Aeſculapii quo fine inſtituta 116. antiquitas eius 117
Reſpiratio, quatuor actibus abſoluitur ſec. Herophilum 377. eius uſus ſecundum Eraſiſtrat. 391
Repletionis nimiæ curatio Eraſiſtrat. 399
Reuellenda quænam ſint 259
Rhodia Aſclepiadarum ſchola 146
Rhodium Aeſculapii templum 124
Rhododaphne 109
Roma an ſexcentis annis ſine medicis fuerit 432. ante Archagathum medicos habuit 431. 432
Romæ antiquiſſima medicina qualis fuerit 428

Romanum Aeſculapii templum 124
Rome, Aeſculapii filia 82

S.

Sacerdotes Aeſculapii 138. eorum fortunæ 139. officium ibid.
— Judæorum medici 155
Sacrificia Aeſculapio ferenda. 141
Sal diuinum 154
— ſacerdotale ibid.
— viperarum Tachenii 279
Salis vſu abſtinebant ſacerdotes Aegyptii 34
Salomon rex Judæorum 151. an alchemiam nouerit 153. eius libros Ezechias comburit 154
Saltus 194
Sambuci folia 261
Sanguinis miſſiones ab Hippocrate factæ 270
Sanguis albus 111. 234. 235
— tauri venenum 159
Sanguinem in arteriis contineri Eraſiſtratus negauit 390
Sarapis 18
Scammonium 266
Scarificatio Hippocrati nota. 272
— oculi 286
Sceleta, an crebra apud Agyptios 27
— an Hippocrates habuerit. 225
Scilla in luſtrationibus frequens 168
— ab Epimenide videtur Pythagoræ innotuiſſe ibid.
Scytharum effoeminati 243
Selemnus fl. 108
Semen femininum 229
— virile vnde proueniat 228. 229
Semiologia Malabarum 57. Sinenſium 52
Semus, dicitur medica ſcripſiſſe 15
Seplaſiarii 424
Serapidis religio Athenas delata 366
Serapion 406. 408. e ſchola Eraſiſtrati prodiiſſe dicitur ibid. ſpecimina praxeos eius 409
Serapis 125
Serpentum coniuratio 102
Serui medici Joſephi 50
— — apud Græcos 327. eorum origo 198
Seſamoides 263. non eſt ellleborus niger 264
Seſoſtris 99
Sethi columnæ 10
Sicyonium Aeſculapii templum 124
Sideritis Heraclea 95
Sidonium Aeſculapii templum 124
Sigaleon 126
Signa Aeſculapii qualia 130
Signaturarum doctrina 8

Signorum doctrina ab Hippocrate diligenter culta 250. 251
Silphium 97
Simplicium ſtudio Alexandria fa-uit 379
Sinenſium medicina 52. an chemiam norint 53
Smyrnæum Aeſculapii templ. 124
Socrates 183. corporis curam vel animi cauſa habendam docuit 184
Spectra meridie apparere 108
Spectrum hiſtoriam docet 109
Sperma virile, quid ſecundum Platonem 321
Sphyrus Machaonis F. 111. 113
Spiritus quid Hippocrati 235. 237. in arteriis contineri 391
Stadium 194
Sterilitatis curatio 91
Stethæum Aeſculapii templ. 124
Strato peripateticus 339
Straton Eraſiſtrateus 402. ſectatores ab ipſo denominatos habuit ibid.
Succotra Inſula colonis Græcis repleta 365
Sudorem prouocandi modus Hippocr. 270
Superſtitioſæ curationes antiquæ 90
Syluanus Deus 429

T.

Tabula Smaragdina 22
Tabulæ votiuæ & donaria Aeſculapii templis illata 140
Tanagræi a Mercurio ſanitatem expetebant 129
Tanzuc paſtilli 53
τὸ Θεῖον Hippocratis 244
Tegeæ Aeſculapii templum 124
Teleſphorus 126. an Aeſculapii F. 135
Templa Aeſculapii elatis locis condita. 129. fere lucos adiunctos habebant. ibid.
Templorum notitia 118. ſeqq. leges 130
Terebræ Hippocratis 283
Tetani curatio Hippocratica 283
Tetragonum 269. an regulus antimonii 278
Teucer, teucrii inuentor 107
Thales Mileſius 168
Thaletas Cretenſis muſicus & medicus. ibid.
Thapſia 266
Thelpuſanum Aeſculapii templ. 125
Themis Apollinem nutrit 69
Theomedon medicus antiquus 312
Theophraſtus Ereſius, Ariſtotelis diſcip. & in ſchola ſucceſſor. 369. regnum vegetabile ſeorſim coluit, vt & minerale. ibid. eius ſcripta ibid. in ea notæ & correctiones Caſpari Hoffmanni, vbi lateant. 369

Thermæ Joniæ 167
Theſſalus Hippocratis F. 300
Theſmophoros 18
Thomaſius, (Godofredus) aſſeruat Caſpari Hoffmanni notas et emendationes in Theophraſtum Ereſium 369
Thraſyas Mantinenſis, herbarius, venenorum cognitionem amplificat 370
Thubalcainus, an chemicus 8
Thyodomas 91
Timæus Locrus 176. quem ſequitur Plato 315
Tinctura auri Electoris Colonienſis 63
Titanæum Aeſculapii templum 124
Tithoreenſia Aſclepiea 124.128
Tobiæ curatio 155
Topicis multum tribuit Eraſiſtratus 399
Toxaris Scytha poſt mortem Athenienſibus prodeſt, profliganda peſtilentia 211
Tranſitus auris 171. Inuentum Alcmæonis 173
τραχηλίζεσθαι quid 195
Triccenſe Aeſculapii templum 125
Trinitas medica paganorum 69
Triplex ſermo empiricorum 410
Tripus artis medicæ 412
Trochiſci cyphy 36
Troezeniorum Aeſculapii templ. 128
Troiani belli epocha 105
Trophonii oraculum 128
Trophonius 78. Boeotiorum 128
Tuba Euſtachii, quomodo olim vocata 173
Turullius, lucum Aeſculapii in inſula Co ſuccidit 130

V.

Valetudinis conſeruandæ præcepta Platonica 324
Vapores medendo adhibuit Hippocr. 275
Varices, quomodo Hippocr. tractauerit 282
Vaſa chylifera Herophilus vidit 377. eademque Eraſiſtratus 392
Vellus aureum 97. ad alchemiam trahi ſolet 98.99
Venæ ſectionem hippopotamus docuit 38. Aegyptiorum inuentum ibid. eius primum exemplum 114. præcedere debet purgationem 271. cur Eraſiſtratus eam repudiarit 396
Venarum interceptio, quid 271 ſecandarum delectus. ibid.
Venenorum, ipſisque oppoſitorum alexipharmacorum, doctrina, quando accuratius culta 422

Venus

Venus Vrania. 243
Veratrum quomodo Hippocr. dederit 263
Vina fuere Aegyptiis 33
Vini vſus repertus 14.18
Vino curata peſtilentia 212
Virginum morbis vt conſuluerit Hippocr. 243
Viri Dianam potiſſimum colunt
Viſci quercus æſtimatio 60 (73
Vitulus aureus combuſtus 62
Vis motrix in quibus reſideat
Vlyſſes 107 (377
Vnguenta, an Perſæ inuenerint 30. apud Hippocratem 276 282
Volucrum linguas Melampus intellexit 91
Voluulum ut Hippocrates curauerit 292
Vomitus athletarum 197
Vomitus diæteticus ab Hippocrate commendatus 256. 261 262. eundem Eraſiſtratus permiſit 398
Voracitas in artis formam redacta 196
Vrinæ attendit Hippocr. 251
Vroſcopiæ an auctores Aegyptii 37.38
Vſtiones Hippocrati frequentes 287
Vteri purgatio 270
Vulcani lucus in Memphi 19 Aegyptii templum violatum 160. templum circa Memphim 40
Vulcanus eſt Thubalcain 10
Vulnus recens vt tractauerit Hippocrates 281.282

W.

Wagadaſaſtirum, antiquæ inſtitutiones medicinæ Malabaricæ 55

X.

Xamolxis 184. ab eo medici Xamolxidei ibid. an fuerit Suecus 185. eius incantationes quales ibid.
Xenophon Eraſiſtrateus 403

Y.

Υγιεινὸς, præfectus gymnaſii 198
ὑπηρέται medicorum alii liberi alii ſerui 327
ὑπουργοὶ medicorum 268
υἱωδία filiorum Hippocratis 304

Z.

Zenon Herophileus 383. expoſuit characteres libri Epidemiorum tertii ibid.
Zoroaſtres 17.49

INDEX II. AVCTORVM.

A.

Actuarius 211
Aelianus 30. 325. 328. 358
Aeſchylus 71.78.79.
Aetius 160.182.183.187.403 408.425.426
Agatharchides 47
Alexander ab Alexandro 69
Almelouenius. 147.223.230
Alpinus (Proſper) 30.41
Alſtedius 60
Apollonius Rhodius 96.102
Appianus 388
Apuleius 73
Aretæus 299
Ariſtobulus apud Plutarchum 358
Ariſtophanes 140. 303.314
ſcholiaſtes eius 304
Ariſtoteles 26. 173. 175. 224 302
Arrianus 120. 363. 365. 368 371
Athenæus 182. 304. 311. 313 350. 358
Augenius (Horatius) 261
Auguſtinus 126.429
Auicenna 296
Aurelianus (Cælius) 269. 345 377.409.410 414.416 417

B.

Bælius (Petr.) 181.183.185
Baierus (Io. Iacob) 314
Bartholinus (Thom.) 166
Baſſo (Sebaſtianus) 359
Berckelius (Abrah.) 373
Bellinus 251
Bellonius 88
Beroſus 16
Bibliotheca Anglicana 124
Bochartus 15
Boerhaave 63
Bonetus 345
Bontekoe 152
Borrichius 11. 19. 22. 28. 31 33. 38. 39. 40. 45. 47. 48 98. 99. 160. 361
Boyle (Rob.) 54. 219
Brendelius (Adam) 166
Buddeus (Io. Franc.) 7.152
Burrhus (Fr. Ioſ.) 279

C.

Callimachus 35. 69. 73. 74
Camerarius (Ioach. I. F.) 88
Caſaubonus 72
Caſſianus (Io.) 16
Caſſius Iatroſophiſta 383
Catullus 35. 75
Chæremon Stoicus 36. 235
Chalcidius 172. 368
Cornel. Celſus 101. 145. 165. 169.

169. 172. 173. 181. 209. 219. 221. 249. 281. 286. 310. 311. 318. 335. 363. 341. 346. 353. 370. 374. 377. 379. 394. 395. 405. 406. 408. 414. 416. -- 420. 425. 426
Cicero 10. 76. 78. 129. 181. 208. 429
Clemens Alexandrinus 24. 61. 74. 87. 90. 91. 94. 103. 111. 117. 172
Cleodemus, apud Plutarchum 166
Cordus, (Euricius) 71
Clericus (Daniel.) 40. 72. 91. 97. 114. 141. 160. 214. 217. 218. 239. 247. 256. 260. 267. 272. 328. 332. 374. 388. 413
Cleyerus 53. 54
Cointus Smyrnæus 106. 111
Conon apud Photium 110
Conringius 28. 29. 160. 244
Crollius 8
Cuperus (Gisbertus) 126. 132
Curtius 314. 371

D.

van Dale (Anton.) 192
Democritus (Chriſtian.) 279
Dickinſonus (Edmund.) 12. 60
Didymus Scholiaſtes Homeri 75. 154
Dietericus (Heluicus) 279
Diodorus Siculus 14. 17 -- 20. 24. 25. 28. --- 34. 36. 39 --- 43. 45. 47. 48. 69. 71. 76. 77. 87. 94. 96. 100. -- 103. 112
Diogenes Laertius 28. 168. 169. 172 -- 176. 181. 187. 311. 313. 362. 369. 387
Dionyſius Halicarnaſſenſis 431
Dioſcorides 44. 88. 148. 159. 182. 183. 265. 296. 297
Diphilus 90

E.

Epiphanius 368. 415
Erotianus 215. 381. 382
Euripides 76
Euſebius 118. 125. 151
Euſtathius ad Homerum 98. 100. 358
— — ad Dionyſium Perieg. 129

F.

Faber (Petrus) 192
Fabricius (Jo. Albert.) 4. 6. 9. 10. 15. 16. 22. 39. 63. 87. 91. 93. 104. 133. 152. 166. -- 169. 174. 176. 180. 181. 185. 206. 209. 214. 218. 311. 313. 342. 349. 374. 385. 401. 403. 414.
Falconerius. 192
Feith (Euerhard.) 70
Fernelius 244
Ficinus (Marſilius) 315

Foeſius 218. 236. 259. 264. 269
Freind (Jo.) 272. 296

G.

Galenus 37. 39. 84. 85. 88. 91. 124. 146. 147. 149. 171. 191. 200. 208. 215. 224. 234. 244. 259. 278. 280. 281. 299. -- 302. 304 319. 334 -- 340. 343. -- 350. 353. 373. 374. 377. 378. 380 --- 385. 387. 388. 390. 392 -- 397. 399. 402. 403. 406. 410. 414. 417. 425.
Giafer Ben Muhammed, Al Sadik 92
Georgius Syncellus 10. 63
Geſnerus (Conr.) 182. 264
Gorræus (Jo.) 236. 342
Gründlerus (Jo. Erneſt.) 54
Gundling (Nicol. Hieronym.) 227. 305

H.

Hardt (Hermannus ab 7
Heinſius (Daniel.) 104
Helladius Beſantinous 88
Helmontius 211. 212
Herbelotus 6. 21. 44. 49. 92. 366
Herodotus 20. 21. 22. 25. 27. 29 -- 33. 35. 43. 45. 77. 87. 108. 109. 157. 159. 160. 172. 177. 243.
Heumannus (Chr. Aug.) *add.*
Heurnius (Jo.) 147
Hieronymus 35. 36. 64. 155. 233. 235. 325. 328
Hippocrates 146. 147. 221
Hoffmannus (Caſpar.) 26. 369
— — (Frider.) 192. 279
Hottingerus 21
Homerus 39. 45. 49. 70. 75. 82. 101. 102. 106. 107. 111. 112. 154. 234
Hyginus 86. 112

I.

Iamblichus 170
Ioannes Antiochenſis 99
Iordanus (Hieronymus) 244
Ioſephus 10. 14. 151. 152. 153
Iſidorus Hiſpalenſis 142
Iſocrates 26. 38. 49
Iul. Africanus 27
Iuuenalis 161

I.

Krigeſmannus 22

L.

Lanciſius 95. 130
Langius (Io.) 37
Largius Deſignatianus 337
Laurentius (Andr.) 359
Lindenius (Jo. Antonid.) 223. 234. 268
Liſterus (Mart.) 219
Liuius 120. 429
Lochnerus 110. 134. 137

Luc.

Lucianus 118.136. 211
Ludolfus (Jobus) 21
Lundius (Carolus) 185

M.

Mangetus 223
Marcellus Empiricus 337
Macrobius 72. 75. 76. 319. 339. 386. 394
Manethos 20. 22. 29
P. Vincentius Maria di S. Caterina de Siena 365
Martialis 71
Martianus (Proſper) 233. 239. 273
Matthiolus 101. 264
Mauchartus *add.*
Mead. Richardus 403. 408
Meibomius 140. 300
Menander 90
Mercurialis (Hieronym.) 30. 140. 192. 214. 217. 218. 265. 276
Mollerus (Joh.) 185
Montfaucon (Bernh. de) 133. 135

N.

Neſſelius 136. 153. 384
Nicander 71. 159
Nicolaus Myrepſus 154. 408
Nieuhof (Joh.) 52
Nonnus Panopolitanus 96

O.

Oribaſius 96. 341. 342. 346. 347. 349. 350. 425.
Orpheus 76
Ouidius 70. 74. 110

P.

Paſchius 53. 152
Patritius (Fr.) 22
Paulus Aegineta. 187. 285. 337. 425
Pauſanias 73. 76. 78. 80. 81. 87. 88. 91. 108. 112. 113. 116. 117 — 125. 127. — 130. 134. 136. 137. 164. 225. 349
Peireſcius 21
Petauius 157
Petronius Arbiter 180
Peyrerius (Iſaacus) 7
Pherecydes hiſtoricus 72
Philo 61
Philoſtratus 93. 108. 110. 167. 234
Photius 47. 89. 94. 95. 101. 107. 109. 110. 136. 154.
Phurnutus 72. 78
Pindarus 69. 83. 92
Pitcarnius (Archibald.) 223
Plato 18. 78. 81. 82. 141. 175. 184. 185. 200. 207. 208. 252. 314
Plinius 27 — 30. 38. 60. 73. 81. 88. 90. 93. 95. 97. 106. 101. 104. 107. 109. 148. 166. 171. 175. 182. 191. 200. 207. 213. 311. 332. 336. 352. 353. 357. 378. 379. 386.

386. 388. 415. 424. 428. 429
Plutarchus 27. 30. 33. 34. 36. 72. 74. 83. 93. 122. 126. 129. 136. 138. 166. 173. 174. 191. 192. 213. 310. 313. 319. 328. 334. 338. 356. 358. 363. 368. 370. 388. 400. 429. 431.
Polybius 118. 120. 403
Ptolemæus Hephæſtionis 95. 107. 109

Q.

Quintus Calaber 111. 112

R.

Ramazzinus (Bernhardinus) 327
Reimannus 7
Relandus (Adrian.) 4
ten Rhyne (Wilhelm) 156
Rufus Epheſius 344. 347. 376

S.

Salmaſius 87. 99
Scaliger (Joſ.) 214
Schendus (Michael) 53
Scheuchzerus 64
Schoberus (Gottl.) 44
Scholiaſtes Ariſtophanis 119
— — Nicandri 101
— — Pindari 80
Schwarzius (C. G.) 137
Sgambatus (Scipio) 15
Scultetus (Jo.) 366
Sebizius (Jo. Alb.) 117
Seneca 29. 180
Sennertus (Daniel) 63
Sextus Empiricus 374. 386. 387
Sigonius (Carolus) 428
Solinus 101
Sophocles 69
Soranus 206. 215
Soſibius 74
Spanhemius (Ezech.) 70. 75. 137. 140. 213
Spencerus 35
Sponius 139
Stahlius (Georg. Ern.) 5. 63. 413
Stephanus Byzantinus 89. 114. 120
Strabo 40. 72. 82. 89. 121. 125. 367. 386. 403
Suidas 81. 98. 182. 206. 300. 333. 353. 386
Syluaticus (Jo. Baptiſt.) 234

T.

Tachenius (Otto) 279
Tertullianus. 9. 375
Theocritus 123
Theophilus Protoſpatharius 318
Theophraſtus Ereſius 88. 99. 148. 328. 349. 423
Thonerus (Auguſtinus) 366
Thucydides 188. 211
Tiraquellus (Andr.) 385

Tril-

Trillerus 166
Tzetzes (Jo.) 206. 313

V.

Valerius Maximus 430
Valeriola (Fr.) 236. 248. 251
Varro (Marc.) 126. 207. 429
Verulamius (Baco) 102
Virgilius 61. 101

W.

Wagenſeilius (Jo. Chriſt.) 62
Wedelius (Georg. Wolfgang.) 166

X.

Xenophon 93. 119. 145. 157. 183. 209. 307

Z.

Zacuth (R. Abrah.) 152
Zapfius 185
Zoſimus Panopolites 10. 22
Zwelferus (Jo.) 279
Zwingerus 184

Pag. 27. §. 16. *not.* * adde: Ipſemet PLVTARCHVS idem illud, quod hoc loco σκελετὸν dixerat, libro *de Iſide & Oſiride* p. m. 334. *ed. Frob - Gr.* vocat εἴδωλον ἀνθρώπου τεθνηκότος ἐν κιβωτίῳ περιφερομένου, *imaginem hominis mortui, ciſtulæ incluſam*, vt nullum ſit dubium, quin cum Herodoto idem ſentiat, omnemque ſceleti, ex noſtri ſæculi acceptione, ideam excludat.

Pag. 40. §. 49. *lin.* 5. lege : *Heliopoli* & lin. 6. Apin.

Pag. 60. §. 32. notæ adde : Druidas autem vatum ac medicorum loco Gallis fuiſſe, teſtatur PLINIVS *libr.* XXX. *cap. I.*

Pag. 130. §. 13. *not.* * adde : De Turullio hoc, & luco Aeſculapii per ipſum magna ex parte, ad ædificandam claſſem, ſucciſo, legitur apud VALER. MAXIMVM *libr. I. cap.* 2.

Pag. 138. §. 28. *lin.* 11. lege : Praxagoras Cous.

Pag 147. §. 19. notæ adde : ſequitur auter in eo Rufum apud ORIBASIVM *medic. collect. Lib. VII. p.* 324.

Pag. 148. §. 22. *lin.* 2. lege : *Gnidiarum.*

Pag. 154. §. 9. nota ** lege 213.

Pag. 164. §. 4. *lin.* 2. lege : *Ariſtomenes.*

Pag. 180. §. 53. notæ adde : PLINIVS XXVIII. 8. teſtatur illum chamæleontem peculiari volumine dignum exiſtimaſſe, & per ſingula membra diſſecuiſſe.

Pag. 214. §. 17. notæ adde : Etiam vir doctiſſimus & hiſtoriæ philoſophicæ conſultiſſimus, D. D. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS totam illam narrationem pro fabula & epiſtolicum illud commercium pro ſuppoſititio & ſophiſtico publice declarauit in *Actis Eruditorum Lipſienſ.* A. CIↃ IↃCC XIII. *pag.* 458. eundemque diſcurſum *Actis philoſophorum* inſeruit *Part. III. ſect. II. pag.* 670. ſeq.

Pag. 239. §. 6. *lin.* 8. lege : *maxime.*

Pag.

Pag. 243. *ſ.* 10. notæ adde : Eius compar documentum inuenies *de intern. affectionib.* §. 25.

Pag. 273. §. 43. *lin.* 13. lege : ſuccos.

Pag. 286. *ſ.* 73. notæ * adde : de oculi ſcarificatione nuper erudite & absque inuidia egit Exc. D D. BVRCH. DAN. MAVCHART, Med. Prof. Tubingenſis, peculiari diſſertatione de hoc argumento ſcripta.

Pag. 310. §. 11. *lin.* 5. lege : *Demoſthenem.*

Pag. 412. §. 19. *lin.* 3. poſt *ſalubria* adde : *quæ inſalubria.*

Pag. 413. §. 23. *lin* 3. poſt *quoniam*, dele verba : *infinitus argumento impugnabant, quoniam.*

Eadem pagina *ſ.* 24. *lin.* 1. poſt *res* adde : *eſt.* Et *linea* 5. pro *nec* leg : *ne.*

Pag. 415. *lin.* 1. pro : *id quod*, lege : *idem quoque.*

— — *ſ.* 28. *lin* 5. lege *chirurgica.*

Pag. 417. *ſ.* 33. *lin.* 6. lege : *commendatam.*

Pag. 427. *ſ.* 20 *lin.* 2. lege : *veniſſent.*

Pag. 428. *ſ.* 1. *lin.* 3. lege : *medicina.*

— — *lin.* 13. lege : *ſexcenteſ.*

Pag. 432. *ſ.* 9. *lin.* 4. lege : *petitus.*

— — *ſ.* 10. *lin.* 3. lege : *decantatos.*

— — — *lin.* 7. lege : *Aegypt.*